Hugonis Grotii

Poemata,

Collecta olim a fratre ejus

GUILIE. GROTIO,

Et per eundem edita:

Accesserunt jam & alia nonnulla ejusdem Authoris in unum volumen per R. H. redacta.

Y. 12. 22

UNIV. LIB. CAMB.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI,

Per *R. H.* Et væneunt per *G. Emersonum* parva-Britannia. 1639.

24101

INDEX POEMATUM.

SILVARUM LIBRI III, quorum primus habet Sacra, secundus Patria, tertius Nuptialia.

ELEGIARUM LIBER UNUS.

FARRAGINIS LIBRI III.

EPIGRAMMATUM LIBRI II: quorum secundus habet Currum veliferum & res gestas ductu principis Mauritii: item instrumentum domesticum.

PARS INSTITUTIONUM Justiniani carmine reddita.

TRAGOEDIA CHRISTUS PATIENS.

Et alia quædam, cum amicorum elogiis.

Adduntur de novo hæc quæ sequuntur.

TRAGOEDIA SOPHOMPANEAS, &c.

Nobilissimo Amplissimoque

Viro,

D. CORNELIO VANDER MYLEN EQUITI,

DOMINO IN MYLEN, DUBBELDAM, BLENSKENSGRAVE, ANTONIS-POLDER, &c.

In summo Fœderatarum Nationum senatu consiliario,

Illustris Academiæ Lugdunensis Curatori, &c.

CUm iis, quos reipubl. negotia occupant, aliqua ſit concedenda laborum remiſſio, neque ulla honeſtior eſſe poſſit, quam quæ à poëticæ ſtudiis petitur: puto apud eos, qui rationem in conſilium adhibent, hoc velut interjungendi genus patrocinio non indigere. Si qui tamen adverſus rationem animum obduraverunt, eos exemplis obruere facile eſt. Sufficerent ſanè maxima Auguſti Cæſaris & Germanici, qui graviſſimi oneris, quod ipſorum humeris impendebat, laxamentum non aliundè quàm à Muſarum exercitiis petiere. Sed ſi invidioſum eſt Principes citare auctores, Silius quoque

que Italicus vir graviſſimus, Conſul Romanus, ejus reipubl. quam conſiliis tutatus erat, gloriam verſibus editis propagare non erubuit. Neque Plinium Secundum itidem Conſulem, neque culmen illud ſapientiæ Senecam poëtis adſcribi puduit. Sed quid tam antiqua loquor? magnus ille Hoſpitalius Galliæ Cancellarius, & unicum ævi noſtri decus Thuanus, viri & eruditione & præſtantibus factis immortale nomen conſecuti, hac etiam laudum parte apud poſteros noſci voluerunt. Quòd ſi magis placent domeſtica, habemus quidem hic ſuffragatores non paucos, ſed pro multis unus ſatis eſt Curiæ Hollandicæ princeps, idemque graviſſimis temporibus optimè de rep. meritus, Adrianus My-

 lius,

lius, *tuus parens*, *vir nobilissime*, *cujus carmina tuo beneficio legimus*. *Horum ergo auctoritas cùm omnibus calumniantium telis opponi possit*, *fratrem meum*, *non perinde ut illi fuerunt*, *suis tamen distractum negotiis*, *rogare cœpi*, *ut si ipse edere aut nollet aut non posset*, *à me saltem edi poëmata sua pateretur* : *quippe cui vitio verti non posset id*, *quod in viris maximis docti admirantur*, *nemo certè candidus reprehendit*. *Erat autem eò justior mea petitio*, *quòd jam multa carmina ab ipso auctore divulgata erant*, *alia etiam latère vix poterant*, *cum penès eos essent*, *quorum honori imputabantur*, *quæ cùm singula placuisse scirem*, *operæ pretium me facturum putavi*, *si universa in unum*

volu-

volumen congregata emitterem. Nec leviter metuebam, ne alii, in quorum manus aliqua horum veniſſent, ea vel mutila, vel minùs correcta in publicum darent: præſertim cùm exemplum extaret ab iis, qui nuper in Germania Belgicos poëtas in unum faſcem conjecerunt: quorum quidem ego conſilium magis probo quàm eventum: tria enim aut quatuor tantùm fratris carmina, nec ea quidem ſatis emendata, publicârunt, nec judicio lecta, ſed quæ ſors obtulerat. Has ob res cœpi ſchedia fratris evolvere: & quæcunq; vel edita vel ἀνέκδοτα erant conquirere, ut ſi mea non poſſet induſtria, labor tamen lectoribus prodeſſet. Obſervavi autem in libellis ſingulis temporis ordinem, ut poſtremò ſcripta poſtremò legeren-

tur. Hunc ego jam laborem meum tibi, vir nobiliſſime, offero: & cui juſtius? tibi enim hæc debentur, ſive judicium conſidero, quo in aliis, tum in his quoq; rebus plurimùm vales, ſive quâ fratrem dignaris amicitiam, quæ judicio tuo obſtare non poteſt, cum non niſi judicio diligas. Peritia in te harum litterarum merito te adeundi cauſam præbuit: nemo enim rectus æſtimator eſt eorum, quæ non didicit. Ipſum ſanè amorem, quo bonarum artium ſtudioſos proſequeris, illuſtre eruditionis tuæ teſtimonium habeo. Semper enim virtutibus iis unuſquiſq; inſtructus ſit oportet, quas in aliis ſuſpicit. In fratrem verò tua benevolentia certam ſpem facit placitura quæ damus, ſi non artis, ſaltem artificis nomine. Sed ipſum

etiam

etiam opus, & horum carminum materia, ut ad te mittatur flagitat. Et quidem prima ſilvarum pars, ſacra, nemini meliùs quam tibi dedicabuntur, cui pietas & rerum divinarum ſcientia hæreditariæ ſunt laudes. Liber autem ſecundus, in quo patria celebratur, totus tuus erat vel ſine epiſtola. Cui enim ſe potiùs ſummi ducum Mauritii præclara facta & ſtudia verſibus deſcripta committerent, quàm ei quem ille conſiliis ſuis iampridem admovit? Ideoq; cum iſta omnia tibi uni ſint notiſſima, teſtem te advoco, cujus auctoritate fidem inveniant apud eos, qui quod ipſi non faciunt ab aliis factum haud facilè credunt. Reliqua verò, quæ patriam ſpectant, meritò ei inſcribuntur, cui patriæ non uno nomine cu-

ra commiſſa eſt. Omitto legationes Ordinum Fœderatorum mandato apud Henricum magnum, ejuſq; filium, Galliæ reges, & ſereniſſimam Venetorum remp. geſtas, quæ dubium tibine plus laudis, an patriæ plus utilitatis & gloriæ attulerint. Hoc ipſo tempore, ſummo Fœderatorum ſenatui allectus, rem militarem & quæ alia ad communem remp. pertinent conſilio tuo diſponis, cùm jam ante inter nobilitatis principes prærogativi ſuffragii in Hollandiæ conſeſſu factus eſſes particeps. Tantis laboribus, quibus vel multi ſuccumberent, tu unus ſufficis, quòq; magis negotiis premeris eò minus opprimeris. Sed hæc bonis omnibus nondum ſatis pro dignitate de te dicta, tibi nimia videbuntur: quippe laudes tuæ

tibi

tibi citiùs tædium afferant quàm nobis ſatietatem. Alii ſuccedant oneri, cui me ferendo imparem agnoſco, vel propter tuam magnitudinem, vel propter meam tenuitatem. Scio à te aliiſq; annales, quos de patriæ bello frater compoſuit, expectari: & à te hoc magis, quòd eorum partem jampridem legeris. Hoc quoque deſiderium liber hic ea, quam dixi, ſilvarum parte ſolabitur, præſertim ſi Epigrammata quædam addideris. Nam & Guilielmi Arauſionenſium Principis, quem auctorem ſuum libertas noſtra profitetur, genus hic actáq; aſpicies: neque minùs incredibiles victorias, quibus Princeps Mauritius patrios fines aut tutatus eſt aut protulit: nec tantùm quæ terra, ſed & quæ mari

pro-

prospera atque illustria contigerunt. Carmen de induciis finem ut bello ita & libro imponit: atque ita ingentis historiæ materiam versus veluti compendio exhibent. Tertius quoque silvarum liber peculiariter tuus: quippe ab auspicatissimis tuis nuptiis initium ducens, atque inde gradum faciens ad eos, quos amicitia aut etiam affinitate complecteris. In Elegiis quoque, Farragine, Epigrammatis, nulla erit pagina, in qua non tuos agnoscas. Leges subinde nomen viri illustris Burzan vallii, qui regius apud nos Galliarum legatus, tibique conjunctissimus fuit, & qui extrema quoque vitæ parte tui non meminisse non potuit. Invenies & venerandum illud Scaligeri nomen, qui quanti te faceret etiam in testamento suo voluit

luit apparere. Leges & Douſas, quibus tu arctiſſima familiaritate devinctus fuiſti, ita ut verſus de iis ſcriptos non minùs avidè ac ſi ab ipſis ſcripti eſſent, lecturum te confidam. Agnoſces hic magnum Bezam alioſque viros inſignes defunctos, quorum & vita tibi jucunda fuit, & mors acerba. Habes & hic plurima ad Academiæ noſtræ profeſſores ſcripta, cujus cum tibi cura ſit credita, non poſſunt à te aliena videri, quæ ad eam ornandam pertinent. Sunt & epigrammata in picturas domus tuæ ſcripta. Denique nihil ferè hic occurret, quin tu optime noveris & id quod ſcribitur, & eos quibus ſcribitur. Fratris poëmata laudare non eſt fratris: lectori porrigimus judicii calculum, cui ut

non

non placeant singula, certè ipsa universitas ob magnam rerum varietatem ingrata esse non poterit. Porro quod superest, rogo te obnixè, vir nobilissime, ut hunc laborem nostrum boni consulas, parvum quidem donum est quod tibi offero, nec mei ingenii fœtus, sed alumnus tantùm, quem quæso eodem, quo fratrem meum & omnes litterarum studiosos soles, affectu prosequaris. Quod ita futurum mihi certo certius spondeo, cùm mores tuos, aliisque insolitam, solitam tibi benignitatem propius intueor, quæ mihi quoque magna favoris signa exhibuit: hunc si in hac quoque causa mihi præstiteris, nihil ulterius petere possum, quàm ut me saltem inter cæteros ames. Vale vir nobilissime, & diu librum hunc

patro-

patrocinio, bonos omnes auxilio, patriam consilio juva. Lugduni Batavorum Calendis Sept. Anni cIↃ IↃ CXVI.

Nobilissimæ tuæ amplitudini
addictissimus

GULIELMUS GROTIUS.

HUGO

Hugo Grotius
Guilielmo Grotio,
Chariſſimo Fratri S.

Amdudum, mi frater, quid agas video. Quæ ſcripſi carmina aut obſecutus animo aut amicis gratificatus, in corpus revocas, & audes illis propitium ſpondere lectorem. Quàm vereor ne aut de noſtris luſibus, aut de clementia ſæculi nimis benignè judices? Effluxit illa ætas, qua verſus facere decorum, etiam non optimos excuſabile erat. Præcipuum ſcriptionis patrocinium ſeritas editionis decoquet. Qua nunc fiducia tot in me naſos concitabo? Pueros etiam balbutientes amamus, quia in ea ætate ſemen ingenii ſpectari ſatis eſt, frugem ab ipſa exigere importunum. At viro ſilere quam balbutire eſt ſatius. Adde, quod quæ nunc eſt hominum ſeveritas, non mala tantùm poeſis diſplicet, ſed ipſa poeſis ut mala: multóque gravius videtur & πολιτικώτερον forum aleatorium calfacere, quàm libera verba vinculis includere non neceſſarii. Sed hic

c video, quod tibi effugium pateat. Potes
im à pedariis judicibus ad summum audi-
rium provocare, in quo facilè absolvemur
copera tua, annitentibus Rocho Honar-
& Appollonio Scotto, viris summis & ex-
controversiam dignissimis, quos non
per lites exerceant: quorum ille Thama-
Tragœdia editâ salivam nobis commo-
rit, nunc Mosis legiferi expectatione nos
ciat: alterius Ecclesiastes jamdudum car-
es mordet. Scelus sit ab his sejungere Vos-
gium, poëtarum ut exactissimum judicem
candidissimum amatorem: & qui me quo-
e, ut arbitror, non tantùm ut affinem, sed
ut harum literarum sectatorem diligit. Et,
intra meos potiùs collegas maneam, nostri
edo, certè nosse debes, Simonem Belli-
ontium, cujus consiliis civitas Middelbur-
nsis fæliciter uritur. Is me non tantùm hor-
tus est sæpè, sed jure amicitiæ propè im-
lit, ut facerem, quod tu nunc facis: &
ndudum me vir disertissimus permovisset
rbis, nisi idem prudentissimus absterruis-
exemplo: quippe cui facillimum erat de
o præstare, quod de meo exigebat. Sed de-
us hoc tantorum virorum auctoritati, ut li-

ceat & viris & occupatis versus & scribere & legendos aliis tradere: nihil adhuc tibi confectum erit, cum singulæ carminum meorum partes multò plus deprecandum habeant. Multum juvit iis argumentis operari, quæ pietatis professionem continent. Sed hæc artem cum vix patiantur omne pretium ex affectu excolentis accipiunt: quam voluptatem ut sæpè in scribendo sensi, ita in legentes transfundere non possum. Quare futurum video, ut & Theologi poëticam libertatem, & poëtæ Theologicam jejunitatem accusent. Et sunt quædam in hoc genere sermoni soluto tam vicina, ut veniam nisi à rebus ipsis sperare non audeant. Ut verò in his Christianum magis quàm poëtam, ita in iis quæ ad patriam & res pro patria ductu Mauritii Principis fortissimè ac fælicissimè gestas pertinent, nihil exhibemus præter bonum civem. Videbor exteris res nostras paulo lætiùs extulisse, iis præsertim, qui earum magnitudinem non intelligunt. Sed posteritatis nostræ interest omni memoriæ genere consecrari, quibus causis sumpta sint arma, quibus animis gesta, quo eventu deposita. Erunt qui me criminabuntur: in hostes nimis

acerbè,

acerbè, id est hostiliter locutum; monendi sanè scripta hæc, cùm fas belli talia permitteret. Et erat is hostis, cum quo non de gloria aut propagandis imperii finibus certamen habebamus, sed de vita &, quod vitæ proximum, antiquâ libertate. Hæc ereptum qui a viris fortibus, potéstne in eum aliquid quàm par est animosiùs dici? Attamen induciæ nunc sunt. Video quid sis responsurus. Legantur ut ante inducias scripta, quomodò & trophæa aspicimus. Habent & Epithalamia quod excusent, suam nimirùm, id est nuptialem linguam, sine qua ne Epithalamia quidem sunt. Longè quidem stetimus citra Fesceninos: sed juvenes eramus, & concessum putabamus alludere ad concessas voluptates. Hæc festivitas si culpa non caret (& cur eo id operosè defendam?) auctor sum lege caveatur, ne quis posthàc velit Epithalamia scribere; nam & sine illis vivere possumus, & facere, quæ nunc fiunt. Quid si etiam sinistrorsùm aliquis rapiat, quod more poëtarum, recepto magis quàm laudabili, Deos interdum nominaverim? quod profectò vigente Paganismo flagitiosum fuerat: nunc periculo caret. sciunt quippe omnes ea voce

modò sidera, modò elementa, modò mentes ætthereas, modò insignes viros, modò Dei unius virtutes ac dona intelligi. Christi Patientis editionem non jam tu, ut cætera, sed ego tuendum habeo. Ut enim lucem videret ego jampridem auctor fui. Audivi qui non ferrent in scenam produci salutis nostræ mysterium. Quasi id ageretur, & non potiùs ἀδιαφόρου genus esset, ea quæ sacræ literæ δογματικῶς enuntiant, δραματικῶς proferre: quod & Patres olim, & pastores hodiè in homiliis faciunt. Venit & illud in mentem, fore qui accusent varietatem & desultorium scribendi genus. Nimirùm non unius ætatis hoc opus est. Aliud fert ver, aliud æstas. Nec animus sibi similis: modò liber & sui juris: modò tædii plenus & quærens ubi respiraret: sæpè amicorum imperiis ad definiti argumenti necessitatem adstrictus. Neque verò constantis arbitror, jocis & seriis eundem vultum impendere. Accedit quod ingenium mihi sequax ac ductile, ut à cujúsq; poëtæ lectione incaluerat, ita ad ejus imitationem rapiebatur. Agnosco me ipse alibi Lucani spiritu plenum, interdum Manilii plusquàm satis est studiosum, nonnumquàm

quàm caſtigatiùs aliquid ad Statii & Claudiani inſtar conantem. De Epigrammatis quid dicam? quæ ut artis ejus peritiſſimos decebat facile eſt ſcribere: at libros Epigrammatum ſcribere perdifficile. Quota enim quæque materia hunc cultum recipit, utpiam ipſe eligas, quod rarò conceditur. Nihil autem poteſt eſſe tam fatuum quàm extortum epigramma. Neque verò nobis licuit, quod ſibi permiſit Martialis, cui ſæpè ſola obſcœnitas epigramma facit. Hiſpanis relinquamus hanc ſcabiem. Vides quantum hic ſit excuſationum. Quantò erat facilius non committere quod excuſationis indigeret? Habes tamen quod reponas; alia ſparſim edita: alia apud amicos extare, & vereri ne corruptiora exeant: præſertim quùm jam ejus rei experimentum è Germania habeas. Potes & illud adjungere, ſi quæ ſunt ἐννοήματα minùs mala', ea me non vindicante facilè repertura dominum. Scis exiguo de Oſtenda carmini quàm multos magnóſque auctores vacillans fama aſſignaverit. Neque ſemel mihi accidit, ut in aliorum ſcriptis ea legerem, quæ à me nulli ſubrepta, ſatis eſſem mihi conſcius. Sed levis eſt jactura tam pa-

rabilis annonæ. Cæterùm ego quod vis, ne
veto, nec jubeo. Utere eorum consiliis, qu
istis de rebus rectiùs judicant; quales sun
harum literarum principes *Heinsius* atqu
Rutgersius, & spectatissimæ probitatis atqu
doctrinæ *Vossius*. Utcunque res ceciderit
multùm mihi gratulor de te, qui non m
tantùm, sed & mea tam fraternè diligas. *Ro
terodami* XV. Decemb. cIↃ. IↃc. XV.

HUGONIS GROTII

SILVARUM

LIBER PRIMUS,

In quo SACRA.

HUGO-

HUGONIS GROTII

SILVARUM LIBER I.

UNIV. LIB. CAMB.

In quo Sacra.

HISTORIA JONÆ PARAPHRASTICO CARMINE.

TEmpore quo cũctas præ se cõtempserat urbes
Fortunâ famulante Ninos, partæque rapinis
Divitiæ luxu contra certante furebant,
Ipse pater, vindex scelerum, sed lentus ad iram
His Amithaniden dictis affatur Jonam,
Os cui veridicum dederat, mentémque capacem
Fu orum & positum longè spectare futurum.
I us Assyrii tumidam rectoris ad aulam,
Et quæ vasta rapax defendit Mœnia Tigris,
In mersum vitiis populum clamoribus urge,
Cu jus sancta mihi udùm versantur ob ora
Et cenam commissa petunt scelerumque nefanda
Im plevit terras, nunc scandit ad æthera moles.
Hæ refer atque minas verbis & jurgia misce.
At miser, heu! sperans complentem numine cuncta
Fu giſſe Deum (nec enim mandata placebant)
Ad Cilicum terras vicinaque littora Tauro
Fu nestum molitur iter. Jacet inclita portu,
Su mma Palæstinæ tellus ubi desinit oræ,
Qu os vetus Andromedes quæ vincula jactat Joppe.
Hæc malà sanus abit vates, & fortè carinam.

Invenit ad liquidi properantem flumina Cydni.
Addit ſe nautis comitem, pretioque ſoluto
Hoſpitium capit infælix & numinis almi
Deſertor fragili mavult ſe credere ligno.
Principio faciles auræ, ſperataque Tarſos
Non procul: at ſub ito fatalis inhorruit aër
Pontum omnem turbante Deo; ſonuere procellæ
Et fudêre novum nubes mare, nec ſuper ullum
Diſcrimen rebus: cœlum nox una ſalumque
Miſcuit: ereptam reparabant fulmina lucem.
Nec temerè inſani perdunt ſua murmura venti:
Circum vela fremunt: & ſe jacit omnis in unam
Tempeſtas collecta ratem: jamque hiſcere credas
Compagem fractamque trahi ſub fluctibus alnum.
At trepidi nautæ & pallentes morte futura
(Heu gens indocilis veri, fictaque parentum
Religione nocens) partiti numina votis
Inclamant gemitu fruſtrà precibuſque fatigant
Quos homines fecêre Deos: hic Belon, at ille
Aſtarten, ſquamiſque inſignem corpora multis.
Dercetin: at patrios alii, nunc ſidera reges,
Jaſiden totamque domum, generumque volucrem
Horrida geſtantem Phorcynidos ora Meduſæ:
Atque hunc præcipuè, dotali ut ſede profectos
Incolumes det poſſe ſuam contingere Tarſum,
Tarſum pennigeræ referentem nomina plantæ.
Quin etiam merces, auri ſpes una parandi,
Cujus amor tantos docuit deferre labores,
Jactantur pelago, navem ne verteret omnem
Accedens ventis onus & demitteret alto.

Ille

Ille autem interea tantorum causa malorum
Imâ puppe jacens somnum capiebat Jonas:
Seu pavor abstulerat sensus, nec corporis ægri
Illa quies, sed torpor erat, seu talis imago,
Hoc agitante Deo, sua magna oblivia vati
Objecit, pressumque animum graviore veterno.
Non tulit hoc rector trepidæ ratis, & tibi, dixit,
Nunc unde iste sopor? quin nosti tu quoque si quē,
I, supplex venerare Deum, rituque parentum
Sollicita, si fortè aliis clementior ille
Respiciat miseros & fata instantia vertat.
Nec dubitant nautæ cæli quod suscitet iras
Esse caput secum, culpamque unius in omnes
Ferre necem, motis quin ergo quærimus urnis,
Exclamant omnes, quem pœnæ fata reposcant?
Quis nunc præcipiti volvi putet omnia casu,
Ac non lege data? certum sors missa peregit
Arbitrium, vereque reum damnavit Jonam,
Et vates de vate fuit; tum quærere nautæ,
Quis genus, unde domo, cur & quibus adsit ab oris,
Quod vitæ sectetur iter, quo crimine sontem
Incusent superi, quæ tantæ causa procellæ?
Sic illi instabant: sic contra Amithaone natus;
Gens Hebræa mihi; studium fuit (atque fuisset
Utinam semper) rerum servire parenti,
Qui cœlum movet & cœli stellantia signa,
Cujus opus terra est pontique hæc mobilis unda.
Obstupuere viri majusque per ima cucurrit
Ossa gelu; subigunt sontem delicta fateri,
Iraque magna Dei mandata, fugamq; rebellem.

Tum quid opus facto rogitant, quâve arte parãdum,
Sideret ut tumidis infensum fluctibus æquor,
Crescentesque minæ: cùm jam nihil ille precatus,
Tollite me me, inquit, quem vestris fata periclis,
Quem toto petiere mari, me mergite ponto:
Jam pacatus erit. merui, nec ferre recuso:
Exolvam insontes & navem morte piabo.
Certavere quidem connixi remige multo
Eluctari undas proramque advertere terris:
Nequicquam: longè littus fugit, undaque contrà
Insurgens nullam patitur sperare salutem.
Cessit turba malis, tuque O justissime, dixit!
Parce Deus nobis hanc velle ascribere cædem
Prædamnatæ animæ, nec leto ulcisci letum.
Nil malè de nobis illum meruisse fatemur:
Nec nocet ira viro, nec habendi cæca cupido,
Sed motæ non sponte manus, tibi reddimus illum
Quem repetis: cogit tua nos invicta voluntas.
Talia vix fati summa de puppe volutum
Præcipitant; simul ille cadit, simul omnia cœlo
Nubila diffugiunt, positis quoque fluctibus unda
Detumet & lenes veniunt ad suppara venti.
Perculit attonitos divina potentia nautas,
Atque ejurato falsorum horrore Deorum
Supplicibus votis æternum numen adorant:
Hunc & muneribus placant & sanguine fuso.
Interea fulcans immani corpore pontum
Bellua missa Deo vivum deprendit Jonam
Fluctibus in mediis & vasto sorbet hiatu.
Ille in visceribus monstri (mirabile dictu)

Illæsus

Illæsus manet & pelago novus incola fertur.
Sentit & incumbens capiti mare, sentit & æquor
Impelli tranante ferâ: quis credere possit
Captivam tantis animam durâsse sub undis?
Duravit tamen & tam dirâ sede morantem
Tres interpositis Soles videre tenebris.
Hoc tunc navigium misero carcerque domusque,
Hoc templum fuit, hinc calidas effudit ab imo
Corde preces, cecinitque hæc tristia carmina vates.
Quanquàm terrificis me fata ultricia monstris
Exagitant vitamque traho vix anxius ultra,
Spes tamen est has me interea non perdere voces.
Hinc etiam cœlo dabitur via; piscis in alvo
Conditus, infami tumulatus membra sepulchro
Verba loquor supra nubes & sidera supra.
Exaudita Deo: tu me his, rex magne, nocentem
Mersisti tenebris, ubi me premit alta vorago
Undæque fluctusque tui, mixtique profundo
Gugite longinquis procul è regionibus amnes.
Et merui ereptus superis amittere lucem
Aspectusque tuos, tamen hæc fiducia mœstum
Solatur, fore me Solymas ut sistat ad aras
Læta dies festosque adytis instauret honores.
En tot aquæ circum rapidisque intorta fluenta
Vorticibus: tum multa caput circumplicat algas
Vix spirare datur: tellus super urget acutis
Hærentem scopulis, & duris vectibus obstat:
Quin etiam æquoreæ rediturо in sæcula rupes
Præclusere viam, tu spes super unica restas
O Deus, è mediis animam tu faucibus orci

Eripies reddeſque diem, cùm perdita ſeſe
Quæreret, in mortis regno cùm vita jaceret,
Dulce fuit meminiſſe tui; cæleſtia templa
Perrupere preces felixque audacia voti.
Vos nunc ite, quibus pietas errore profano
Circumventa perit, quorum ſibi quiſque figurat
Sponte metum, & mendax in vanum cura laborat,
Seq; bonis ſpoliat contempto auctore bonorum.
Me juvet æterno grates perſolvere regi.
Votivumque adolere ſacris altaribus ignem:
Ille pater bonus, ille hominum tutela ſaluſque.
Talia dicentem toto vehit æquore piſtrix:
Ac tandem undiſono multùm ſpatiata profundo
Littora ſumma legit, propiuſque adnavigat oræ.
Hic ſeſe immenſo patefecit bellua rictu,
Numinis imperio magniſque exercita fatis,
Ejectumque virum vaſtæ penetralibus alvi
Impoſuit terræ. Tum ſic bonus arbiter orbis
Edoctum ſua juſſa pati compellat Jonam,
I properè celſaſque Nini pete nuntius arces,
Et mea fer totam latè mandata per urbem.
Ille iter accelerans præcepto paret herili,
Aſſyriaſque domos ſpatioſaque mœnia tangit,
Quæ non antè citis circum ſit paſſibus ire,
Quàm ter Sol oriens ter merſerit æquore currus.
Jamque emenſus erat quantum via ſiverat urbis
Lucis ab exortu ſupremam ad veſperis horam,
Triſtia perculſas referens oracula ad aures.
Intra bis decies geminatæ tempora lucis
Corruet excidio Ninos & dejecta jacebit.

Sub

Submiſere Deo trepidantia pectora cives,
Reſponſoque habuere fidem; tum triſte celebrant
Juſtitiam, nulloque ſibi diſcrimine cuncti
Indixere famem: nec ſueto gaudet amictu
Turba, ſed hirſutis indurat corpora velis.
Ipſe Nini dominus, quem circum mille tuentur
Excubiæ, cui tot pendunt famulare tributum
Ignotæ gentes, cujus victricia ſigna
Terrarum pars tanta timet, ſimul horridus aures
Nuntius impulerat, ſolio deſcendit avito,
Unde triumphatis Aſiæ regnator opimæ
Jura dabat populis, trabeaq; exutus & auro
Cyniphiis præfert horrentia tegmina ſetis,
Et tellure ſedens inſpergit pulvere membra.
Adjicit exemplo legem, procerumq; vocato
Concilio jubet hæc populis mandata referri.
Dueite turba Nini longo jejunia luctu.
Ipſa etiam mœſta in ſtabulis armenta dolores
Teſtentur noſtros, & equorum bellica proles
Balantumque greges, non ulla aut graminis herbã
Attingat quadrupes, aut fluminis hauriat undam,
Dura ſed in nudo ſedeant velamina tergo,
Idem homines, idem pecudes exæquet amictus.
Inclamate Deum findentibus æthera votis:
Sed ſimul exactæ damnantes crimina vitæ
Et longas ſcelerum furias, inſiſtite rectæ
Mentis iter, fædaq; manus purgate rapinâ.
Quis ſcit an avertat nobis quod triſte minatur
Exitium Deus, & poſitâ deferbeat irâ?
Spem probat eventus: peccati pœnitet urbem,

Supplicii que Deum vidit namque omnia facta
Omnipotens, vidit pertæsas crimina mentes,
Nec jam sustinuit decretas sumere pœnas.
Sed non tam clemens animi in signatur Jonas
Stare Ninum, cupiens immensis cladibus emptum
Esse ratas diro tulerat quas carmine voces.
Ergo bile tumens & amaro percitus æstu,
Hoc erat, exclamat, tua cur mandata subire
Defugerem, hoc patria mecum tellure loquebar,
Hoc & Coryciæ peterem cùm littora terræ.
Noram ego quàm clemens & quam placabilis esses,
Quàm veniæ largus faciliséque ignoscere lapsis
Protinùs & culpas precibus donare priores,
Non odii retinens, omni sed suetus ab ævo
Humanos placida miserari mente labores.
Nunc quando Assyriæ visum tibi parcere genti,
In me verte minas: atque hanc, precor, eripe vitam
Quam vix æger ago, qua mors mihi lætior ipsa est.
At pater omnipotens, quin hoc te expendere, dixit,
Æquius, an justo temet mœrore fatiges?
Et tibi qua causa tanto cor fluctuet æstu?
Exiit invisam proles Amithaonis urbem,
Nec procul à muro, qua Titan parte reducit
Matutinus equos, parvo sibi culmine tectum
Extruit, exspectans urbem quæ fata manerent.
Hic sedet, hîc umbras & frigora captat opaca.
Nam Deus hac ipsa stirpem regione locârat,
Quam cici dixerunt Eoo nomine gentes.
Hæc amplexa casam sinuosa que brachia latè
Protendens rapidos arcebat frondibus ignes,

Dulcia

Dulcia turbato præſtans ſolatia vati.
Poſtera ſed cùm ſe roſeis aurora quadrigis
Tolleret, exiguo ſuccedens corpore ſerpens,
Sponte Dei, certo radicem vulnere lædit,
Vitaleſque trahi ſuccos vetat, illa reciſis
Procumbit foliis demiſſo languida collo.
Intereà primo procedens Phœbus ab ortu
Igne coquit terras: Phœbo Deus addidit Eurum
Omnia peſtiferæ torrentem flatibus auræ.
Atque ea flamma poli nudo dum vertice vatem
Utit anhelantem, fracta vi corporis omni
Marcidus extremam ſibi queſtibus advocat horam.
Et quid adhuc, clamat, quid adhuc miſer ille mora-
Spiritus? invideo fatali ſorte peremptis. (tur
Pontus ubi? mala cur toties in tanta reſervor?
Tum rogat omnipotens, merita num percitus ira
Æſtuet, ereptam repetens clamoribus umbram?
Ille refert, magnis incendi pectora cauſis,
Et, ſi vota juvent, votis accerſere mortem.
Tum pater: Uſque adeò vili pro caudice pugnas,
Huic parci fas grande putas, quem non tua ſevit
Dextera, non olim ſumti coluere labores,
Quem genitum nox una dedit, nox abſtulit una?
Tu florem Aſſyriæ, tu plenam gentibus urbem
Me ſervare vetas? ſi non te armenta movebant
Pro frutice iratum (mihi ſunt tamē hæc quoq; cordi)
An nihil & decies hominum biſſena putabas
Millia, materno pendentes uberè natos,
Aut modò deſertis reptantes denique cunis,
Indociles dextrum quod iter, quæ ſemita lævo

Calle ferat pravique & honesti noscere fines?
Conticuit vates jam se quoque judice victus,
Et sua mansuris commisit crimina chartis.
Hoc monitore, Dei sanctos audire vocatus,
Quisquis es, & lapsus non desperare memento:
Utque feras veniam, veniæ placabilis esto
Tu quoque, nec vitiis succense longiùs æquo.
Fer casus durosque animo constante labores.
Crede revicturos artus morituraque mortis
Imperia; hoc superis iterum donatus Jonas
Monstrat enim, Christi tumulo redeuntis imago.

AD CHRISTUM.

CHriste caput rerum, vitæ melioris origo,
Immensi mensura Patris, quem mente suprema
Miratus sese Genitor de lumine lumen
Fundit, & æquali se spectat imagine totum,
Cujus ad exemplum Mundus, tutelaq; Mundi
Factus homo: sed enim ferus hic & sponte rebellis
Perdiderat sublime decus, pressusq; jacebat
Criminibus, pœnæque reus, semperque jaceret,
Ni Pater æterno genteni miseratus amore
Te priùs arcana secum sub luce latentem
Donasset populis, non jam per somnia verum
Prodere, non vatum commotis mentibus uti,
Sed vivam terris cupiens ostendere legem,
Fœdus & immotum tanto sponsore pacisci.
Humanos igitur vultus, mortale subisti
Corpus & hos artus: sed non te fœda voluptas

Proge-

Progenuit: caſtæ ſed virginis edidit alvus
Cæleſti virtute ſatum; ſi purpura non te
Excepit de matre novum, ſi ſpicula nulla,
Nullus eques, nullæ puerum cinxere cohortes:
At genus æthereum cives ſtellantis Olympi
Non deſunt illîc, aulaq́; auguſtius omni
Excubiis præſepe tuum, cantuq́; celebrant.
Stant pecudes circum, ſtat circum innoxia turba
Paſtorum, pauper, ſed rege beatior omni,
Cui te noſſe datum; terris novus advena cœlo
Monſtrabare tuo; ſydus non ante notatum
Expavêre magi: quis tantus naſcitur, aiunt,
In cujus laudes nova ſydera parturit æther?
Signiferi cedant ignes, & credita ſeptem
Perpetuas miſcere vices vaga ſydera, cedat
Dux Helice Grajis, Tyriis Cynoſura carinis.
Per varios rerum fluctus, incertaq́; vitæ
Hæc dat ſtella viam, quæ non Babylona ſuperbam
Regibus Arſacidis, validas non Tybridis arces,
Non Solymæ turres, ſed paſtoralia ſignat
Limina, Bethlemiq́; caſas: ne quærite regem,
Judæi lituos inter ſtrepituſq́; tubarum,
Quæq; humana ſibi rabies circumdedit arma.
Neſcitis miſeri quàm ſit res proxima cœlo
Paupertas, quàm dulce pati; vos dicite Parthis,
Dicite Romanis, Herodi dicite veſtro:
Det cæco ſpectare diem, det currere claudo,
Det ſurdis audire ſonos, det reddere, mutis,
Tartareas pellat peſtes, morboſq́; tenaces
Non herbis, ſed voce fuget: freta mota tacere

Im-

Imperet, & fluctus: modica dape millia paſcat
Seque diu nulla, jubeat remeare ſepultos,
Vino mutet aquas, ficcuſque perambulet æquor.
Hæc faciant quos gemma tegit, quos claſſica cingũt:
Hæc pauper meus ille poteſt, nec corpora tantùm
Ille, ſed & mentes obſeſſaque pectora purgat,
Fœdaque corruptis adimit contagia ſæclis,
Verum ingreſſus iter, cum nec diffidere lapſos,
Nec ſtantes turgere ſinit. quis in æthere motus,
Quive labor rerum, dum tot cumulata bonorum
Congerie, tibi ſupplicium crudele reponit,
Non Scytha, non Nomades, nõ dura civis ab Arcto,
Sed Soboles Abræ cunctis è gentibus una
Gens delecta tibi. tantum valet atra malorum
Ambitio, quoties odiis accenſa ſuperbis
Sub ficta pietate furit, nec ſimplice fato,
Latronum ſed morte peris, tu purus & inſons,
Ut noſtras pœnas & crimina noſtra ſubires.
Quicquid ad hoc ævum prima peccatur ab hora
Adamus vetita cum carpſit ab arbore pomum,
Cunctorum te facta premunt, nos illa manebant
Vincula, nos ictus, atque in tempora ſentes,
Nos trahere in pœnam lictor, nos figere clavi
Debuerant, noſtriſque cruces inſurgere membris,
Et mortis differre moras, Patris iſta voluntas
Et tua: ſic placuit facilem miſcere ſevero.

EUCHA-

EUCHARISTIA.

MYstici secreta ritus, prisca relligio sacri,
Cœtibusq́; sancta semper Christianis Orgia,
Addo me vobis Epopten, totq́ue post suspiria
Perfruor desiderato candidatus gaudio.
Munus agnosco tabellis Christe legatum tuis
Proximum pergentis ire mortis ad periculum.
Hæ dapes sunt funerales, hoc sacrum Propterviam:
Cæna jam mori parantis inque procinctu data.
Ipse tu, quanquàm supremo tristis in convivio,
Ipse panem dividebas, ipse libabas merum,
Et salutis liberali porrigebas dexterâ.
Hic, ais, sanguis sodales; hoc ais, corpus meum:
Corpus hoc vobis jacebit: sanguis hic vobis fluet:
Hic bibendus: hoc edēdum; grande mnomosynū Dei.
Ergo cùm cœlis aula me procul raptum sibi
Non sinet coram tueri, panis & vinum mei
Semper erga vos amoris esto testimonium.
Hac ero præsens sub arra: nec citatus pignore
Destitutos vos relinquam: nec Chaos nos dividet
Illud immensum, quod alto dividit terras polo.
Ritui sic indicato Principis jussum sui.
Persequens Apostolorum præfuit collegium,
Et vicem functum magistri Christian rum choros
Ad sacras epulas vocavit, & propinavit merum,
Et sacrum solenne seris tradidit nepotibus.
Hæc initia quisquis ambit, antè diffidat sibi,
Seque damnet ipse judex, testis, auctor, & reus,
Nec nisi gratis favente speret absolvi Deo:

Hoc

Hoc precatus, immerentis ut necem nati pater
Insolutum sumat alnâ largus indulgentiâ,
Et fide jubente Christo nomen accepto ferat,
Cujus insonti cruore deleatur cautio,
Cautio quæ tanta, quantam nemo solvendo fuit:
Ne Dei dirus satelles, ille noster carnifex
Debitores in profundum carcerem nexos trahat,
Creditumq; persecutus ducat addictos sibi.
Gentis humane redemptor mancipatos inferis
Noluit servire pœnis Ditis ereptos jugo,
Nosq; liberos abire jussit, & misit manu.
Mensa testis est herilis, cujus exortes priùs
Arrogati filiorum more nunc accumbimus:
Hinc procùl, procul profani, quos vel error credu-
Vel superstitiosa veri fallit ignorantia, (lus,
Quiq; trunco, quiq; saxo funditis surdo preces.
Ite quotquot à caterva transfugæ descisc itis,
Et repud um Christiano nuntiatis cœtui:
Augures, aruspicesq; qui futura venditis,
Quiq; Circeæ tenetis artis horrendum scelus,
Quiq; supremi negatis esse nos curam Dei,
Et quibus juris superstes nulla jurati fides.
Ite Regum perduelles, & quibus vivax pater,
Aut nimis longæva mater: impiæ linguæ procul
Ite, & ite factiosi, nata dissidiis cohors.
Ite ventres, ite turpi serva gens libidini,
Cumq; mœchis ebriosi; vosq; turba pestilens,
Vos cohors morbosa nostris exulate finibus,
Qui simultates fovetis, hosticoq; spiritu
Impetenter æstuantes quatitis irarum faces.

Ite

Ite queis jus eſt in armis, dexteras innoxiis
Cædibus contaminati, quoſque ditant fœnora.
Ite fures & rapaces, & quibus nil eſt ſatis,
Et deeſt quod poſſidetis, aleæq; lubrico
Qui datis cenſus, & horas cariores cenſibus.
Ite quorum nos puderet: ite quos noſtri pudet:
Hæc nefas arcana veſtro pollui contagio:
Hæc triumphis deſtinati teſſera eſt exercitus,
Quam ſacramento ligati militari poſcimus.
Hinc notis arcemus iſtis partis adverſæ duces,
Atq; diris execramur omne Titanum genus,
Arma divino moventum claſſico contraria,
Donec ad meliora verſos, deditoſque, & in fidem
Publicam cernat receptos ſacra vexillatio.
Nos Deo culpam fatemur, criminum quos pœnitet,
Utq; condonet precamur: hæret intimis
Oſſibus labes avita, cujus hæredes ſumus,
Vrimurq; blandientis carnis impetigine,
Pullulante ſemper Hydrâ: nec poteſt radicitùs
Virus evelli repugnax, & vetuſtiſcens malum.
At Dei tamen renati ſpiritu genitabili
Calle cedimus ſiniſtro, nec pedem caſus frequens
Cogit infirmum referre: ſemper emerſus luto
Greſſus in dextra reponit ſenita veſtigium,
Nitimurq; pervicaces ire virtutis viam,
Hoc viatico refecti, robur ut creſcat, cibo (dedit,
Quem dapi primæ parentum Chriſtus antidotum
Addiditq; potionem liberantem viſcera
Priſtino Lethes veterno præſtitis medici manus.
Alter hic Melchiſedechus ſempiternus Pontifex,

Pacis

Pacis hic, æquiq; princeps Abrahami posteros
Læta gestantes opima pane dónat & mero.
Hæc dat ambo signa nobis Pascatis prisci loco
Ille nostrum Pascha Christus, fœderisq; symbola,
Fœderis quòd immolatus sanxit ipse sanguine.
Panis hic est illud olim Manna lapsum cœlitùs,
Quo reliquit Israëlem sæva deserti fames.
Longa solvunt Christianis mentibus jejunia
Succus Ambrosiæ salubris, nectarisq; poculum,
Quo semel perfusa largè corda dedisc unt mori.
Cœna lotis est parata: post aquam discumbitur:
Ipse nam modimperator, ipse rex convivii
Jussit hunc ad apparatum corrogari singulos,
Amne quos puro rigatos lustricus vidit dies.
Væ superbè contumates, væ recusantes sequi,
Quotquot excusationi, cum vocet rex optimus,
Vel boves emptos, vel agrũ, vel thorum prætenditis.
Pœna nec minor manebit vos, ad hæc qui fercula
Veste non pura venitis impudenter sordidi.
Dulcis hæc medela vobis, nobiliſq; mattya
Cedet atrox in venenum, cujus infectas lue
Uret arcanus medullas ignis ut Nessi cruor,
Mortis æternæ minister. Durat hæc sententia
In caput prolata vestrum: quadrupedẽ constringite,
Et profundi ferte tristes in tenebras Tartari,
Quà resultant ejulatus, horridum dentes crepant,
Et vetat semel perire semper occidens dolor.
O mihi grex sanctæ salve: magnus upilio tibi
Pabulum, potumq; præbet: ille te regit pedo,
Ille quondam læta Olympi pollicetur pascua.

Ille

Ille nec fures ovilis, nec lupi rictum fugit:
Obvius currit periclis, sanguinisque prodigus
Dum gregem possit tueri non timet pastor mori.
O cohors conviva Christi (namq; te mysterii
Compotem, sacræq; fecit ipse ceremoniæ
Patris æterni sacerdos) corpus hoc ipsum cape,
Corpus, infæl ix quod arbor gessit affixum cruci,
Mole quod jacuit sepulchri nocte bina conditum
Et, subacta lege fati sponte surrexit sua,
Nos ut exemplo doceret lucis hæc ad limina
Perditæ retrò patere morte defunctis viam:
Inde porrò visuiq; tactuiq; obnoxium
Rebus humanis perire nescius interfuit:
Hinc in alta nube raptum sede in excelsa tenet
Dexteram rerum parentis. Sanguis hic idem datur
Qui cadens infame pœnis Golgothæ tinxit solum,
Cum sarissa militaris mortuum fodit latus.
Panis animæ vi recoctus, & caloris fomite
(Quem resartorem perennis corporum dispendii
Addidit Natura mater) omnibus succos viis
Dividit latè fruendos, inq; partem vertitur,
Seq; transformans in artus sustinet vitæ fugam:
Sic alit mentis Jesu corpus æternans cibus,
Spiritúsque quo vigemus spiritus Dei Deus
Insito fervore Christo nos facit concorpores,
Et coacta membra membris jungit, & membris ca-
Ut jugali temperata partium concordia (put
Spiret immortale puram sacra compages diem.
Cor Lyæi mitis haustus ut perurit gaudio
Cum per exta dulcis imber serpit, artus humidi

Flammeos halant vapores, & voluptatem bibunt:
Vulnerum ſic ille Chriſti, qui pedes per & manus
Perq; coſtas purpuranti rore manarit cruor,
Pectoris ſecreta noſtri permeante ſpiritu,
Intus occulti madoris fumigat ſuffitibus:
Perque fibras, perque venas, ipſa per præcordia
Pervium ſui tenorem ſanguinali tramite
Imbuit, piâque mentes incitat temulentia.
Carne paſti quotquot hujus ſacra menſæ carpimus
Hoſpitem Chriſtum precemur, ebriiq; ſanguine
Maximi nato parentis ſupplicemus gaudiis,
Carminumq; duplicata conferamus jubila.
Mutuo fraterni amoris copulati vinculo
Ad ſuprema templa cœli mentis unanimi gradu
Ite concordes ad unum: próq; thuris polline
Gratias adolete regi, qui clientes ſoſpitat,
Qui ſaluti civitatis univerſi mortuus
Vivit, & largitione publicâ nos educat.
Ipſe panis eſt celebris, nulla quo paſtum ſemel
Nulla temporum ſequentum vexat eſuritio:
Ipſe potus, quo rigatos nulla diſtorquet ſitis.
Ipſe cum ſpectandus illo, quo cibamur, corpore
Pendulus ſcandat tribunal ſtare juſſum nubibus,
Ipſe præſes jura dicet, aſſidebunt Angeli,
Cumq; ſex labor diërum ſæculorum termino
Ibit orbis in favillas, & rogum perdet rogo,
Cum cadaverum citatrix clanget accenſi tuba,
Ipſe nos ſolvet ſepulchri compeditos nexibus
Parte ſecretos ab unâ: nam ſiniſtros ordines
Turba complebit reorum, criminum pœnas pares.

Et ſuos paſſura manes. Nos ſequemur principem
Qua ſuper Phæbi meatus & dierum patriam
Menſtruiq; incerta motus, totq; palantes globos
Purioris ora cœli lactis oſtentat viam,
Æther iſq; candicantis ducit ad palatia.
Turbo non verſabit ultra ſortis humanæ vices:
In locum ſæcli fugacis, inq; momenti locum
Illud æternum ſubibit, & perennis circulus.
Nos beati, nos profundâ luce vibrantes domos,
Et reformati colemus Totius pomæria,
Extimi flammata mundi ſepta, rerum vertices,
Luminis campos patentes, & quietis liberæ,
Nox ubi nunquam timetur, conſciuſque gaudii
Dulce vernanti ſereno blandus arridet dies:
Tecta per gemmantis aulæ ſpargit immenſum jubar
Dia Majeſtas, nec ullo paſſa ſe faſtigio
Mentis attingi, nec ullo vocis æquari ſono,
Et ſui vultus coruſci pectus afflatum beat.
Muſicos inter canores, cœlitùs inter choros
Detinebit feriatos pervigil tranquillitas.
Tunc Jeſu præbitore contubernalis cohors
Cum Cherubino ſenatu fulta ſublimi thoro
Non dato fælicitatis fine convivabimur.

PARAPHRASIS.

In Psalmum LXXXII.

Formidare deum discite judices,
Qui magnis procerum cœtibus interest,
Et suffragia regum
Pendit consiliantium,
Secretusq; foro præsidet arbiter.
Quo tandem nocuos fine fovebitis
Auctores scelerum, nec
Cedet gratia legibus?
Quisve justitiæ stat pudor, aut modus
Venales animæ dicite: cernitis
Ut vos præda superbi
Actoris vocet orbitas;
Et simplex pueri fallere nescii
Aetas fraudibus obnoxia divitum
Nullo vindice? tandem
Pupillis & egentibus
Gratis jura date, & pauperis exteri
Causam justifico solvite calculo.
Quin illum sine labe
Fortuna tenui gregem
Crudeli dominorum eripitis jugo;
Assertúmq; sui jus inopi datis
Turbæ? Saucia vestram
Libertas ad opem fugit.
Sævæ ludibrium triste potentiæ.
Sed Surdis canimus: quippe animos tenet

Alta

Alta inſcitia legum,
Et ſocordia pertinax
Defendit triplici pectora nubilo.
Denſatum tenebris eſt iter: horrida
Vis caliginis atræ
Cæcâ mentem agitat viâ.
At res ſe intereà publica conſilii
Expers mole ſuâ præcipitat: ruunt
Fundamenta: ſoluta
Compages patriæ labat.
Sic eſt: vos, fateor, gloria nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos,
Heroaſq; ſupremi
Auditis ſoboles poli
Rectoris: veniet mors tamen ultima
Rerum meta. pari lege neceſſitas
Plebem deprimit unam,
Et regum pueros: ſua
Nec ſervat tumidos purpura principes.
At tu magne Deus, tu potiùs veni
judex, & tibi dictas
Gentes Imperio preme.

PARAPHRASIS in tres VERSUS POSTREMOS CAP. X.

PROPH. JEREMIÆ.

QUod procul Assyria veniens exercitus ora,
Magne parens, versis in nos victricibus armis
Palmiferum nemus & valles populatur opimas,
Castrorumq; minas circum sacra mœnia tollit
Auspiciis fundata tuis, jamq; imminet urbis
Excidio, non hos Euphrate aut Trigride motus
Ille Semiramia secum devexit ab aula:
Non à coctilibus venit hæc fiducia muris:
Sed lapis ut quondam Balearide tortus habenâ,
Quos non ante habuit sub nubibus invenit ignes,
Sic Babylon, sic regna Nini quæ possidet hæres
Nempe manus sunt tela tuæ: cælestibus itur
Imperiis. Nam sidereos qui temperat orbes,
Idem humana regit vestigia: quicquid ab alto
Imminet huc ultrò tendens ruit obvia fatis
Turba, simulq; venit supera cum lege voluntas.
Nos autem, quocunq; vocas, meruisse fatemur
Omnia: pro populo pœnam non deprecor isto,
Qui toties divûm surdas prostratus ad aures
Impia thuricremis placavit marmora flammis,
Seu morbos sævire jubes, seu protinus atram
Mittis in arva famem, pluvias & subtrahis imbres:
Sive aliud quodcunq; paras, præbemus ad ictus
Devotum caput: ipsa reis placet ultio: sedquiem

Crimi-

Crimina noſtra negant, tua det clementia finem.
Nam ſi dum juſtæ furor in nos æſtuat iræ
Ad pœnas & flagra venis, damnabiuur omnes
Exitio, & pridem populis inviſa profanis
Funus erit Judæa ſui. Sed parce precamur,
Nec totum ultorem noſtris impende ruinis,
Sed multũ miſerantis habe quanquã horrida poſcũt
Supplicium peccata, pater tamen eſſe memento.
Vindictam venia metire, animoq; tumenti
Pone modum: vel ſi nondum deferbuit ardor,
Materiámq; petit, diræ ſunt undíq; gentes,
Quas tua majeſtas, æternáq; gloria nulla
Relligione tenent: cælum pars magna ſolúmque
Artificis ſecura videt. Ferus ille tuóſque
Marte premens, Belum pro te Chaldæus adorat:
Regumq; exuviis, & noſtra clade ſuperbus
Mithræ ſacra facit. Nullos miſêre juvencos
Ad tua templa magi: nullum cæleſtibus aris
Aſſyrii fudere merum. Tamen ecce triumphat
Barbarus, & vaſtat populum tua ſacra colentem,
(Dum te poſſe negat, quos obſidet ipſe, tueri)
Impunè, & campis tentoria figit in illis,
Per quos ſanctus oves armentaq; ſæpè ſecutus
Biſſenæ ſobolis genitor, tua magna voluptas,
Et nemora & colles docuit reſonare Tonantem.
Quin etiam depaſcit agros, & ovilia raptat
Iſacidûm, nequa hinc Salomonis ad atria magnis
Victima ducatur ſolennibus: ut ne pereenns
Ergo foci fileant, Solymæque (ô dedecus) arces
Armatum vacuis videant penetralibus hoſtem.

Ah melius tales, si quid misereris in ipsos
Verte minas: nostri fiant medicina doloris.

ODE IN NATALEM.

NAtalis auræ conscia me dies
Et tot reductis orbibus in caput
Jussere soles dedicatas
Ferre preces, animúmq; cœlo.
Ter ergo septem lubrica circulos
Evolvit ætas? quæ steriles fuga
Protrusit annos? nos inertis
Tempora non reditura vita
Amissa serò quærimus. Interim
Versatur æther, nec citior jugis
Dejectus Alpinis Batavos
Irruit, & mare belluosum.
Tot gentium per nomina, cum nives
Dimisit horror, Maurlciis nitens
Rhenus trophæis, quam fugaces
Astra dies tenebrasq; mutant.
Tenebit horas dum licet, & sequi
Parcet querelis, qui sapientior
Fatigat ardentem juventam
Consiliis, & adhuc negantes
Juvadit annos, da veniam parens
Aeterne, munus si perilit tuum:
Tu ferre cœlestem dedisti
Effigiem, neq; depudendo
Nasci parentum sanguine, sed quibus

Avis

Avita virtus notaq; gloria:
Utcunq; præsentem fatemur
Posteritas meruisse culpam.
Quin & valentem corpus & indolis
Cepit beatum non famulatis humus,
Quem sacra libertas quietum
Pasceret, & patrio vocaret
Sincera cultu religio. Sed heu
Contaminati incuria sæculi
Æterna corruptrix, gravisq;
Segnities onerata luxu
Mersere rectum. Tu semel excita
Cordis veternum; tu juvenilibus
Exolve delictis prioris
Flagitii benè pœnitentem.
Scis quo redemptum jure piaverit
Insons magistri pœna. Precor, precor
Da luce natali novatam
In melius properare vitam.
Ut mens superbi conscia gaudii
Immota rerum non paveat vices,
Seu poscor in leges & acri.
Jura foro, populisq; rebus
Partire curas, seu melius fuit
Mandare seris acta nepotibus,
Atq; interim grates sonanti
Dulce lyra tenuare carmen.

Ode Pro Induciis.

CHriſte, quem cunis puerum jacentem
Impius toto procul orbe Mavors
Fugit, intacti ſcelerum, nec ulla
Cæde madentis
Imperî regem, ſatis ô precamur,
Longa jactatæ per acerba belli
Gentis exemplum dedimus Batavi
Sanguine noſtro:
Qualis ereptum nimis imminenti
Saucius dudum gladiator hoſtem
Vulnerum ſecurus adhuc per omnem
Quærit arenam.
Dicat hoc noſtrum mare, dicat æquor
Creditum ſolis relevare curſus,
Dicat & ſeptem vetitus tueri
Signa trionum
Qui colit terras habitator Indus,
Quanta crudeles ſatiarit iras
Militum virtus inimica noſtris
Funera miſcens.
Nunc furor clauſus, manibuſque fœdis
Horridum Bellona tenens flagellum
Carceri imniugit, nihil & paventes
Sævit in umbras.
Abſit ô tantum dolus & ſimultas
Fraudium cæcas meditata nubes,
Biſque pugnato graviora luſtro

Otia

Otia Teucris:
Omnis ut mundi meritura famam,
Cladibus multis, totidem triumphis
Empta libertas, eat in nepotes
Munus avitum.

EUCHARISTIA.

PRocul profani, qui quod os & quod manus
Oculique monstrant, nec quid ultra creditis,
Queis una mens extensa, ventri obnoxia
Humoque prona gens, & ut summam loquar,
Homines, nisi qua bestiis differt homo:
Quid has stupetis ad dapes? ejus quod est
Nihil videtis: quod videtis id est nihil.
At vos, quibus lux aurea & rerum color,
Quem sole fusum vultus hic noster videt,
Tantum paternæ lucis est radiatio,
Et oculus animi est hoc quod est animus Dei,
Audite Mystæ: Mundus hic unus triplex,
Incorpor, immortalis, & mortalis est,
Quæ sic vocantur, spiritus, cœlum, solum.
Mundi sator divinus à summis Amor
Per media ad ima venit: & variis modis
Hoc universum particeps fecit sui,
Sic esse cœpit quicquid est: simul extitit
Perfector, ima copulans mediis Amor,
Et media summis, ut potirentur bono.
Sic coiit ingens circulus: sic omnia
Tum per deum fiere, tum propter deum,

Quæq; alia fuerant, quia quod unum est non erant,
Ut facta ab uno rursus unum facta sunt.
Sed reliqua quod sunt hoc semel debent Deo:
Soli bis homines, quos creator perditos
Ut recrearet est Deus factus caro,
Caroq; noster panis. Inverso ordine
Quare necesse est & recurrenti vice
Ut iste panis caro, caro fiat Deus.
Panis caducus, fragilis: at contra caro
Cælestis, immortalis: incorpor Deus,
Mens ipsa mentis unde spirant spiritus.
Mediumq; principiumq; cum fine est idem,
Caro Deus, & caro panis, & panis Deus.
Utriusq; sedis qualis in confinio
Locatus astri semilucentis globus
Nunc quo coruscì solis orbem respicit
Vultu nitescens, deserit nigra abditas
In nocte terras, nunc ab inferna micans
Regione nobis candidum obvertit jubar,
Inimica cernens lucis auctorem suæ:
Sic noster animus corpori datus à deo
Hinc medius ipse lucis & caliginis,
Fælix profectò, si quod est clarum sui
Tenens supernè luce lucem respicit,
Altúsq; formam cuncta formantem videt,
Damnans tenebris hoc tenebrosum chaos.
Miser sed idem, jubare depresso Deum
Si derelinquit, inq; materiam cadit,
Quæ quantum abivit à bono tantum mala est.
Si jure periit sanguinis nostri parens

Si-

Simulatq; in epulas à deo descenderat,
Qui contrà ab epulis ad Deum scandit, bonum
Esu recepit, sicut esu perdidit.
Nullæ patescant sensum nobis fores:
Intus vocandum est quicquid animo est virium:
Hebent amantum lumina atq; artus stupent
Quos entheatos sanctus externat furor.
Res tota mentis vertitur: sursum viri,
Sursum est eundum. vivere hoc nostrum est mori:
Nam caro per animum vivit, animus per Deum:
Ille animus animi, quo sine animus mortuus.
Terrena sic pars seq; & ætheream necat:
Nisi vitâ in istâ, vita nascatur nova,
Quæ vita mors prioris, & mors mortis est.
Vita ipsa vitæ mortua hanc vitam dedit.
Quid illud ergo est quo creamur denuò?
Aqua prima rerum mater. At quæ suppetunt
Alimenta natis duret ut vitæ tenor,
Et aucta virtus robur in solidum exeat?
Panis, merumque. Sanguinem terræ, merum
Dixere veteres: farra sunt terræ caro.
Ut ergo fomes ille naturæ calor
Vitæ priori consulens, vultum novat
Faciemque rebus, unit & difformia,
Vinum ut sit homini sanguis, & panis caro:
Sic ignis alter iste, naturæ nihil
Leges moratus, noscque perficiens amor,
Ut intus hominem pascat, & vitæ alteri
Ministret auctus, transitu miro facit
De pane carnem deque vino sanguinem,

Car-

Carnem salutis, & salutis sanguinem:
Ut ille potus & cibus, qui corpora
Hominum solet nutrire, mentes nutriat.
Ita quod nierum panisque carni & sanguini est,
Hoc jam caro sanguisque fiunt mentibus.
Antiquus hic est sermo: mentis filium
Porum fuisse, cui madenti nectare
Permista Penia pignus ediderit sacrum,
Hunc esse Amorem. Scilicet natus dei
Æternus ipse, mente ab æterna satus,
Pulchrúmque princeps, forma vitalis boni
In quo refulget, & perennis gratia,
Exemplar universi, & exemplum patris
Species quod omnes continens unum facit,
Quo cuncta vis divina seque intelligit,
Sic ille dives, insitæ quem conscia
Privationis nostra paupertas adit,
Ut ejus opibus ipsa, quæ nil possidet,
Famem sitímque satiet; hæc verissima
Amoris est origo: sed nemo deum
Amare possit quem Deus non ante amet:
Nam sicut oculus luce non tantum suâ,
Sed solis ipsum luce solem conspicit,
Idémque qui videtur & visum facit:
Adversus & nos sic dei prior est amor,
Et causa nostri amoris adversus deum.
Hic ut beëtur quærit, ille autem ut beët.
Nos certè egestas nostra propellit, deum
Non sua, tamen sua, quippe simulachri sui:
Dei est profectò, nostra non est copia,

Et noſtra tamen eſt, cum ſit in nobis Deus.
Quod amat in id quod amatur ipſum vertitur:
Deus homo factus, ut hominem faceret deum.
Ac ſicut uxor vírque conſortes thori
Inter ſe amoris fœderantur vinculo,
Unúmque fiunt corpus, haud aliter deo
Cœtus fidelis corpus eſt ipſum dei.
Fuêre grana plurima, uvæ plurimæ
Qui panis eſt nunc unus, atque unum merum.
Quanquam caro olim fracta, panis frangitur,
Sanguíſque fuſus, funditur vinum, caro
Tamen una, ſanguis unus, panis unus eſt,
Unúmque vinum: nec minus quorum uſibus
Franguntur & funduntur, unum ſunt & hi.
Rex unus, unus populus eſt: rex in ſuo
Populo: populus in rege, populus, rex idem.
Sed populus eſt ut corpus, & rex ut caput.
In capite mens eſt ordinatrix corporis,
Ita ut ſit eadem tota toto in corpore,
Eadémque tota ſingulis in partibus.
Vitæ prioris ille miſerandus parens
Contaminatam poſteris carnem dedit:
Hac pariter omnes à deo diſceſſimus,
Et ab altero alter, quódque fuimus non ſumus,
Sed aliud ex uno, ſed ex aliquo nihil.
Novæ ſed auctor optimus vitæ, ſua
Pura, innocenti carne donavit ſuos.
Hac reſtituti nos & uniti deo,
Et alteri alter, quod fuimus iterum ſumus,
Et aliud unum eſt, & nihil factum omnia:

Con-

Conjunctus animus carne cum noſtra, facit
Vitam priorem, carne cum prolis Dei
Vitam ſecundam. Non amans tam ſe penes
Quam penes amatum eſt: unde non tam nos caro
Noſtra maculoſos, quàm Dei puros facit.
Mors amor, & idem vita: mors idem domi
Foriſque vita: propter hæc noſtra mori
Nos carne decet, ut carne vivamus Dei.
Lex vetus amare nec nova aliud præcipit,
Primò Deum, deinde & effigiem Dei.
Deus ipſe ſeſe, Deus & ipſe homines amat:
Homines amemus igitur, ut amemus Deum:
Propter ſe amandus Deus; homo propter Deum.
Per multa amoris motus, at in uno quies:
Utcúnq; latè circuli patet ambitus,
Tamen omnis inde linea in centro coit.
Fructus hic amoris eſt voluptas maxima,
Terram colentes quæ ſupra cœlum locat,
Æternitatémq; antevertit tempore.
At & hic amoris uſus, ex ſe gignere
Quod ſimile amato eſt: hoc in animo dicimus
Meditationem: noſtra mens igitur Deum
Figurat ipſúmq; imprimit pulchrum ſibi
Ligante vero: námq; cognitio eſt duplex:
Illa eſt amoris mater, hæc eſt filia:
Sed matre multò filia eſt perfectior:
Ut illa pulchro ſimile, ita hæc pulchro eſt idem.
Si prima virtus mentis eſt ſapientia:
Eadémq; nobis ultima eſt fælicitas,
Et ſapere cuncta eſt ſcire; fælicis erunt

Qui-

Quicunq; poterunt cuncta in uno discere:
Præstare sola quod potest sapientia
Divina, per quam cuncta & in qua cuncta sunt.
Beatitatem donat hanc nobis amor:
Quo noster intellectus, is qui non capit
Formas quidem omnes, capere sed tantùm potest,
Patiq; natus agere nil per se valet,
Fit purus intellectus, inq; actum venit,
Ut cuncta agenti junctus intellectui.
Sic finis absq; fine mentem perficit,
Idemq; sine primordio primordium est.
Te nunc precamur optimumq; & maximum,
Qui solus unus atq; simplex es, quod es:
O causa causarum, & soluta necessitas!
Quies suprema, motus unde omnis venit,
Nihil ipse patiens, cuncta agens, primum, ultimum,
Mediumque, vitæ vita, lux lucis, bonum
Verum boni, natura naturâ prior,
Semper & ubiq; totus, immutabilis,
Ultra supraq; mundum, at in quo mundus est,
Æterna tua mens hoc quod est intelligens
Sapientiam progenuit æqualem sibi,
Se mensa quanta est compari sub imagine.
At hinc videntem colligans visumq; amor
Processit, in se vim repercutiens suam,
Unumq; tria sunt: nam quod es, scis, vis, idem est:
Oramus ergo qualis existis tibi,
Talem ipse te per opera nobis exhibe:
Amorq; primum sancte purgans Spiritus,
Odii repelle virus, & qui nos Deus

Amore amârit inde ſenſum mentibus,
Fac iſtum amorem nos amemus mutuò,
Ut igne natus ignis ignem nutriat.
At tu ſuprema maximi pietas patris,
Verbumque primum ratioque & ſapientia,
Quem monſtrat ille tectus in nobis amor,
Quique ex amore facta nos propter caro es,
Sine patre homo, ſine matre qui fueras deus,
Homo mortuus es ut vinceres mortem deus:
Mors nata falſi: vita tu & veri parens:
A te fluens nos imbuat ſapientia,
Vox vera, vox juſtifica, vox exuſcitans,
Via ad ſalutem, qua tuam ſapientiam
Sapiamus omnes: ergo tenebras disjice,
Ut lux ab ipſa luce lucem proferat.
At tu parens ingenite, fons ſubſtantiæ
Tua ipſe origo, mens coæternis prior,
Ad quem tua illa nos rapit ſapientia
A te profecta, quique amoris ſpiritu
Permotus omne hoc eſſe juſſiſti, tuo
Sapiente verbo, quod prius fuerat nihil,
Hominemque rurſus aliter effectum nihil,
Revocaſti ad eſſe motu eodem ſpiritus,
Per idemque verbum, tolle quodcunque eſt mali,
Bonuſque ſummo fac bono ſimus boni,
Noſtrum eſſe, ab eſſe, ut eſſe concipiat tuo
Deus unus, unus in tribus, fac nos ita
Amare, & intelligere, & eſſe, unum ut ſimul
Fiamus alter alteri, atque unum tibi.

HUGONIS GROTII

SILVARUM

LIBER SECUNDUS.

In quo Patria.

GENEALOGIA

REGIS ALFONSI

ET

REGINÆ ELEONORÆ

In vno Pictum.

GENEALOGIA

NASSAVIORUM.

SEPTEMPLEX genus ex uno, ſtirpemque renatâ
Fœcundam virtute cano, cui fata tuendi
Juſtitiam partes tribuunt, ut ſemper iniquos
Fortunâ famulante premat: quam ſæpè rebelles
Horribilem placidamq; hoſtes ſenſere ſubacti.
Non illa exiguâ paulatim ab origine creſcens
Temporis auxilio, magis ut procederet, uſa eſt:
Non ævi laſſata moris poſt tanta ſeneſcit
Sæcula, defectaq; à nobilitate remittit
Degener: exuperans alias ſe ſemper adæquat.
Hâc cœpit quà finis erat: jam tempore magnis
Elapſo ſpatiis tanquam modò nata vireſcit.
Romulei vectum dedit hæc ad culmen Adolphum
Imperii: fælix, fælix foret ille, negatum
Jure niſi Auſtriades bello quæsîſſet honorem,
Et conjuratis ambiſſet ſceptra Bohemis.
Quinq; hæc ipſa duces gaudenti protulit orbi,
Quos penes optandi jus eſt ex more vetuſto
Cui domino parere velint, & vivere cujus
Cæſareis totum cupiant ſub legibus orbem.
Nam tu Didericum germano Cæſare clarum
Trevir habes: Janum populoſa Moguntia adorat,
Et cum Gerlaco geminatum nomen Adolphos.

Quis genus egregium, formidatamque tyrannis
Progeniem, & belli tot fulmina, totque cientem
Senideos, quorum pietas victricibus armis
Æmula testatur non solo robore vinci,
Hippocrenæo labiis arentibus haustus
Sufficiat de fonte liquor? majora poëtæ
Omnia cum referant, sunt hæc majora poëtis:
Cum nihil haud fingant, si gens spectabitur ista,
Nil veris æquale dabunt: non Castalis istis
Unda fat est. Dic Serra mihi, cur sanguine mistus,
Quoque fluas auctore, tuas quis pinxerit undas:
Et vos Cappadoces populis narrate coloni,
Vicina Iconii qui mœnibus arva juvencis
Finditis, offenso quoties sub vomere teli
Dissiliant fragmenta solo, vel qualia passim
Ossa crepent, tractisque impulsa cadavera rastris.
Rapta quod integrior Sultani è faucibus esset
Pars Asiæ, nec victa foret pars tertia mundi
Unius prædonis ager, si vera fatemur
Nassaviæ est virtutis opus: namque agmine primo
Millia ductabat decies ibi sena Robertus.
Arbitrio fælix hoc Barbarossa fuisti;
Qui primus, quod nos quoque post tot sæcla videmus,
Vidisti, & toti sensisti congrua mundo,
Huic generi servire Deos: quis vincere cordi est,
Nassavios optate duces: spes certa triumphi.
Hoc quingentorum decies cum strage virorum
Ad Guinegata docet cæsis victoria Gallis

Ex

Ex ipsâ revocata fugâ, dum versa repentè
Agmina dux tunidum rapit. Engelbertus in hostem.
Idem etiam missus feriendi fœderis autor,
Exemplo docuit non solo Marte potentes
Nassavios: idem Flandras moderatus habenas
Brugarum indomitam toties compescuit iram,
Dum verbis animos regit, & fera pectora mulcet.
Sic nullis ingratus erat, populique ferocis
Rectorem meruebat amor. Ferrique togæque
Henricus geminus patruum virtutibus æquans
Legatus cum laude fuit: pacisque negandas
Poscere te leges, contemptaque, Galle, pacisci
Fœdera fulmineo perrumpens Marte coëgit.
Quo fessum Cabilone vocas? tua maxima virtus
Augusto spectata diu mea carmina terret,
Infirmasque oneri tanto succedere Musas.
Nos priscos potius Comites, stirpemq; canamus,
Quam stantes aptat, sustentans linea ductus
Mauritio, nostroq; duci jugat arduus ordo,
Declivesque gradus: cujus protendere nomen,
Si nihil egisset tanto jam tempore dignum
Gloria præsentes cujus pertingeret annos,
Unica sufficeret tam magni fama neporis.
Pannonius patrii numen juraverat Istri
Devicto galeas demùm deponere Rheno:
Non illud toleravit Otho, vindexque pudoris
Teutonici, & toties jam rupti fœderis ultor
Intrepidam domuit gentem: nam cæsa cruentis
Mille quater decies jacuere cadavera ripis:

Hoc Rhenum tenuere modò, frontesq; reliquit
Cassida: non antè in jugulum Germanicus ensis
Altius Hungaricum descenderat: hoc duce primùm,
Imperii reparatus honos: Alemannia tantum
Huic debet, quantum tot dudùm amiserat annis.
Sed præter domitos celebrandis cladibus Hunnos
Qui Colopinq; Savumq; bibunt, annemque Baguntî,
Nassoviis semper Mars quantum indulserit armis,
Dalmata testis erit, merituq; vocabula Sclavus,
Illyricusq;, & qui Naronis fluminа potat.
Fælicem nimiùm gentem, cui nil inest ipse
Militiæ pater, & jurant in classica Divi!
Quos successoris Walravum jure secutos,
Est toties miratus Otho, Magnicq; probavit
Nassovio sudore notam. Nil fortius illo:
Ne causam mirere tamen, nil justius illo.
Cum sibi vicino peteretur culta Triboccho
Alsatia, & multis fœdus Lotharingia castris
Gallorum, Lodoice, manu, Walravia virtus
Emicuit, causæq; nihil confidere iniquæ
Admonuit: jussis rursum tibi missus in armis
Suppetias tulit, & duros ultura rebelles
Patria Parrhisiam tentoria fixit ad urbem,
Pallida translatum cùm vidit Gallia Rhenum
Despectas ausum per tot juga ducere leges.
Tanta fides, jurisq; metus servator honesti
Huic fuit, & quotquot tanto sunt semine creti.

Hic

Hic Wenceſlai fraternâ cæde madentem
Eſſe Deum docuit, regeret qui bella, Bohemum:
Cum fatum ſecum traheret, nil profuit illi
Luſtrorum mora longa trium: non degener idem
Nunquam majores infami cæde fugavit
Pannonios, galeiſq; Lycum victricibus hauſit.
Hunc ſequitur patrii Walravus nominis hæres:
Ille Roberte tibi pater eſt: te prælia bina,
Et decies ſenas Henrico Cæſare pugnas
Intrepidâ geſſiſſe manu, (quis credere poſſet?)
Non dubitant nunquam dubitandi tradere faſti.
Reſtituens puero rectori totius orbis
Depoſitum ad juſtos foviſti principis annos.
Vincenti toties non unquam defuit hoſtis:
Semper erat tibi Saxo ferax: tua dextera & ipſam
Sub juga vi captam Romam Romana redegit,
Pannonicis eadem toties ditata trophæis.
O ſemper te digna gerens, ſemperq; renatâ
Nobilitate virens, nunquam tibi degener ipſi,
Et cujus ſobolem genitorum fata ſequuntur,
Una domus toties una de gente triumphans.
Hinc alius Walravus adeſt: gratiſſimus ille
Cæſar erat, Conrade, tibi: qui fidus ubique
Cæſareas Aquilas Romanaq; pila ſecutus
Saxonas, & Bavaros domuit, fratremq; Superbi
Hungaricis fretum auxiliis, Siculoſq; minantem.
Illius & Phrygiæ valles, quas clade cruentâ
Montibus æquavit, virtutem dicere poſſint,
Mæandriq; vagos toties mutantia curſus
Flumina, quæ largos mutârunt ſanguine fluctus.

Quàm propè tunc fuerat Solyme ut devicta fuisset!
Hoc quoque debuerat titulis accedere tantis.
Perfide cur Manuel sociorum laudibus obstas?
Filius Henricus studiosum pacis Othonem
Progenuit, natusque iterum est Henricus ab illo
Nomine avum referens, pacatâ mente parentem.
Hos post tot magno genitos Mavorte Quirinos
Profuit esse Numas. Hinc nomen Divitis illis.
Optimus Henricus latè ditionibus æquis
Teutonicos saltus, & Norica rura tenebat.
Testis opum solus nascentis conscius Istri
Abnoba, quem citra locuples regnabat, & ultra.
Henrico generatus Otho, cui Loïna ritè.
Fraternas distinxit opes, atque arbiter amnis
Fines rexit, aquisq; interluit arva sequestris.
Tertius Henricus genitorem jactat Othonem,
Qui dillenbergas æquauit nubibus arces.
Postquàm Henricus erat cupidis præreptus astris,
Tu succedis Otho Viti cognomine Burgo,
Parteq; Grimbergæ, dotaliq; auctè Viandâ.
Sic etiam magni princeps successor Othonis
Clivia cessisset, cessisset Marcia tellus
Jane tibi, nisi jura ferox tenuisset Erinnys,
Quæ spolium de dote tulit: nec tæda jugalis
Engelberte tibi nîl profuit: addita Bredæ
Lecca tibi est, & jure tua est Polana marito.
Et tibi Burgundo junctissime Jane Philippo,
Maxime gentis honos, expugnatorque Dynantî
Auspiciis Caroli, non parvam fœmina dotem

Attu-

Attulit, & patribus duro Mavorte paratas
Fert Hymenæus opes: sic vobis maximus æther
Servit, & effundit pleno se Copia cornu.
Quid succedentem Jani hunc quoque nomine natum
Moribus extollam, aut nulli cedentibus armis?
Exuperat laudes, quicquid laudabile gessit.
O Pietas! O rara fides! non desiit ejus
Ceu vitæ connexus amor meminisse sepulti
Regis, at in sobolem transcurrit gratia patris.
Nam Comes Austriaci Castellæ in regna Philippi
Ut quondam coluit cum sceptra teneret, & auras,
Sic coluit post fata virum: nec pignora (mirum)
Plùs unquam sua, quàm natum curavit herilem:
Cumq; solo evecti Regis raperetur iniquis
Bæticolæ insidiis bello quæsita supellex,
Obstitit, & gemmas, & magni ponderis aurum,
Detulit hæredi: cœlesti ex arce Philippus
Vidit, & (heu frustra!) cœlo clamavit ab alto:
Quotquot ab Austriacâ surgetis gente nepotes,
Discite ab eventu: tutò qui credere vultis,
Credite Nassaviis: Hispano fidite nulli,
Illum Bolsuarti obsidio flavente Sicamber
Cæsarie stupuit: Frisius miratus eundem est:
Quisque foret sensêre hic hostis, & alter amicus.
Illum bis septem celebrat Neoporta diebus
Hostili subrepta jugo, & donata Batavis
Aspera, cùm Geldros sævâ modò cæde tumentes
Jam profugos unâ docuit dare terga ruinâ.
Hoc natus Guilielmus, opes cui præter avitas
Catho-

Catthorum acceſſit ditio te judice Cæſar.
Hic ditis quoq; nomen habet, ſed ditior idem,
Si non pura foret veneratus ſacra, fuiſſet.
Sic ſincera nocet pietas, odiumq; meretur
Relligio: ſemperque bonis mala ſæviùs inſtant.
Magnus Arauſiades, ſequitur par nomine patri,
Par pietate patri, ſed cui par nullus in armis,
Ille niſi ſolus qui ſe cupit eſſe minorem,
Præferriq́ue patri meritorum laude recuſat.
Aſpice nos, ſi forſan adhuc mortalia curas,
Nec pietas Batavos erga, Guilielme receſſit,
Quos tua fælices fecit manus, aſpice natum,
Qui nos non patitur, licèt haud patiamur & ipſi,
Non meminiſſe tui. Quis relligionis amorem,
Prudentemq́; animum natum iſtis rebus agendis,
Virtutemq́; canat? Manſueta modeſtia puræ
Mentis erat cuſtos, exulq́; ſuperbia ceſſit
Corde pio, nunquamq́; nimis tua canduit ira.
Peſſima cùm paterere diu, meliora putâſti,
Sperâſtiq́; tamen: nec ſi quid forſan Iberus
Prætendens nomen proprio regale furori
Auſus erat, poteras irato aſſcribere regi,
Quin etiam in mortem magna mercede petitus
Nîl metuis, lethumq; juvat præferre timori:
Cumq́; tibi placeat, quam nobis, ſancte, dediſti
Libertas, quam jura tui te perdere mavis.
Evenêre Tagi nunquam caritura pudore
Crimina, queîs nondum reperêre vocabula lingua,
Nec titulum natura dedit: quo nomine dicas
Prodere, cumq́; ſuis alienas vendere vitas?

Barbara ſemiferis nutrix Hiſpania Mauris,
Inam de cunctis meritò te cernere terris
ol metuit, mergitq́; diem cum noſtra cohortes
rva tegant, equitentq́; tuæ tot collibns alæ,
d cædem ſine Marte venis! dic perfida tellus,
ndorum tantis nondum ſatiata ruinis,
uis tibi bella negat? cur talibus uteris armis?
indictam, tanto ſceleri quæ debita, nullis
uppliciis explere potes, licet ipſa cremetur
iſpalis, & toto ſeſe Tagus exuat auro,
anguineis ſpectandus aquis, teſtabor inultum
unus Araufiadæ; ſi quid tamen arma valebunt
oc noles feciſſe nefas, quid dira paveſcis?
ulla fraude cades: dabimus concurrere campo:
eſperias clades totum ſpargemus in orbem.
antabricæ centum ſcindant freta noſtra carinæ:
os face, nos ferro votum faciemus Iberis
aufragium feciſſe tuis. Te claſſe ſequemur.
adibus exuſtis terrarum meta peribit,
t fortunatæ nomen mutabimus oræ.
inc Brabanta tuo tellus, hinc Flandra madebit
anguine: nec noſtro tantum ſub Marte jacebis:
e tua ſigna prement; non eſt odiiſve maliſve
erminus; ultores ipſos veniemus ad Indos:
indictâ Batavum populus gaudebit Eous.

HISTO-

SI ſatis Heſperiæ noſtro maduere ſecures
Sanguine, & affines manibus cecidêre ſuorum,
Si fera civiles explevit dextra furores,
Communiq́; pudet ſceleri tot vindice nullo
Impenſas inſontum animas, ſi pœnitet ipſos
Jam monſtrata ſibi paſſos exempla magiſtros,
Quid gratis ſervire juvat? metus ecquis adegit
Deteriora pati, quam quæ potuere timeri?
Fata, reos nos fata vocant: te patria ſontes
Prodimus. Heu! fueras quondam fœcunda virorum
Belgica: ſed fueras: nunc nil miſerantis Iberi
Relliquiæ deflenda jaces. O degener orbis!
O pudor! En ubi nunc, ubi libertatis amantes
Harmodius, Brutiq́; duo: ſibi maxima tellus
Ultores effœta negat, gaudetq́; domari.
At fœlix mihi Roma tamen cum Cecropis urbe,
Quiſq́; ſuis ſervire datum. Gens barbara Belgis
Imperat, incenditq́; in mutua vulnera cives,
Degeneres damnabit avos pia cura nepotum,
Conſorteſq́; jugi meritò indignabitur Indos.
Occiduo (miranda canam) de ſole profectæ
Solem prima ſacræ reparantem incendia flammæ,
Surgentemq́ue vadis acies vidêre Philippi,
Et matutinos veſper migravit in ortus.
Ergo tui, crudelis Iber, meta ultima regni
Hinc Tagus, hinc Ganges erit, hinc duo cornua Rheni.
At non uſq́ue adeò trepidas ignavia mentes

Obſi-

Obſidet: illa priùs redit in præcordia virtus,
Ingenuoq́; graves verſat ſub corde dolores:
Concita Libertas furit, & ſe diſcere quiſque
Incipit: inventi qui per diſcrimina vitæ
Eſſe ſui quærunt: domini præ morte timentes.
Excuſſêre jugum tota cervice Batavi
Rectores ſpumantis aquæ, virtuſque ſecunda
Mattiacûm, Friſiiq́;, paludicolæq́; Sicambri.
Quis benè tantarum nobis molimina rerum
Pandat, & infandi repetens exordia motus
Inclyta Arauſiadæ conſignet bella papyro,
Albaniq́; Ducis furias, & mobile vulgus,
Ambiguamq́; fidem toties, & ſanguinis æquor,
Spemq́; unam ſperare nihil? te patria, Borri,
Deſtinat immenſo judex non falſa labori.
Si quas cura tibi Quæſtoria liberat horas,
Sedulus his totos fugientes atteris annos:
His victura diu luci vigilatur & auræ
Belgias: O quotquot rerum monumenta priorum
Scribitis! humani per vos injuria ſæcli
Vincitur, & curſus properantis ſiſtitur ævi,
Sævaq́; penſantur noſtræ diſpendia vitæ:
Dumq́; legunt homines quæ geſta, geruntq́; legen-
Ante diem partus vivunt, poſt funera vivunt. (da,
Quis leget hæc, quem non aut gloria gentis avitæ
Incitet, aut odium diri crudele Tyranni
Armet, & in lachrymas cognata cadavera cogant!
Placârat domitos Parmenſis cura furores:
Vilia ſævitum jamdudum in corpora vulgi,
Et juſſi patriæ ſummum valedicere terræ,

Quos

Quos patriæ ſtimulârat amor: ſuccedere miſſus
Alba ferox, longeq́; ſua truculentior unda,
Herculeis ubi meta viis freta fervida Calpe
Claudit, & oppoſitam ſpectat; ſublimè columnam
Surgere, quæ terræ mutat cum littore nomen.
Perfidus innocui, quodcunq́; ſuperfuit ille
Sanguinis exhauſit: nec jam plebeia placebant
Funera, ſed proceres detruſi in carceris umbram,
Heroumq́; genus, damnataq́; colla machæræ,
Quæ non paſſa jugum. Capital ſit crimen Ibero
Diſplicuiſſe Duci: ſceleriq́; (O ſæcula) tanto
Jus datur. Hornanum vidit Bruxella cadentem:
At tibi quid laudata tui clementia regis,
Aut quid donatum Phryxæi velleris aurum,
Et Grevelinganæ prodeſt victoria pugnæ?
Scilicet ereptus Gallorum, Egmonde, periclis,
Carnifici ſervatus eras. Metus unicus Albæ eſt,
Ne nihil auderent hoc rerum in turbine cives:
Et cauſam bellis patientia tanta negaret.
Venerat armatus nullo prohibente, nec uſus
Militis ullus erat: tamen extorquenda videntur
Prælia: quærendum, quod erat prætendere Marti,
Nec ſervare juvat, ſed diro quærere Belgas
Marte, ſed imperii juratas frangere leges,
Et ſibi mancipio totas aſſcribere terras:
Ut Tarteſſiaci foret una colonia regni
Quicquid Moſa rigat, Scaldiſq́ue, aut oſtia Rheni,
Unus ager regis. Capita irè in ſingula, magnus
Judicibus nimis ille labor. Rea Belgica tota eſt:
Damnaturq́; ingens regio, damnantur & urbes:

Accu-

Accuſans ſedet Alba,& ait, migrate rebelles.
Tu quoq; migrâſti, ſed enim damnaris, Arauſi,
Abſens, inq; tuo contemnis fulmina regno
Tutus, & O utinam tecum tuus ille maneret
Filius, heu! Grudiis qui nunc abreptus Athenis
Audit(at ignoras)crudelis barbara Vergæ
Iuſſa, patremq; procul vocat,& ſacra jura Lycæi.
Ille tamen, quanquam tum primùm ſupplice vultu,
Munus it Heſperio regi: Tu Cæſaris aures
Sollicitas nequicquam, & magnos cogis amicos.
Interea fumant ambuſtis civibus urbes,
Sanguineiq; fluunt rivi: ſpes una tyrannis,
Cënæ ſurgunt arces: loca fœta laborant
Præſidiis. Quid non ſedes Antiſtitis olim
Mobile Trajectum,quid non Antuerpia paſſa es?
Tu Ducis,heu! faſtus,titulosq; ſubacta videbas,
Et poſitum victâ de libertate trophæum.
Reſtiterat decimis animos tentare ſubactos,
Et precibus nunquam rectorum addicta priorum
Exigere armato nova veſtigalia juſſus.
Ergone collatis pretium tibi Belgica gazis
Servitii luet ipſa ſui? ſic quicquid habebit
Piſcus erit? ſulcabit, Iber, tibi navita pontum,
Aut procul ad veſtras fugient commercia Gades?
Dî tantum prohibete nefas: vos, ſi quid in iſto
Reſtat adhuc ſanguis populo, prohibete coloni.
Omnibus amiſſis vetus eſt, iraq; coactos
Ales tentare novas. Sic vis Romana premendo
Crevit,& injuſti fremitis deſpexit Amuſi.
Tunc quoq; vicinis terrores gentibus ambo

In luſtris latuêre Duces latuiſtis in illis
Vos quoq; qui experti longè genus omne ferarum
Mitius Hiſpano, fugiſtis ab urbibus illis
In quibus hoſtis erat, tutiq; habitaſtis in antris.
Inde vbi creverunt animi vindictaq; fortes
Fecit, & extremis urgens in rebus egeſtas,
Hoſtibus ereptas nemoroſis condere caſtris
Divitias, aptoq; inopem traducere vitam
Silvicolæ didicere manus. Exlegibus illis
Lex ſuprema fuit populi ſervâſſe ſalutem,
Et propè conciderant ut poſſent jura renaſci.
Altera pars Albam gremio ſecura fefellit
Hoſpitis Oceani, mortiq; pericula certæ
Prætulit armatis ſcindens freta vaſta carinis,
Littoribus, ripiſq; timor. Quo patria credam
Te latuiſſe loco, terris dominante Tyranno,
Civibus at pelago belli mutantibus æſtum?
Non tu fixa ſolo. Reſpublica ſparſa per æquor
Claſſis erat, pelaguſq; focos, araſq; tenebat,
Quotq; rates totidem ſteterant in fluctibus urbes:
Ite boni cives: vobiſcum Belgica terris
Exulat, & noſtros peregrè vehit unda Penates.
Alba ſibi metuat. Fugitivis contigit ultor,
Et, quiſquis tamen ille, venit, qui pulſus ab Anglis
Cogitur in Batavo navali aquærere portu.

Brila celebrabunt te divitis oſtia Moſæ:
Libertas incæpta magis: tibi poſtera laudes
Heſperio non preſſa jugo meditabitur ætas,
Fliſſingæque pari meritis, niſi tempore cedat.
Accenſi exemplis animi, dum nemo recuſat

Mor-

Monſtratâ ſemel ire via. jamq; unda Bameſtræ,
Jamq; potens Enchuſa mari, & contermina Flævo
Mœnia: & à Friſiis quæ ſeparat ora Batavos
Contingens Zephyro Friſios, Aquilone Batavos,
Eluſere minas nil tale timentis Iberi,
Seq; urbes cepere ſibi: mea patria Delphi
Gaudaq; nomen aquæ referens Thuridreſq; ſecuti,
Vicinumq; tuæ Gorichemum Corbulo foſſæ.
Inde & Bommelia, & Veronæ proxima noſtræ
Alcmara dives opum, ſedeſq; futura Camœnis
Lugdunum proavis habitata Colonia Cattis,
Inq; Salum quondam delapſi conſcia Rheni.
Quanta fames illam, quæ peſtis, & altera peſtis
Obſidio quam dira premet? tamen ille fidelis
Libertatis amor, præfractaq; pectora durant,
Miſſaq; ſervantur volucri mandata columba.
Urbs quoq; quæ magni cunabula jactat Eraſmi,
Non viſura iterum cædes tot inulta ſuorum,
Additur, & veteres Hiſpani dedecus undæ.
Sed nec dura diu, ſed nec Schonhovia ceſſat
Longiùs Harlemumq; Caninefatibus olim
Culta viris, quorum ferratis cognita roſtris
Ad Peluſiacos venit victoria fines.
Hæc tamen ingenio quantum fas fidere Ibero
Exemplum decepta dedit, cum mutua ſeptem
Menſibus exactis poſt prælia, ſpemq; metumque,
Dedita crudeli ſævitum in corpora ferro eſt.
Si tamen, O! ferro tantum, neque pœna fuiſſet
Æquor & infami lethalis in arbore nodus:
Interea Batavis dum tanta geruntur, ab omni,

Fervere parte Duces, armisq; lacessere Maurum:
Ante alios fratrem Lodovici dextra juvabat.
Illius Hannonium cepit sollertia Montem:
Victa Valencena est: hujus brevis usus: at illam
Tempore post aliquo Dux cingit Ibericus urbem,
Obsessaq; diu præsens vix ipse potitur.
Gens Frisia à multo jamdudum effræna, jugiq;
Impatiens ævo, domini pertæsa ferocis,
Jamq; armis impulsa ruit: sed motus inanis
Ille nimis, populiq; trucis deferbuit ira
Succedente metu, cum nil patre mitior Alba
Filius, in pariter trepidos tulit arma Sicambros.
Namq; illos etiam, quosq; alluit Isala campos
Traxerat in partes magis imprudentia vulgi,
Quam patriæ cordatus amor: didicere quid esset
Non benè firmato meditari pectore bellum,
Zutphaniæ cives; nusquam crudelius actum.
Ingenii certamen erat, quæpœna placeret,
Qua sibi semanimes superessent morte negata.
Heu quod ubiq; ruunt utriusq; cadavera sexus,
Uxoresq; virum pueriq; ante ora parentum!
Isala fert primos, & corpora prima secundos.
Credimus, an mendax augendæ fama laborat
Invidiæ, ut steterit congestis stragibus amnis,
An propè vera fuit: nisi (quod puto) gurgite pleno
Prorumpens feciſſet iter sibi sanguis, & una
Hærentes traxisset aquas, secumq; tulisset.
Ipsa fatetur ab his vinci mala cuncta vetustas
At sua, Narda negat: quæ cives testibus aris
(O scelus infandum!) truncatos vidit inermes

Dira

Dira, nec ætati, generi nec dextra pepercit:
Præcipitata senum, puerum prærupta, virorum
Fata ferâ violata manu! cecidisse sub uno
Corpore quis binos, commortua viscera matri
Credat, & infanti nec visum lumen ademptum?
Audiit hanc veniens Brabantis victor ab oris
Ductor Arausiades cladem, multasq; sequentes,
Deq; obiter partis sibi vix supersesse triumphis
Nivellam, Grudiosq; & fluminis ostia Ruræ.
Altior insurgit tamen, & navalia pugnat
Prælia, & in terris arctatus, in æquore regnat:
Audet & exiguis depellere viribus hostem
Littore Zelando, Valachrorumq; obsidet urbes,
Gertrudisq; capit servantem nomina Bergam.
Nec minus Alba furens animi tamen omnia versat
Successu caritura suo; rapit omnia contrà
Adversum toties frangenti fœdera cœlum,
Juratusq; deus. Seu Medemelaca jubetur,
Sive dolis Enchusa peti: jam prodita nostris
Proditio: sive obsidio placet Alcmera, Narda
Civibus ante oculos, cineresq; & funera circum.
Hæc sibi quisq; timet: depellit comiùs hostem
A muris armata cohors: imbellior ætas,
Alcmeriæq; nurus ingenti pondere saxa
Ferventemq; picem, rapidæq; incendia flammæ
Mœnibus & fracti jaculantur culmina tecti.
Sive habet immissis ratibus, quà spectat ad austros
Infestum pelagus, capitur prætoria puppis,
Vinctus & hostilem trahitur Bossu jus ad Hornam.

Amſteliamq́; ubem (namq́; uſibus illa marinis
Tunc famulata Duci eſt) domini propè pœnitet
Albæ:
Unica quæ Batavûm, patriæ communibus auſis
Defuit: ignorabat enim quo tempore ſeſe
Fœdere junxiſſet ſociis, mox protinùs ipſam
Ceſſuram Rhodon, & Delum, bimaremq́; Corinthũ,
Ingentemq́; ſuis pandendum claſſibus orbem.
Et loca quæ nunquam credant habitata priores
Nulla futura ſibi, quæ non ſint invia ſoli.
Tot votis fruſtratus erat: ſententia ſedit
Cingere Lugdunum: titulo neq́; nobilis ullo
Hæc prior obſidio eſt: nam nondum venerat hora
Qua, dicámne urbem magis an civile ſepulchrum?
Eripuit tumido vindex Neptunus Ibero.
Amiſſus tamen antè locus, quo Moſa domatur
Objice, & alludit Batavis innoxius agris:
Et noſtri quondam regni caput Haga futurum,
Nataque deliciis ſedes: ibi ſacra Senatus
Conſilia, & Proceres, & curia noſtra triumphat,
Nunc Turenhoutanis, nunc Flandris aucta trophæis.
Fortia ibi toties ſuperato ſoſpes Ibero
Pectora Mauritius victricibus exuit armis:
Sic reperit bellum pluſquàm quæſiverat Alba,
Cumque advorſa ſibi cuncta, & fluere omnia retro
Conſpiceret, patrias Coriæ remeavit ad artes,
Toletumque ſuum, reſonaret ut aurea credo
Ripa Tagi laudes, Valachræ poſt littora terræ
Perdita, poſt Batavos, quod non amiſerat omnes.
Succeſſor Requeſenus adeſt. hic meta laborís:
Tertiu

Tertius Albanis liber hic qui scribitur actis
Desinit, & sextum consignat Borrius annum,
Borrius hac felix opera: mirabitur hospes
Cum leget hæc, Belgas tot passos summa, tot ausos:
Justius at cives; diras tum solvet Ibero
Belgica posteritas, scriptori præmia laudum,
Quæ libertatis merces manet una magistrum.

III. Pars Historiæ obsidii Lugdunensis.

Consul Petrus Adriani Wervius cives quosdam tumultuantes ita alloquitur.

ONimium facilis domino servire minanti
Plebs ignara mori! si vobis, debita cunctis
Mors tam grande malum, fuerant patienda Tyranni
Jussa; nefas illos pro libertate moveri
Servitii finem qui plusquàm regna pavescunt.
Nempe truces Albæ furias, & dira catastæ
Supplicia, & decimas, & quicquid bella merentur
Hi pepulere animi, non gens in fata ruentes,
Et queîs summa mali famulantem ducere vitam?
Quid mihi monstratis veniens à morte cadaver
Et modò pallentes oculos? hæc spectat Iberum
Invidia & populos Baldæi signa sequentes.
Si gravis usq; adeò est, quam virtus prisca virorum
Sæpe tulit nec jussa famem, discedite turba
Degener atq; epulas dominorum quærite castris.
Vadat, & intrepidam contactu liberet urbem
Qui prece dignatur non longi temporis ævum

Servet ut in pœnas animam; non civibus istis
Tempus eget: sed nos quibus est sua patria cordi,
Torrida dum nondum tenuis per viscera sanguis
Aruit, adversùs saturum pugnabimus hostem.
Prodierit hæc rabies, obsessoremq; docebit
Quamlibet impastis gladium non posse negari.
Qui metuit tantùm, ne se fera perdat egestas,
Hoc armis debere potest: trahat agmina secum
Hesperia in fatum, saltem virtute coacta
Fortis & hostili rapiat cum funere mortem,
Vindex ipse sui, summæq; haud prodigus horæ.
Languidus exhaustor cum jam non sustinet artus
Omnis in Hispanum civis ruat. Ergone Nardæ
Excidit, atq; ipsas mactatum vulgus ad aras,
Quas miseris sævi jurârât filius Albæ?
Hoc placet, O cives, ad Iberica pacta reverti?
Absit, & hanc saltem Rhenus me consule pestem
Nesciat. Hispano nihil est bellante putandum
Tutius esse fame, strictos nisi militis enses.
An spes nulla patet, cui ne pereuntia servent
Corpora? Nos igitur melius premet improba mentis
Credulitas quam justa fides, ut postera quicquid
Accidit asscribat patriis erroribus ætas,
Acceptumq; ferant vobis servire nepotes?
At quanto Ausonidum pro fœdere capta Sagunthos
Fortius, Annibalis veniæ quæ prætulit ignes?
Pro pudor, exemplo si vincimur urbis Iberæ!
Nos quoque venturæ Cattorum ab origine gentes
A fama celebrent non degenerâsse parentum:
Nec sine Lugduno memores referatur in annos

Libertas

Libertas Batavum. Quanquam deprensa periclis
Non videt optatos hominum prudentia casus,
Quid votis pendere vetat? Tam justa tuentes
Despondere animum scelus est. Habet ista faventem
Causa Deum: siquid solitum credique meretur,
Lugduno prodesse nefas: pars vera sequatur
Fabius atque pium, quæ noster Arausius arma
Induat, an videat regnorum injusta probetque,
Sanciet æternum nova per miracula numen.
Cum dederit fractis omnis fiducia rebus,
Incipiet spes prima mihi. Si terra negabit
Auxilium, veniet totis cum fluctibus æquor,
Occlusisq; viis ibunt mandata per auras,
Succurret miseris quicquid natura recusat.
Si nihil hæc prosunt, si certæ pignora vitæ
Quæritis, & video jamdudum infensa loquenti
Quas paret ira minas, nihil hoc terrore movemur.
Quicunq; esse potest perituri corporis usus,
Accipite: infecto quæ manat ab aëre tabes,
An fragiles artus penuria solvat edendi,
An furiosa manus, quæ vestra est sola potestas,
Nil moror, huc omnes ignavi vertite ferrum,
Mergite adhuc siccos in sanguine consulis enses.
Me patriam & leges & nomina vana cientem
Scindite: quid fertis prohibentem alimenta paciſci,
Qui cibus esse potest? consumptis omnibus escis
Jam dudùm, mensæ quas non novere priores,
Humanis dapibus supereſt homo; rodite justis
Partibus æquali divisum vulnere corpus,
Et semel insueto jejunia solvite morsu.

En ultrò jugulum mortemque vocantia vobis
Membra fero. Tantùm precor hoc pro luce, refecti
Viſceribus noſtris, ſervantes mœnia paucos
Expectate dies, dum qua licet omnia Princeps
Comparat, & ſocio veniunt à littore claſſes.
Hoc ſatisfante jugum moriar, trabeaſq; relinquam.
Soſpite me Batavâ non ſtabit in urbe poteſtas
Major, & aut leges & libera jura manebunt,
Aut fruſtrà me quæret Iber. Sic ille profatus
Ediderat Batavo dignas & Conſule voces.

Oratio ad milites quoſdam conſternatos poſt victoriam Neoportanam.

SAnguinis hoc igitur pretium tantoque labore
Quæritur victi terris fuga? claſſibus æquor
Teximus, hoſtiles turmis oneravimus agros,
Scilicet ut liceat flandrâ tellure reverti,
Totque ſimul populos & tanta moventibus arma
In votis exire fuit? Num Scotica virtus
Et qui de Valachro veniebat littore miles
Cum periit nobis, hoc credidit? ah! nimis illi
Vilis vita fuit cui contigit unica merces
Quod ſociis abiiſſe datur. Quin agmina tanta
Cum premerent, nec ſpes miſeris foret ulla ſalutis,
Talibus inter ſe firmabant pectora dictis:
State viri: patriæ certas impendite mortes.
Quo caditis campo, quem veſter ſanguis inundat,
Hoſtibus iſte perit: non victe ſed obrute miles
Qua potes arva tene; victori Flandria cedet:

Si qua

Si qua fides cras in Batavâ tellure jacebis.
Scilicet æternos tumuli florentis honores,
Et memores titulos, structas & aggere prædas
Nassaviaq; manu solatia fortibus umbris
Sperabant; queis si meritos à morte potiri
Non fuit, at melius certè fortuna negasset.
Nunc ultrò nos illa reos agit, arma virosque
Implorans: superûm nescimus dona tueri.
O scelus ignotum nullis non hactenùs armis!
Egregii manes cœlo pelagoque teguntur.
Quis socios vicisse putet? præcidite funem,
Deserite infaustum littus, terrasque nocentes.
Talia quis loquitur victor? Dic improbe miles
Quid faceres aliud, traheret si compede sæva
Mauritium Mendoza ducem? quæ præmia belli
Cepimus? alterno mutatum sanguine littus,
Captivumque senem? Quis enim ferat hostibus istos
Exprobrare fugam? nam quod Burgundica signa
Ostentant, Hagæ nihil est hæc posse videri,
Quæ meliùs Brugis Gandavique arce locâssent.

ANNA.

ANNALES DOUSARUM.

ULtima decrepito currunt dum sæcula mundo
Mœonidæ post tempus, Aristotelisque superbum
Ingenio, metuens jamdudùm effœta videri,
Ausa recollectis uteri conatibus uno
Quicquid erat veterum partu superare recenti,
Dousiaden natura dedit, legumq; suarum
Transfuga fælici tam seri temporis ævo
Æthereum donavit opus: te, Dousa, parentem
Cœlesti dedit infanti, qui lucis in oras
Editus ipse sua tellurem luce bearet,
Æmulus astrorum radiis; surrexit in altum
Igneus ille animi vigor, & sublimis origo
Protulit ardentem, non illum prisca latebant
Tempora; non longos quot mundus vixerat annos,
Non loca, non toto nobiscum dissita cœlo
Australis plaga sæva poli, ceu quicquid ubique
Conspiceret sol ipse, suo dictaret alumno.
Nec vili contenta solo nostratibus hæsit
Partibus, in patrium sed mens migravit Olympum,
Cœlitibusq; dedit leges, & ut ordine justo
Sidus in æthereos se quodq; revolveret orbes,
Motator cœli fuit, astrorumq; magister.
Tandem ubi per paucos terras contempserat annos
Spiritus, angusto nimiùm se carcere claudi
Indignatus abit, repetit sua sidera Janus

Lu-

Lustrorum vix quinque senex, quemque antè tenebat.
Ingenio, nunc totus habet, nunc liber Olympum,
Fortunæq; vices, & rerum lubrica ridet.
Jamque Lyram pulsat fidicen, quæ proxima Nixo
Signa tenet, cantatque Deum mundiq; figuras,
Antiquumque chaos: miratur carmina Delphin,
Atque novo nuper ditatus fidere Cygnus.
Succinit ipse æther, & ducunt astra choreas.
Ipse super nati sedem sibi legit in aula,
Unde suis vultu Batavis affulget amico,
Quaque potest contra Belgarum nominis hostes
Fata movet, nobis fælices temperat urnas.
At vos Dousiadæ salvete o posthuma proles
Annales! fidi quos patria pignus amoris
Servat, & hâc totum circum mare navigat aura.
Antiquas Batavum sedes, et jundaque Cattis
Nomina, Romulei socios fratresq; vocatos
Imperij, raramq; fidem, cui tempore tanto
Depositum vitæ dominorum credidit orbis,
Audiet extremus Gange, Guinæq; colonus
Audiet, & jam non ultra pars tertia terris
Afer, & Hesperiis subjecta securibus omnis
India, in occiduum latè qua tenditur axem.
Quæ Didricos tellus nostros, quæ nescier ætas,
Et Frisios domitos, & Trajectina Batavum
Prælia? Dousiaden jam jam, Dousamque parentem,
Qui canit Arctoo fusas ex littore classes,
In quo Janus ad huc nobis genitore superstes
Vivit, & expectat non frustrà digna laboris

Sup-

Supplementa sui, totus legit orbis, & ambos
Æterno super astra vehens dignatur honore,
Ambos laude pares, hunc vitâ, hunc morte priorem
Posteritas totidem quos grata remunerat annis,
Quot nobis tribuere suis Annalibus annos.

MATHEMATICA
PRINCIPIS
MAURITII.

QUis liber æthereos census, & divite charta
Naturæ partiris opes? Niline papyrus?
Et Pelusiacæ tibi decrevere paludes
Inter Mercurii tabulas, aut fistra reperto
Isidos, & vultus imitantia signa ferarum?
An vetus aula Phari genuit, priscique Necephi
Archivis servata manus? te Bactra dederunt,
An Ninyæ domus, & magni penetralia Beli?
An decus hoc partus exploratricibus undis
Rhenus habet? Batavo natales amne probati
Promeruere fidem: nobis ea gloria surgit:
Quæque nec Euphratis populus, nec civis Eoi
Audiit, invictum solitus qui quærere Mithram
Assyrio ritu magus; & prece cogere Lunam,
Aut exoratos omento ducere Divos:
Nec tumulis ignem celebrat qui messe Sabæa,
Fertque Deos fœna dona Deum, nec torrida Memphi

Fer-

Fertilis Arctoi ſedes tulit ultima mundi.
Sunt animis rebuſque vices, ſapientia migrat
Ipſa, nec immotas retinet per ſæcula ſedes.
Principio Danaës populos habitârit, an Indos
Ambiguum? certant Babylon, & regia Nili,
Brachmanumque genus: nec vos, pia turba, filebo
Celtarum Druides, quorum commenta tegebant
Avia lucorum, concretaque robora viſco.
Gloria in incerto eſt: veſtigia priſca ſuperſunt
Temporis, & quantum ſatis eſt periiſſe videri.
Græcia ſucceſſit ſtudiis, Ciceleſque Samoſque
Et Pandioniæ multùm dubitaſtis Athenæ
Socraticâ præeunte domo, radiantibus aſtris
Parcus honor Latio: ſecuri diſcere cœlum,
Aſſeruere manu terrarum regna Quirites.
Vana ſuperſtitio legem donare futuris,
Figmentoque favens nimis, & ſibi credulus error
Auſoniæ, tantùm placuere potentibus aulæ
Factenùs, & ſeptem tetigerunt ſidera montes.
At ſerus plùs vidit Arabs, Nabathæaque diri
Regna Muhammidis, pelagique extrema rubentis,
Nos egreſſa ſinus ratio ſibi conſcia cœli
Nunc ad Hyperborei glacialia venit Olympi
Culmina, divinas huc poſtquàm tranſtulit artes
Tycho Getes, radianſque ſuis Copernicus aſtris
Et neque privatis contenta penatibus ultrà
Tangit Arauſiacis parentem legibus orbem,
Hoſpitio dignata Ducis, qui gentibus aſtra
Dividit, & terras, & quod tenet omnia cœlum
Unus mente tenet, cui maximus imputat æther

Jam

Jam noſci meliore fide, tantumque moventi
Miratur patuiſſe polus, quæ ſæcula credent?
Ille pater patriæ, cui jam bis ſeptima vincit
Meſſis, & Heſperios exarmat dextra furores,
Cornua dum Rheni toties, vahalimq; Sicambrum
Fulmineo mavorte domat, Moſæque rebellis
Mœnia, Palladias animum demittit in artes;
Evincitque ſuam non una laude Minervam.
Nec ſatis eſt ſuperatus Iber, victoria mundus
Major, & immenſus rerum natura triumphus.
Sic alterna juvant: ſic poſt tot caſtra, tot arces,
Poſt clades Turenhouta tuas & Flandrica nuper
Littora, Varaxi multùm lætatus opimis,
Mendoſaniq; trahens, inter ſqualentia campis
Funera, & Hiſpanis infectum cædibus æquor
Tranquillum meditatur opus, ſibiique otia pebus
Indulget graviora ſuis, & cedere regum
Exuvias, cœloque jubet ſervire trophæa.
Qualis ab Heſperio quondam Tirynthius orbe
Victor, ubi ſolus nocturna cubilia Gades
Liquerat, & triplici terras rectore madentes
Geryonæ dives ſpoliis, Atlante remiſſo
Suſtinuit ſuperos, & poſt fera juſſa noverca
Extrenius labor aſtra tulit, meruitque ferendo.
Jam bellatorem Macetam nitrata veruſtas
Deſinat, Iliacas quanquam ſub caſſide pugnas
Legit, & Euphrati Gangem cum jungeret armis
Carmine Prælatum ſibi ſuſpiravit Achillem,
Æacidem Hecubæque faces, & amore feroces
Diſcere Tantalidas, Ithaciique biluſtribus armis

Æqua

Æquatum pelagus, quæ gloria defidis hæc eſt
Temporis! Ille, cui Tellus anguſta Triumphis,
Cum peteret plures, unum malè noverat orbem.
Mauirtium majora decent; nec bella, nec Ammon
Huic animo genuere parem. Cùm claſſica ceſſant
Victrices ſtridere tubæ, quæ verterat urbes
Eſt radiis armata manus: vocat alter euntem
Pulvis, & inſcriptum formarum ductibus æquor.
Tunc fata exigere, & totos penetrare receſſus,
Naſſaviaſque datum ſub leges mittere mundum.
Non tantum Germanus eques, Rhodaniq; catervæ,
Quoſque ſub Hybernis Alpes aluêre pruinis,
Huc frameas & gæſa ferunt: non Belgica tantum,
Non Friſii, Latioque auſi ſe dicere fratres
Gens invicta mari, non æquore cincta Britanno,
Quæque Caledoniis horreſcunt agmina ſilvis
In numeros, & ſigna ruunt: venit omnis Olympus
Ad lituos: Ledæa venit concordia fratrum;
Argolicum mutavit herum, faſſuſque laborem
Deficit Alcides, & cum duce vincere vellet:
Mauritio minor it Perſeus, neque tantus Orion:
Militat ipſe pater Mavors, & ſidera Divûm
Conjurant, ferique arma ſibi contraria veſper.
Gratulor hoc nobis: Batavi, cœlumque ſub uno
Vivimus imperio. Tuque o, Germania tantis
Quam quondam impoſuit populis caput, inclita
Lugdunum: neq; te Romani gloria Montis (gaude
Jam juvet, aut veteri Cattorum ab origine regnum,
Quàm famulum vidiſſe polum: tu patria libro
Incipis; hunc ipſæ voluiſſent ſcribere Parcæ.

Hunc amet Uranie tanto didiciſſe magiſtro.
Præſens numen adeſt: multamque oracula rerum,
Plus auctoris habent: nec enim tam Delphica rupes
Certa canit, nec virgin bus bacchata Sibyllis
Antra Deûm, quâ ſcripta ducis. Quis ſemina rerum
Et Palamedeæ momenta potentia ſummæ,
Sacraque Pythagoræ numeros, nec cognita priſcis
Pondera metiri labor eſt, abacique figuras,
Huc omnes coëant animi: quæque æthera totum
Provocat ingenio, cœli ſpatia ignea luſtrans,
Ardenteſque à ſole vias, huc longa vetuſtas
Confluat, & victam ſeſe miretur in uno.
Nil Cnydos obj'ciet Batavis; nîl mœnibus ultrà
Pellæis, Mægareque damus: Salaminia tellus,
Oſtiaque æſtiferi cedent Peluſia Nili,
Sic quoque victus Iber: ſcrutatoremque profundi
Ætheris Alphonſum ſuperavimus: Heſperus illi
Quo ſuus, aut ſolem propiùs vidiſſe cadentem!
Et tu nequicquam patriis excepte ruinis
Marcelli victoris amor, ferventia menſus
Littora, & innumeras primò inficiatus arenas
Das palmam non ſponte Duci, titulumque ſepulchri
Diſſimulas, clauſuris jactas nec in orbe Cylindrum
Atque utinam, cum tu deſpectans curva Pachyni
Littora in Auſoniam torſiſti fulmina claſſem,
Ille Syracuſias potiùs ſediſſet ad arces
Dux Italæ pubis: nec enim victore periſſes
Mauritio. Tanta imperii reverentia caſtris.
Et jam Sicanios curru raptante triumphos
Vellet Arauſiades etiam te vincere Ductor,

Non

Non Arethuſæos magis admiratus amores,
Et flammas coëuntis aquæ, quàm cærula curſus
Æthærei ſpatia, & fragilis mendacia mundi,
Sidereoque tuam noctem radiare metallo:
Quin potuit monſtrare tibi certamine vitri
Se meliùs præſtare Jovem: ſive iret in artes
Bellonæ, raperet medias ex æquore claſſes
Sublimi per inane fugam, ſuſpenderet urbes
Aëre, telluremque nova tellure moveret.
Audax ingenii, poſtquàm ſatis aurea vertit
Aſtra poli, cœloque ſuas circumtulit horas,
Ad terrena redit, nihil hîc ſuperare relictum.
Ipſa animo natura minor, furtoque latentes
Mauritii fœlix reperit ſolertia cauſas:
Invenit in Terræ venas iter: unde Veſevi (minis
Flamma jugis, Hieræque faces: quibus Ætna ca-
Ardent, & quantis eructet fluctibus ignes
Sæva polo: quæ tanta coquant incendia terras,
Quid faciat montes, ſparſaſque per æquora cautes;
Quid per operta ſoli, per credita manibus antra
Depoſitas ſubmittat opes: cur æquora turbet
Seditio, dum Luna procul pendentibus undis
Erigit Oceanum, dimiſſaque cærula rurſus
Reddit aquis: quæ ſit ratio creſcentibus arvis:
Unde Parætonio fœcunda licentia Nilo:
Cur ruat in Borean, Arctoaque ſidera magnes
Ceu terram ductante polo; quîs molibus undis
Arva neges, & juſſa feras in littora Pontum:
Prævertit mens omne vigil: tot ſæcla tenebris
Damnat, & humanis ſolvit miracula curis

Hunc amet Uranie tanto didiciſſe magiſtro.
Præſens numen adeſt: multamque oracula rerum,
Plus auctoris habent: nec enim tam Delphica rupes
Certa canit, nec virgin bus bacchata Sibyllis
Antra Deûm, quã ſcripta ducis. Quis ſemina rerum
Et Palamedeæ momenta potentia ſummæ,
Sacraque Pythagoræ numeros, nec cognita priſcis
Pondera metiri labor eſt, abacique figuras,
Huc omnes coëant animi: quæque æthera totum
Provocat ingenio, cœli ſpatia ignea luſtrans,
Ardenteſque à ſole vias, huc longa vetuſtas
Confluat, & victam ſeſe miretur in uno.
Nil Cnydos obj'ciet Batavis; nil mœnibus ultrà
Pellæis, Mægareque damus: Salaminia tellus,
Oſtiaque æſtiferi cedent Peluſia Nili,
Sic quoque victus Iber: ſcrutatoremque profundi
Ætheris Alphonſum ſuperavimus: Heſperus illi
Quo ſuus, aut ſolem propiùs vidiſſe cadentem!
Et tu nequicquam patriis excepte ruinis
Marcelli victoris amor, ferventia menſus
Littora, & innumeras primò inficiatus arenas
Das palmam non ſponte Duci, titulumque ſepulchri
Diſſimulas, clauſuue jactas nec in orbe Cylindrum
Atque utinam, cum tu deſpectans curva Pachyni
Littora in Auſoniam torſiſti fulmina claſſem,
Ille Syracuſias potiùs ſediſſet ad arces
Dux Italæ pubis: nec enim victore periſſes
Mauritio. Tanta imperii reverentia caſtris.
Et jam Sicanios curru raptante triumphos
Vellet Arauſiades etiam te vincere Ductor,

Non

Non Arethuſæos magis admiratus amores,
Et flammas coëuntis aquæ, quàm cærula curſus
Æthærei ſpatia, & fragilis mendacia mundi,
Sidereoque tuam noctem radiare metallo:
Quin potuit monſtrare tibi certanúne vitri
Se meliùs præſtare Jovem: ſive iret in artes
Bellonæ, raperet medias ex æquore claſſes
Sublimi per inane fugam, ſuſpenderet urbes
Aëre, telluremque nova tellure moveret.
Audax ingenii, poſtquàm ſatis aurea vertit
Aſtra poli, cœloque ſuas circumtulit horas,
Ad terrena redit, nihil hîc ſuperare relictum.
Ipſa animo natura minor, furtoque latentes
Mauritii fœlix reperit ſolertia cauſas:
Invenit in Terræ venas iter: unde Veſevi (minis
Flamma jugis, Hieræque faces: quibus Ætna ca-
Ardent, & quantis eructet fluctibus ignes
Sæva polo: quæ tanta coquant incendia terras,
Quid faciat montes, ſparſaſque per æquora cautes;
Quid per operta ſoli, per credita manibus antra
Depoſitas ſubmittat opes: cur æquora turbet
Seditio, dum Luna procul pendentibus undis
Erigit Oceanum, dimiſſaque cærula rurſus
Reddit aquis: quæ ſit ratio creſcentibus arvis:
Unde Parætonio fœcunda licentia Nilo:
Cur ruat in Borean, Arctoaque ſidera magnes
Ceu terram ductante polo; quîs molibus undis
Arva neges, & juſſa feras in littora Pontum:
Prævertit mens omne vigil: tot fœcla tenebris
Damnat, & humanis ſolvit miracula curis

N[illegible] dedit vitæ diversi temporis ætas
S[illegible]es partita sibi nec parva reperta
Detrivere dies & nondum nota reponent.
Multa latent, nostriq́; fugit commercia sensus
Indeprensa fides: adversúmne astra lacessunt
Orbis iter pensantq́; fugam labentis Olympi?
Credimus? an terræ referuntur deside mundo,
Nosq́; rotat vertigo soli, nos currimus annum,
Invitiq́ue diem rapimus, dum fluctuat aër
Vastus & octavo trepidat vaga sidere tellus?
Namq́ue etiam nostris (mirum) sub passibus infra
Tot populos, urbesq́; premi mersasq́; videri
Alternis gentes non omnis credidit ætas,
Cum parcè tentata fides maris, & sua tellus
Grata satis, pelagusq́ue novos submoverat orbes.
At nunc auriferum velis arcessimus Indum,
Sinarumq́ue plagas: dum vota fugacibus auris
Credimus & dubio deponimus æquore vitam,
Nulla remota satis sunt littora quaq́ue cucurrit
Lyncibus Eois ingens ululatibus Evan,
Et quæ pacatis statuit divortia terris
Maximus Alcides: neque gentibus ultima Thule.
Jam sacra Parrhasij secreta reteximus Axis,
Arctoümq́; chaos, pereunt ubi terra tenebris,
Unda gelu, nebulisq́; dies & noctibus anni:
Tantùm tristis hyems & cano gurgite Tethys
Re[illegible]na tenent habitata feris, Boreæq́; furenti
P[illegible]via. Victores quo pervenere Batavi,
N[illegible]n potuit sol ipse sequi: Naturaq́; rerum
Interit à nostris nondum deserta carinis.

Quin

Quin etiam oppoſitum patriis ſulcavimus æquor
Fluctibus, atque tuâ puppim religavimus orâ,
Quæ Lybien Aſiamque ſimul, quæ virginis æquas
Littus Agenoreæ, rerum pars maxima, ſeu tu
Cecropiæ fueras Atlantica terra ſenectæ,
Seu procul atra fugis noſtræ contagia vitæ
Hactenùs antiqui ſæclo ſervata metalli,
Et vel adhuc ignota fores, niſi dira libido
Bætin & abſtruſi ſitis inſatiabilis auri
Ferret in abruptum; quàm nunc America velles
Indomitâ cervice mori! quàm pondera clavæ
In dominum ſbciis cuperes librare Batavis!
Nec tantùm qua regnat Iber, ſed fervida teriæ
Clauſtra Magellano nomen debentia nautæ
Perfregere rates, & mundi fœdere rupto
Adverſi coïere poli: ſtetit æquore claſſis
Noſtra ſuum mirata diem, ſtupuitque reverſam
Temperiem, & patrios alieno cardine ſoles.
Signiferi flammæ dextros referuntur in ortus,
Et paria haud pariternobiſcum ſidera ſurgunt.
Terra Noto ſubjecta jacet, ſupraque Canopum
Auſtri ſigna videt: tantundem poſſidet axis
Mauritio fulgore minus, quo vincitur aſtro.
Salve prime ducum, libertatiſque reductæ
Magne parens, & vince diu: tibi capta Batava
Roſtra ferant puppes, & totum ſerviat æquor.
Imperii dos iſta tui eſt. Cum prima juventus
Poſt ſcelus Heſperium patriis ſucceſſit habenis,
Ingentem pelago debellatura Philippum
Bellonæ concurrit hyems: ardentia tranſtra

Viderunt Morini, formidataſque Britannis
Velivolas acies non ſolùm perdidit æquor.
Bella etiam noſtris ratibus pendentia mœret,
Et raptas Tarteſſus opes, quæque arva priores
Fortunata vocant: tibi conſummatur in orbem
Orbis iter: toties mutatâ navibus umbrâ
Dum redeunt perit una dies, damnoque probantur
Arctati rerum fines includere Faſti.
Inde fretum, ſemperque novo ſub ſidere terræ
In nomen crevere tuum: tu proxima Plauſtro
Regna tenes, tituliſque tuis inſcribitur ortus:
Sceptra maris dominum te nunc Eöa ſalutant,
Legatique procul ſupremo littore miſſi
Taprobanes ſocias inclinavere tiaras.
Sis fœlix ſtudiiſq; fave; nîl chara morabor
Tempora ſolennes domino meritura triumphos.
Jam ferrum belli maculis inſigne coruſcans
Vertice deſpectas acies, dum cornua juſſum
Concipiunt, lituique ſonis eliditur aër:
At ſonipes tibi Marte calens, & murmure rauco
In turmas, inque arma ruit; tremit ærea caſſis,
Et cono radiatus apex, & flammeus auro
Diſcutit umbo jubas, ſpargitq; à pulvere nubes.
Mœnia vel quaſſas, collapſurumque ſuperbæ
Turris opus: tua vel circundas agmina vallo,
Cogis & invitos famulari legibus enſes:
Aut ubi Pierii ſtudiis placuere receſſus,
Hîc quoq; caſtra locas, bellumque per otia ludis,
Et pugnæ ſimulachra cies: jam pingit arenam
Et loricato metatur limite campum

Ingenioſa quies; alias ſervator Olympi
Mente vaga Etranſis hominem, mundoq; potiris.
Mox cadit in terras animus, vel frœnat habenis
Canitiem ſpumantis aquæ, cæcumque per æquor
Quærit ab occaſu quæ linea ſeparet ortum:
Sæpè agitas conſulta togæ, cùm teſte Senatu
Arma moves, clademque truci promittis Ibero.
Sæpè Magiſtratus populis, belloq; magiſtros,
Ductoreſque legis, patriam partitus in omnes,
Aut vitæ das jura reis, parciſque ſeveris
Legibus, & veniâ vindictam judicis æquas.
Horarum pars nulla perit; non parcior ævi
Scipiades, curis indelaſſabile pectus,
Perfidiæ terror: Lybicæ qui tranſtulit in ſe
Annibalem prohibens Tarpeiis arcibus ignes:
Nec cui debentur Latii primordia regni,
Cæſareumque tuo tranſmiſſum nomen Adolpho
Julius: hic quanquam dubio minùs ordine juſſit
Ire diem, Phœbumque novum verſavit in orbem,
Et domito faſtos audet præponere Rheno,
Arma tamen faſceſque tibi ſubmittit, & annum.

HUGONIS GROTII

MYRTILUS,

SIVE

IDYLLIUM NAUTICUM,

AD

DANIELEM HEINSIUM.

PRIMA mihi ſylvis, & amœno fonte relicto
Fiſtula ad Oceani fluctus, & ad æquora venit,
Æquora quæ Batavis potiùs cantanda Poëtis.
Nam neque me tantum ſaltus, aut paſcua circum,
Aut Hagæ nemus omne meæ juvat, invia quantum
Littora, pendentéſque domus, ſcopulique cavernæ
Non audita cano: Labor hic tibi ſumitur Heinſi;
Heinſi noſter amor, ſi quid mea carmina poſſunt,
Te Lybicus Garamas, te Java loquetur, & Indi,
Et puppes Auſtrina ferent ad ſidera cœli
Dia Sophocleo tua pulpita quaſſa cothurno.
Dicite formoſæ Nereides, inclyta Ponti
Numina, quas voces, quæ carmina Myrtilus inter
Aërias rupes, & reſpondentia ſaxa
Cochlidis inſano jactârit ſaucius igni.
Jam defuncta malis pelagi ratis, acta per altum
Venit ad hos fines, ubi dividit inſula pontum

Cara

Cara mihi, & ſolo notiſſima Cochlidis antro.
Tiphy ratim ſerva: ſi nox collegerit Euros,
Anchora demiſſo deſcendat in æquora ferro,
Aut littus prætexe, malus ſi ſæviet Auſter:
Sed brevia, & rapidos æſtus fuge: dextera multis
Eſt via cæca vadis: ſecurius ire ſiniſtra.
Cochli, quid expectas? quin, ut priùs ipſa ſolebas,
Proſpicis inconſi ſpecula de montis in undas,
Méque procul reducem longo clamore ſalutas?
Heu! quis mutavit mihi te Deus? an tibi pectus
Tranſverſum novus egit amor? ne fallite nautæ,
Súmne alius, quàm nuper eram, cum candida Dor-
Diceret, Heſperiis Dorcas prælata puellis; [cas
Pulcher es: ipſe tibi me judice cedat Amyclas.
Illa quidem dixit: ſed vix ego credulus illi,
Ipſe tamen, tamen in placido me flumine vidi,
Hirſutáſque genas, & latæ frontis honorem,
Et roſeos crines, & cærula menta notavi,
Qualia vel Neptunus habet, uel qualia Nereus.
Teſtis anus Crotale, quæ ter mihi, Myrtile, dixit,
Deſpue: lingua tuos ne faſcinet invida vultus.
Hæc eadem canto, quæ cùm cantaret Arion,
Mulceretque Deos pelagi, circumſtetit omnis
Delphinum chorus, & vatem ſervavit in undis:
Scilicet aut Boreæ veteres, & Erichthidos ignes,
Aut Phorci laudes, aut cæruleam Amphitriten.
Æmulus at concha mihi perſtrepit æquora Triton,
Mirantúrque ſonum Panope, Panopeſque ſorores,
Et Proteus, & Glaucus, & Inous Melicerta.
Heu placeo Nymphis! at non tibi: ſola marinos

Deſpi-

Deſpicis amplexus crudelis,& oſcula vitas.
Quem fugis ah demens? ſecuerunt Dî quoq; Pon-
Et magni Minyæ Reges, & primus Jaſon (tum,
Per freta duxerunt abituram in ſidera puppim.
Naviſragis jactatus aquis incendit Ulyſſes
Sole ſatam Circen, Atlantiademque Calypſo,
Et ſibi Nauſicaê tales optavit amores.
Quid juvat, illa ſuum ſi me faſtidit Ulyſſem,
Quæ mihi Nauſicaâ, Circe prior, atque Calypſo?
Sæpè ego te vidi, meminiſſes improba Cochli,
Cùm per arenarum tumulos,& littora, conchas
Oceani legeremus opes: nam tunc ego primùm
Cum patre tentavi raucum mare, veris adulti
Tempore, necdum ullâ pictus lanugine malas.
Sæpè etiam, ſerâ quoties ſub nocte venirem,
Siccaſti æquoreis manantes imbribus artus:
Nec te pœniteat; priùs hoc quoq; fecerat Hero,
Cujus ego & turrim Seſtæo in littore vidi,
Natáque collegi vicinis oſtrea ſaxis.
En etiam tibi dona fero miſer, en nucis Indæ
Pocla, quibus potavit Arabs. Siniſq; petitum
Fictile: non aliàs tremui propiore periclo,
Et niſi Leucothoen mea tunc in vota vocâſſem,
Infælix Stygias iviſſem nauta ſub undas.
Quin & Teutonicis mecum fero condita teſtis
Smegmata, in Oceanum labentis munera Rheni.
His etenim Batavi, ſoli ſulcare periti
Puppe ſalum Batavi, cœlóque indicere ventos,
Martia gens toto pelagi diviſa profundo,
Menſe quater rutilant nodatos arte capillos:

Hoc

Hoc ego pigmentum poſcenti nuper Erinnæ
(Nata fuit magni Barcemonis illa) negavi:
Quamvis multa diu per Dorida, per Galateam,
Per Thetin, erroreſque meos quemcunq; per orbẽ,
Luminibus pætis, & blanda voce rogaret.
Et poteram donaſſe tamen: nam ſaxea non eſt,
At tu nil miſereris: in hoc ego pactile ſertum
Effundam rabido flagrantes corde dolores.
Ipſe tibi Rubro prædatus in æquore ſilvam
Alternas laurus, & Medica mala jugavi.
Nunc labor ille perit: nam tu mea munera curas,
Quantum dura ſilex pontum, vel littora pontus.
Huc ades, ut caſtâ velatus tempora quercu
Fortuno ante alios, & Dîs, quorum æquora curro,
Sacra feram, reddámq; reus ſolennia vota,
Quæ rerum Oceanus genitor, quæ Tethys, & ipſe
Nympharũ accipiat Nereus pater. O mea Cochli!
Huc ades, ut cellis mecum deprompta Falernis
Muſta bibas, cæſãque canens epulere juvenca:
Aut ſi fortè juvant thynni, molléſque plateſſæ
Te magis, & ſoleæ, mecum piſcabitur Olpis:
Eſt mihi nanque domi non invidioſa ſupellex,
Piſcellæ virides, nodoſáque texta plagarum,
Filáque, & hærentes maculis humentibus algæ,
Cum Labyrinthæo plexis errore ſagenis.
Sunt jacula, & tumido fluitantes cortice fundæ.
Pendet & æquoreo pecori lethalis arundo,
Setaque, & impliciti lumbricis pinguibus hami.
Quid loquor infælix? Cochlis nihil audit, & idẽ
Qui mea vela ſolent, venti, mea verba tulerunt

Si

Si tibi dulce mei nihil eſt, ô ferrea! verè
Ferrea, dulce tamen mea mors erit: aſpice tantùm
Ibo per has cautes, ſummóque cacumine lapſus
Deferar in fluctus: nomen mihi debeat æquor,
Myrtoúmque novum fiat mare: vivite rupes.
Fallor? an huc Cochlis reſpexit, & omnia circum
Flabra ſilent, blandique favet pellacia Ponti?
Hic recubans cantabo: jubet locus, altáque ſubter
Saxa ſupercilio cohibent umbracula rupes.
Cochli, quid in ſolis conſumere cautibus ævum?
Te juvat, & penſis viridem donare juventam,
Dum teneros multo digitos ſubtemine laſſat
Mater anus? noſtram potiùs conſcende carinam.
Illîc & vitrei fluctus & marmora Divûm
Prona jacent, ſpeculoque ſali ſtat ſolis imago,
Et picturato reſplendet in æquore cœlum;
Sacráque Naturæ miracula, gurges aquarum
Inſequitur Phœben, caudam Cynoſurida magnes
Quid mirum? ſua quæque trahunt: te, Myrtil
Cochlis.
Illîc falſa ſalo labentibus inſula, cete,
Et validæ Piſtres, & Phyſeteres anheli,
Phocarumque natant examina: Pompilus illîc
Per mare veliferum puppim comitatur euntem.
Illîc nata Venus, comitata Cupidine parvo,
Nunc etiam conchâ patrias quæ navigat undas,
Nudatóque ſinu pulcherrima Cymodocea
Captat in apricis vernantes fluctibus auras.
Nam neq; ſemper aquæ furit implacabilis æſtus
Ventorúmque fremit laxato carcere vulgus.

Sup

Sunt etiam Ponto ſua gaudia; ſæpè per æſtum
Surgite pacato ridet mare: ſæpè remotis
Vulturno, & Borea, pluviámque cientibus Auſtris
Oebalios tantùm Zephyrus ſuſpirat amores.
Longa Miniſteriis ſunt otia, pace ſerena
Mitia cum placidi requieſcunt terga profundi,
Altáque languenti deſcendunt cornua velo.
Ergo igitur tacito luctantur in æquore tonſæ,
Aut ubi jam ferrum premit unco dente carinam,
Non genus irrequies, alii, quorum indiget uſus,
Buxea ligna damus rudibus tornata figuris:
Pars facilem oramus reditum, ventumq; ferentem
Lucentes in puppe Deos: pars ſidera cœli
Metimur radio, & totum deſcribimus Axem.
Sollertis labor ille Tyri: qui prima meatus
Errantes, & ſigna Polo labentia vidit.
Tunc noſci cœpere Feræ, cuſtoſque Ferarum
Arctophylax tardè pelagum ſubiturus; & alter
Ille quis eſt, lucet trino cui baltheus igne?
Heu miſer excludor, duráque in rupe relinquor
Inclementibus! ipſe parat radiis liventibus atrum
Sol Tarteſſiacis immergere fluctibus orbem.

IN-

INAUGURATIO REGIS BRITANNIARUM ANNO CIↃ.IↃ C.II.

BIna Caledoniæ ſociantur regna coronæ,
Biſq; novum Jacobi debetur crinibus aurum
Hunc ſibi, quem poſſit cunctis impendere ſæclis
Delegit natura diem. Tria ſceptra profundi
In magnum cojere ducem, donumq́me Britannæ
Tethyos ad cultus tandem revocata viriles
Gaudet Hydaſpeis incendi purpura gemmis.
Ille diu votum Populi, qui voce petitus
Unanimi procerum, qui, ſi non jura dediſſem
Sanguinis, imperium potuit virtute mereri,
Rector adeſt, viduaſque manu tranſumit habenas
Nubila diſiciat Phœbus, placidiq́ue ſerenum
Principis ignaris oſtentans gentibus æther
Sic Jacobum regnare probet: lucemq́; Britannis
Mundus agat, quam vix tenui caligine turbat
Juppiter, & cæcas prohibet ſuccedere noctes.
Anglica dum ſolitæ peragit ſolennia pompæ
Majeſtatis honos ſceptroq́; inſignis avito
Scotus adoratur Normanni nominis hæres,
Regia ſolares teneant ſpectacula currus,
Tótque dies eat una dies: fax aurea nuſquam
Occidat, & ſoli tenebris damnentur Iberi.
Tuq́; parens rerum (nec enim mentita veruſtas
Omnia) quo primùm complexo informia regni
Em erſit natura rudis, præſentia priſcis

Quan

Quando fidem faciunt, & te jam pignore tanto
Credible eſt genuiſſe Deos, age cærula major
Oceane, extremum nunc te procul addere ponto
Littus, & invitâ quamvis fas creſcere lunâ.
Sume animos à rege tuo meliore levatus
Sidere, nec cælo populos quocunque calentes
Sole, per immenſum quem circum volveris orbem,
Quis det jura mari? ſciat hoc ferus axe nivoſo
Sauromates, ſciat hoc Lybies ardentis alumnus,
Et qui Boſphorias arces, quiq; ultima ſervat
Ecbatana, & patrii cuſtos Gangeticus auri.
O mihi ſi nullo deſes torpore juventus,
Menſqve capax æſtri tantos perferre tumultus
Audeat, an potiùs ſceleratæ crimina Phlegræ,
Thebarumque nefas toties, & mænia dicam
Hectoreâ defenſa manu, quam Nereos almi
Orcadas & refluo pendentem gurgite Thulen!
Teque ô Jüvernæ qui littora, quique Britannos
Tot quondam validis partitum gentibus orbem
Unus habes, quantus mihi ferret in æthera cantu
Spiritus, imperio ſimul & virtute parentum
Majorem, regnoque decus? ſed ſumma poteſtas
Impatiens modici nulliſque æquanda Camænis
Terret adhuc, non ipſa mihi Parnaſſia rupes
Plùs uno poſſeſſa deo, cætuſque ſororum
Sufficiant. At ſiqua tamen nos ire per altum
Aura jubet, ma jus ſedeat mihi pectore numen.
Ipſe veni, vireſq; tuas ſonitumq; beatæ
Da, Princeps Auguſte, lyræ. Tua ſola per orbem
Implicuere ſibi noſtras diademata laurus.

Nam

Nam vis velivolas acies, fluctuſque cruentos
Jonii (par iſta Cypro tum reddita clades)
Neſciat, extremos etiam cantata per Indos?
Tantus & heroas patrios qui dicere poſſes
Solus eras. Quæ cura Dei, non ſimplice regum
Sanguine, non quovis quod te demiſerit oſtro,
Sed quo nobilius nihil eſt, aut laudis avitæ
Ditius, & digno naturæ à principe naſci.
Certa ducum retrò ſeries, ſed cujus origo
Oceani cum fonte latet: ſeu credimus orbis
Merſi relliquias, cum littora prima ſequendi
Jus fuit, & viſos ventis arceſſere montes,
Hic quoq; poſt tantos fluctus jam longius auſus,
Humanum reparaſſe genus: ſeu fœta virorum
Celtica gens populos Ædudum miſit in æquor,
Artabricæ pertæſa plagæ: mox major Jerne
Cepit, & in veteres Brittonum tranſtulit oras:
Seu propiore fide Scythici commercia reſtant
Nominis, & multùm crudæ virtutis imago,
Seu quodcunque genus, ſoli non invidus æther
Stare diu, nulliſque dedit ſuccumbere ſæclis.
Jam toties redeunte polo bis dena per orbem
Circumflexa tulit centenus ſæcula Titan,
Signa Caledoniis ſteterunt cum Scotica campis
Ferguſii clangente tubâ: manet ille nepotum
Sanguis, & in ſobolem cognata potentia durat.
Intereà viros Macetûm, faſceſque Latinos
Vertit longa dies, nullæque à tempore tanto
Succedunt in ſceptra manus. Quid fata parabant,
Tam conſtans aut unde favor? cur Scotica tantum

Nil

Nil annis in jura licet? Tu ſcilicet olim
Accepturus eras: te conſcia fata verentur,
Inque ſuas cùm regna vices damnaverit, unum
Excepit fortuna tibi. Licèt omnia caſus
Magna ſuos metuant, Jacobo promiſſa poteſtas
Cum terris, pelagoque manet. Quæ ſidera gentis,
Stuartos Proceres, an te Duglaſſia virtus
Muſa canat, pauciſque datum duo tangere ſceptra,
Biſque atavos numerare duces utriuſque Britanni,
Et totum regale genus? vetus iſte tuorum
Eſt labor, & memores ingentia nomina: magni
Sanguinis Albino ſacrârunt carmine Bardi.
Nos propiora vocant. Quæ tecum traderet aulæ
Prima cies, cœlumque ſuo ſpoliaret alumno,
Aſtra polo fulſiſſe putem? Terrás ne reviſit,
Et ſua naſcenti donavit ſæcula virgo?
An chelæ fulſere pares? an cardine Eoo
Cæſaris Auguſti capricornus reddidit ortum?
Arx habuit ſuprema Jovem: nil triſte minanti
Sole Cleonæum radii preſſere Leonem,
Qua cordis flammatur honos; præſagia lecti
Blanda Venus Geticas placidè reſpexit ad Arctos.
Fert viſum Majæ ſoboles: manifeſtior ignis
Phryxæas oſtentat opes. Cur omnia candent
Aſtra Lyræ? Regine fides prælufit Jernes,
An vatem lux iſta dabit? nam fulminis ales
Major Arionium cernit clareſcere ſidus.
Quid, quod Cyaneis nîl territa rupibus Argo
Tota patet, triniſque nitent convexa coronis?
Tunc Gades tremuiſſe ferunt, quæq; ultima Phœbus

Regna videt, nondum vicino flumine merſum
Quæſiviſſe diem: Rutupinaque littora gemmis
Luxuriaſſe novis, quales nec divite concha
Legit Erythræi populatrix turba profundi.
Sponte ſua nato ſtupuerunt melle Brigantes.
Paſſim etiam venæ rutuli fluxere metalli
Largius, & pontum non auſa laceſſere ſlabra
Alternus tacitas cum falleret æſtus arenas.
Regnorum pax iſta fuit. Pater ipſe Tuæda,
Et vitreis Solvæus aquis, quo fine ſecatur
Albion, & juris faciunt divortia ripæ,
Delituere vado teſtataque flumina nullum
Imperio ſe ferre modum, cum fata dediſſent
Terrarum commune caput. Sic Herculis ortu
Mundus ſigna dedit: ſic nato fortè Lyæo
Sobrius ignota gemmabat vite Cithæron.

Quam feſtinus honos? Fert ad cunabula regum
Patria, & altricis dum parvus ab ubere pendes,
Non intellecta dominum te voce ſalutat.
Nec tenuere rudes privata crepundia ſenſus:
Ludus erat diadema tibi. reptantis in oſtro
Principibus jurata ſalus, & publica ſigna
Vagitus texere tuos. veſtigia quantæ
Indolis, ut primæ rupere ſilentia voces
Præſtructæ matura loqui? quodcunq; parabas
Non pueri, ſed regis erat. primæva ſenectus
Fulſit in ingenio: tinuit prudentia juſtum
Expectare diem, latuitque ſub actibus ætas.
Talis in Idæo tentabat fulmina luco
Parvus adhuc, (ſi vera canunt) ſimiliſq; ſorori

Jupp-

Juppiter, & tonitrus terrebat murmure matrem.
Mirati puerum comites, Dictæaque circum
Tympana Curetum manibus delapsa tacebant.
Nec minus in tenero meditantem pectore regnum
Te proceres stupuere tui; mens alta negavit
Vota sequi. semper spes à properante relicta est,
Prælatusque labor: quantum non cura magistri
Præceptrix natura fuit. Non barbarus error
Traxit in exemplum, quæque est nunc gloria regni
Scire nihil: sed enim puero perlecta vetustas,
Grajugenæq; duces, & quondam maxima bellis
Rex Italûm: quo jure feras compescere gentes,
Quo veniat servanda quies: nec claudere vallo
Bella, nec armatas nescis committere partes.
Sic tua Mavorti quanquam pacata juventus
Incubuit, nec plus quisquam profecerit armis,
Ut quæcunq; vocent olim discrimina, factum
Inveniat Bellona ducem. Tum siqua vacabant
Tempora, quæ studium, quæ regni cura remisit,
Non vitæ pars ivit iners. Permessus in illa
Jus habet, & raris potatæ regibus undæ.
Hic quoties odiis incensum, & virginis igne
Æaciden, semperq; moras errantis Ulyssi
Percenses animo, non pagina mallet Homeri
Pellæam lassare manum, qua regia Pori
Concidit, & famulus submisit cornua Ganges.
Te Phrygis Æneæ vates, te carmine mulcet
Turba minor, metuitque legi sub judice tanto.
Seu tua Pierias curat facundia leges,
Quantus & ipse virûm pugnas decurrere cantu,

Sanguineaſque vices? ſeu priſca oracula ſolvis
Maximus imperii Perſarum more ſacerdos.
Non ulli tantum patuit polus: undique curis
Intentus patriæ donas tamen otia mundo,
Et tranquilla quies uni te rege negatur
Auctori. Non ille aliter, qui ſpargit in orbem
Lumina flammiferis terras complexus habenis
Phœbus inexhauſto moderatur ſæcula motu
Pervigil, atque annis in ſolis utitur annos.
Sic illi crevere duces, quos æquat Olympo
Gloria, ſed tantum pietas ignara fefellit,
Et virtus malè grata Deo. Tu tradita cœlo
Sacra, nec humanas unquam ſubeuntia leges
Certâ mente tenes Hæc ſunt tibi pignora regni,
Non Diomedæo fatum violabile furto
Effigies mentita Deam, non arma per auras
Sacrifico delapſa Numæ: ſed neſcia fuci
Relligio, nec paſſa ſolo ſordeſcere mores.
His tuus incubuit ſtudiis labor, actaque ſanctè
Quæ didicit pueri, docuit maturior ætas,
Nec voluit ſudâſſe ſibi. Jam conferat ævi
Quicquid habet veteris miratrix fama priorum,
Quæ tam docta fuit, quamvis privata, juventus?
O decus ingenii, ô pulſæ regalibus aulis
Doctrinæ ſuper una fides, tibi ſacra ſupellex
Chartarum, quaſcúnque manus ſcripſere beatæ!
Pro jaculis, arcúque fuit: nec quærere tantum
Si qua Caledoniis fera palaretur in agris,
Quantum Pierios juvit luſtrâſſe receſſus.
Hinc ſtudiis reparatus honos, & Scotica nunquam
So-

Socraticas tellus animoſior ivit in artes
Æmula naturæ, palmamque negavit Athenis.
At quæ conſilii virtus, quàm provida mentis
Omnia, & ambiguo nunquam decepta futuro,
Imperiique artes? quantâ quæ verterat uſum
Indole turbatis præſens ſollertia rebus,
Ante etiam quàm flore tibi matura juventas
Umbraret vultus. Toti prudentia regno
Sufficit, & molem patriæ complectitur omnem
Nec partes ſibi cura facit. Sic arbiter alni
Quanquam ſollicitus cœlo labentia ſervat
Sidera, nec tardi dimittit plauſtra Bootæ,
Conſulit & nubes, & cur Lunaria nutent
Cornua, quos cœli præſentiat unda tumultus,
Intereà decimi fluctus memor effugit iram,
Et quærit, quas frangat aquas. Te præſide canis
Legibus & magno conſtat reverennia Juri,
Nec venale forum. Rigido munitus honeſto
Fœdari tua ſæcula vetas, gaviſaque cernit
Æquatos Aſtræa reos: nec ferris abira,
Sed ſævire doles. Hinc quanquàm crimina damnas,
Pronior in veniam pateris reſipiſcere vivos.
Non tibi crimen opes, non inſons gratia vulgi,
Non genus: innocuo regnant terrore ſecures.
Qualem centenas moderantem legibus urbes
Fama vetus Minoa refert, & jura Laconum
Qui populo ſanxit Delphis auctoribus exul.
Quæ tibi rara fides, & ſi præconia morum
Augentur leviore bono, quæ gratia vultus

Sanctaque majestas,& qui non tollit amorem
Frontis honos?Coæ redeat si gloria ceræ,
Te velit exemplum superos picturus Apelles.
Non te sollicitant iræ, non tetra cupido
Securum, regemq; sui. Procul exulat aula
Luxus, & ambitio rebus ventosa secundis:
Despicitur quisquis laudem virtutis & æqui
Privatum putat esse decus. Tolerare labores,
Et veterum mensas corrupto reddere sæclo,
Nec cultu præferre ducem, tibi debita soli
Gloria: sic duris Scotorum exercita rebus
Promeruit virtus, quos non optavit, honores.
Ipse tibi primis Deus explorator ab annis
Contemptas ingessit opes, & credidit Anglos.
Quis non præcipiti spe tanta impellere vota,
Et cupiat, rupisse moras?Te celsior intrat
Contentum fortuna suo. Non illa juventam
Regnorum commune nefas scelerata libido
Exagitat: Thalamis totos addicis amores.
O quàm festa dies, populis ô quanta duobus
Gaudia, cum tetigit littus Regina maritum
A Cymbro deducta mari, sacrumque jugale
Nexuit oppositas æterno fœdere gentes.
Tunc quoq; Codanum conspersa floribus unda
Credibile est risisse sinum, carmenque secutam
Orcada tunc virides inter saltasse sorores.
Hoc tibi certa thoro soboles, & fulta verendis
Aula puerperiis. Miseri quos proximus urget
Successor, dubiique metus. Tu gentibus audes
Hæredem monstrare tuum, qui congrua mundo

Vota

Votu facit, nunquamque velut ſuccedere regnis.
Hunc olim percepta doces, ævumque rementus
Ipſe tuum patrios creſcentem ducis in actus.
Tu regis ætatem, te dante & ſemina laudum,
Sacraq; & imperii leges, Regalia dona,
Accipit, & pacis mores, & fulmina belli.
Jamq; Caledonios Reges Mavortiáque auſa
Gentis Hyperboreæ non vano diſcere motu
Incipit, & magnum promittit utriſq; nepotem.
Ut leo, quem parvum, nondumq; mapalibus hoſtē
Jam metuit Maſſyla cohors, quanquam horrida primùm
Creſcunt colla jubis, fulvi genitoris ad iram,
Cum fremitum procul omnis ager, maternaq; rupes
Reddidit, & teneros audax reſpexit ad ungues,
Verbere ſe ſtimulat caudæ: tum cornua denti
Deſtinat, & multo non vult ſine ſanguine paſci
Dum tua te tellus videt in commune maritum,
In commune patrem, meritis te credidit iſtis
Anguſtè regnare polus, totóſque Britannos
Intulit. O fælix triplicis concordia regna
Cui ſervata venit, magnis quod regibus olim
Tentatum toties meminit, totieſq; negantem
Priſca Caledoniis comprenſa Annalibus ætas.
Fæderibus nullis tantæ coaleſcere vires
Ante tuum potuere diem. Tibi maxima rerum
Inſula, cui nullam terras diffuſus in omnes
Cæruleus Nereus æqualem fluctibus ambit,
Cæſaris invicti novus orbis, & altera tellus
Subditur imperio. Tibi non fera paret Jerne.

Hæc etenim nuper, cùm te jam regna manerent,
Accepit mores, fatis properantibus omnem
Pacatam donare tibi: sic insita genti
Detumuit rabies, totúmque excussit Iberum.
In te, regnorum quibus hæc fortuna pependit,
Tot sæclis cecidêre vices: quibus Albion armis
Distulit, his omnis gessit tibi bella vetustas.
Te propter Belgâ spumavit remige primum
Tethys, & Armoricas emovit Gallia sedes
Quæsitura foris patriam, peregrináque regna
Condentes Druidæ populis tua fata canebant.
Mox regnatus avis ferro sua membra notanti
Scotus inaccessam Picto divisit Jernen:
Quorum finitimo vexata Britannia Marte,
In Boreæ qua flabra patet. Tum Teutone victo
Julius ignotum monstravit gentibus orbem,
Fælicesque aquilas infectus corpora luto
Pertimuit patrii moderator Britto Covini.
Hinc aliæ clades; nunquam tamen insula bellis
Invenit dominum, nec tunc cùm littore toto
Prospiceret dubiis venturum Saxona ventis,
Alternóque decus reparantem sanguine Cimbrum,
Non minor Arctoüm qui currere classibus æquor
Incertas turbavit opes: Normannica tandem
Arma, novas leges, & regno regna dederunt
Accessura tuo, non ultra nobile sceptrum
A drudia imperii privataque pectora venit.
Fecerat innumeros, te repperit Anglia Regem.
Non auxit tumidi vanâ te nominis umbrâ
Signiferum furiis, irataque libertati

Ipsâ

Ipſa ſuæ plebes quæſitam duxit in aream.
Non ſtudia & partes tibi conjurata dicavit
Nobilitas: belli non turbine rapta poteſtas
In jugulos jus enſe dedit. Nec ſanguine partum,
Nec pretio diadema tenes; natura, Deuſque
Te fecêre ducem, Procerum ſententia dixit,
Optavit populus: nec Principe ſenſit adempta
Imperium confuſa ſui moderamina clavi.
Te, quod inauditum, vacuus, nullique petitus
Expectavit honos, & majeſtate futuri
Tuta quies; primus meruiſti ad regna vocari.
O fati miranda fides, & credita ſero
Omnia! non illud nihil eſt, quod nobile marmor
Obſide quo Scotos unquam diffidere regno
Fama vetat, caſus Londini vexit in aulam.
Hæc faſto ſignata dies, quæ duceret illuc
Scotorum dominum, Tameſiſque imponeret urbi.
Oblitas clades Bannoci flebilis unda,
Cum Fluidone tace: veteres delere triumphos
Jam juvat, & miſſis famam ſervare trophæis,
Ceu fuerit civile nefas. Generoſa Britannûm
Corda bona coïere fide. Quos inſula jungit,
Nunc & Regna ligant, cupiunt gens una videri.
Non & apes aliter, quas Attica vidit Hymettos
Infeſtas miſcere acies, & ſpicula contra
Tendere, ſi regem, ſquamnis qui clarus, ad unum
Summa repit, ſocio properant examine cæras.
Hic dat jura favis, huic propugnacula ſervant
Excubiis, rapiúntque thymos & mella laborant.
At tibi, quæ toto deducta Britannia mundo

Nil

Nil ultra, nil majus habes, quas dicere laudes
Vox humana queat? Rerum natura creatrix
Divisit populos, & metas ipsa notavit.
Sic juga Pirenæ, sic olim Rhenus & Aspes
Imperiis mensura fuit: Te flumine nullo
Detinuit, nulla nimbosi verticis arce:
Sed totum complexa parens hic terminus ipsa
Substitit, atque uno voluit sub limite claudi.
Te sibi sepositi supremo in gurgite Nereus:
Finis hic est, qui fine caret: quæ mera Britannis,
Littora sunt aliis: regnique accessio tanti est,
Quod ventis, velisque patet. Non altera credam
Arva beatorum potiùs dignata fuisse
Nomine, jam longo quanquam decus istud ab ævo
Intervertit Iber, & seris addidit undis.
Nam quibus hoc regnum non exundare videmus
Terrarum, pelagiq; bonis? Dant littora baccas:
Cultis læta seges: multis ditata metallo
Floret humus: pecori longè tamen optima tellus,
Formosique greges. Nulli violabilis astro
Servat temperiem regio: non uritur æstu,
Non reditura timet glacialis sidera brumæ.
Diffugiunt angues & non concessa veneno
Rura tenet tacito mirabilis igne Gagates
Longior ipsa dies, indeprensæque tenebræ,
Cùm cancrum sol altus habet. Fælicior omni
Terra solo, meruit quæ semper posse videri.
Et nunc quot habitus procerum, quos illa suorum
Præstat opes! certat radiis solaribus aurum,
Flammati certant lapides. Quis littus Eoum

Tran-

Transtulit, & totam Tamesi donavit, & Humbro
Taprobanem? sedet ipse toga, cultuq́ verendo
Purpureus: crines rutilant, sceptroq́; parentum
Insignita manus sacrat proavita Britannis
Jura, fideméque refert. Tum vultu supplice regem,
Et flexo innumeræ venerantur poplite gentes
Qualis ad Euphraten Macedo concurrere victos
Auroræ populos, fessiq́; Hyperionis orbem,
Teque metum vidit donis Hispane fateri.
Prima loqui properat toto pulcherrima vultu
Anglia, veliferis tunicam variata carinis
Quæ merces, quæ bella ferunt. OMaxime regum,
Quem mihi nobilibus deduxit curia turmis
Tot procerum stipante manu, me sume rogantem,
Nec Scotis distingue tuis: nam sanguine toto
Non minus es noster, propior quoq́; gente paterna.
Quis thalamum Henrici, quis fœdera nescit Elisæ,
Compositaq́; thoro partes cum publicus Hymen
Inclita cognato pepigit connubia regi,
Discordesque rosas geniali jungere serto
Mansurus permisit amor? Tibi ducitur ingens
Inde genus: Finem bellis, odiisque daturum
Pacifico decuit regum de fœdere nasci.
Tu tamen externi ne tollas sanguinis usum:
Hæc nescit cessare manus. Quas ipse Britannûm
Admiraris opes, totus quibus invidet orbis,
Non tantum pax longa domi, cognataque terræ
Munera, & Eoi nobis commercia cœli,
Sarmaticæque plagæ, quantum victoria fecit.
Causa mihi supereſt & qui spoliabitur hostis:

Annæ

Anna jube. Nondum pœnas pro classe pependit
Ille mihi, quanquàm quindenis vincimus annis,
Omnis & in cineres sedit Tartessus, & isto
Littore non dudùm quod nostris objacet oris
Tot strages hæc dextra dedit: prodemus Ibero
Egregia terras à virgine nomen habentes?
Si datur armatis quæsiti gloria regni,
Et mihi sunt classes, & bello docta juventus.
An Bæti tantùm ista licent? Quà funditur ingens
Oceanus, tua sceptrà coli patiare roganius.
Sic vivas, populósque tuo sub nomine junctos
Imperio moderere diu, neque nobilis ætas
Augusti Jacobum superet, neque Pontica regis
Tempora quid longè votorum exempla requiro?
Majus habe; superes illam fælicibus annis
Quam, quia tu sequeris, me non amittere sensi,
Tum fœcunda virûm sublimi pectore fatur
Altera: Me, Princeps, non longè jura, sed ipsi
Natales tribuere tibi: licèt ingerat omnis
Se Fortuna, manet primum tibi Scotia regnum.
Nos cunas, nos prima tui vestigia gressus
Miramur tantúmque meis crevisse sub ulnis.
Nec donata tibi, servataque munera vitæ
Imputo: plùs nostra fateor quod natus in arce es,
Me debere tibi: sed si qua est patria regum,
Sum tua, nec veteri deductæ laudis ab ævo,
Nec virtutis egens: & si vindicta paratur,
Non aliis meliùs pro te certabitur armis.
Scimus enim nostras Flandrâ regione cohortes
Per scelus, & contra fas inviolabile belli,

Jura-

Juratamque fidem, quæ gens truncârit inermes,
Et qui te: sed non vacat indulgere dolori.
Mox posito ritu patriæ feritatis Jerne:
Primùm da veniam: quicquid deliquimus, iuquit,
Culpa quidem gravis est, & noster credulus error,
Sed scelus Hispani: liceat peccata piare:
Dicemus causſam jugulo. jam sentiet hostis
Quo pretio constet populos feciſſe rebelles,
Expertus regnare virum. Tua, Rector, origo
Deprecor: Illa ego sum Scotorum maxima nutrix,
Unde Caledonios Pictum comitatus in agros
Exiit æterni per sæcula nominis auctor.
Pignora quæ potiùs, quam tantæ exordia gentis
Defensura ream? placidis tum Gallia verbis
Dulce tuens blandumque subit. Jam mille per annos
Fœdera cum Scotis sanctè servata recordor.
Majus amicitiæ senium nec sæcula nôrunt,
Nec sol iste videt. Lux tanto tempore nulla
Gratior effulsit, quàm qua tria sceptra tenentem
Te tuëor, Francis Majoribus orta propago.
Creſcit, & ipsa tuum sequitur concordia regnum.
Siqua simultatum resident sub pectore nubes,
Dono tibi. Quæcunque tuas gens audit habenas,
Hanc odisse nefas; omnem tibi maximus ultrò
Henricus promittit opem; solet ille favere
In regnum genitis: causſâ pugnavit eâdem:
Quanquam bella Tagus, totumq; effuderat aurum;
Vicimus. Hinc Cimbrum tellus. Quòd tanta potestas
Binaque vicinos tibi tradidit insula fluctus, (tas,
Gratulor affini: nam te moderante Britannos,

SI

Si qua fides; prisco videor considere regno.
Ultima quam sociæ circumfulsere sorores,
Edidit intrepidas turrita Batavia voces.
Fælices nimiùm cives, quos Principis æqui
Cura fovet, sub lege sua, sub lege superna.
Cum modus imperii vis est, cum sponte recusat
Utilis & recti transire licentia fines,
Acceptumque deo fert summum culmen honoris,
Expensum populo. Dedit hoc fortuna Britannis.
At nos heu miseras certè poteramus, Iberi,
Non tam dira pati cur das documenta Batavos
Quo liceat furor usque tibi? non tradita flammis
Oppida, non haustas tædis hostilibus urbes,
Sed vivos arsisse queror Duo crimine nostras
Irrupere domos & tot stravere ruinis
Artifices scelerum? quid tantum fecimus in quod
Mors non una satis! Flammas, ferrumque meretur
Nosse Deum, Jussisque nihil discedere sacris.
Hoc Hispane tuis nimirùm obtenditur armis,
Unde etiam regum, qui stat cervice soluta,
Qui diadema nisi cælo debere recusant,
Te facis hæredem: sed si tibi quærere regnum
Unica relligio est, nos jam servire videbas.
Quid prodest vastare tuos procerumque cruorem
Fundere? quis tantus timor est non vincere bello?
Egmundi testor cineres, totq; illa meorum
Exilia & quicquid crudeli cessimus Albæ,
Invitæ mihi bella dari. Sed numen amicum
Sic voluit caussamque suam benè credidit armis,
Mox tamen optavi quoties deponere ferrum?

Pax

Pax infida dolis vetuit, perjuraque semper
Fœdera. Quam rectè fidei credatur Iberæ,
Nos exempla sumus. Deus hic, Deus ipse profectò
Externam monstravit opem, teque Anglia nobis
Addidit. O fælix peregrino Marte virago,
Quæ potes oppessas gentes impunè tueri
Oceano defensa tuo. Nec dicere tentem
Quanta tibi domitis victoria crescat Iberis.
Ipsa tenes, partos sed ne demitte triumphos,
Quære nec Hesperium pretiosis mercibus aurum,
Cùm ferro benè possit emi: sic fata resedit
In genua & regem multùm venerata quievit.
Inde iterum. Lætor dominæ non morte prioris,
Quam colui & nimimu soli quæ vixit Ibero,
Sed quod sæpè tuum, Princeps experta favorem,
Plus credo te posse mihi: quod ab æthere venit
Par animo fortuna tuo: quod sceptra tulisti
Sancta piis verus simul, & dignissimus hæres:
Aucta quod his regnis, atque inconcussa potestas
Hispanos terrere potest, si sensa recludat
Pectus, & ostendant animi præcordia motus,
Quàm me gaudentem videas, quàm ferre saluti
Vota tuæ? contra cælantem corde dolores
Hisperiam furiis ardere & inanibus iris,
Nec vultus præferre suos. Equidem omnia cernis:
Haud dubitem: tibi corda patent: nec fallit utrin-
Explorata fides. En hæc ego semper amica (que
Principibus, cujus vicit socialibus armis
Roma diu: merui cunctis è gentibus una
Quæ mundi servare caput: nam maxime semper

Cæsa-

Cæsareæ Batavo custodia credita vitæ,
Et terris annexa salus. At serior ætas
Regibus his junxit, quos solum dividit æquor,
Ditibus & Rheni permiscuit ora Britannis.
Non modò cœpit amor. Rectores Scoticus olim
Vinxit Hymen, vinxit concordibus Anglia pactis.
Sed tua me virtus, cui nullum sæcla tulerunt
Prisca parem, ventura velint habuisse secundum,
Communisque Deus vinclo propiore ligavit:
Regna priùs colui, te sum venerata regentem.
Hoc orbi jactare licet, populisque nepotum
Judice te placui, docuit quod regius infans,
Quem me teste dabas quondam lustralibus undis.
Quantus honos nomen regi, commune parentis,
Et commendatus fidei puer ille Batavæ,
Quem tot sceptra manent? quid Iber, quem pectore falso
Jam non infensum facit Anglia velle videri,
Tene ullis medium belli, partesque negantem
Officiis coluit, vel non te veriùs ipse
Credidit esse meum? meritò: nam Scotica tantùm
Contulerat non vota mihi, sed & arma, virosque
Virtutesque suas: nec, quamvis omnia deessent,
Causa deest odiis. Nam turgidus ille, feróxque,
Et post auriferos nunquam placabilis Indos,
Destinat Hesperiis immensum legibus orbem,
Sparsaque regna tenens pariter cum lumine solis,
Quicquid abest hostile putat, sed bella meretur
Præcipuè, qui servat opes. Cur Gallica movit
Arma prius? quod jus in vos sibi vindicat Angli?

Ut

Ut modò naſcentis taceam, pronæque diei
Littora quæ veſtris repetit Antonius armis.
Nulla deeſt juris ſpecies victoribus unquam.
In te, ſi quando faveat fortuna, paratus
Jam color: infeſto peragetur judice cauſſa.
Damnatos ritus alienaque ſacra ſecute
Jam ſceptrum privatus habes: Sed fœdera certè
Prætendit, ramumque ſuæ tibi mittit olivæ.
Hoc eſt, abſque dolis nil jam ſe poſſe fatetur,
Vindictamque timet ſociata Britannia neſcit
Non incauta capi, bello donuiſſe proteſſos
Sufficiens hoſtes & tantum pervia fraudi.
Nunc parat inſidias, nunc captat commoda rebus
Tempora, quæ bello melius, quàm pace caventur.
Quæ ratio ſuadet dignari fœdere gentem,
Cui violare fidem fas eſt, quæ gaudet abuti
Pollicitis, juratque Deum quem fallere quærit?
Donec tuta ſibi nondum perjuria cernet,
Pax erit: interea ſi ſpem victoria fecit,
In claſſem cadet omne nemus ſimulabitur ire
In Flandros: tu Flander eris ſin arma videbit,
Deſperata ſibi, ſupereſt atrocius unum,
Hiſpanumque nefas. Gens plu quàm barbara regnum
Vel Regnum cervice parat, pietaſque vocatur
Sacratum periiſſe caput. contemnere diſcit
Et ſcelus, & mortem, diriſque armata venenis
In reges furiis proficiſcitur acta juventus.
Sic bellant, pacemque colunt. Non Anglia tantum

Hoc docet & Celtæ toties in rege petiti.
Nos magis: O utinam nunquam niſi cominùs au-
Et meus heu nullis cecidiſſet Araufius armis. (ſint.
Quis ſcit, an ut nihil eſt quod credi poſſit Ibero,
Nunc quoque legatos cum mittat miſerit enſes,
Et cædem cum pace petat? punire nefandum
Tu genus, & læſos quæ res ſanctiſſima, reges
Ulciſci rex ipſe potes. Sic illa beatæ
Principis exemplum, non ficto fœdere nuper,
Sed bello ſecura fuit: ſemperq; nocenti
Non ſuſpectus Iber. nam ne Hiſpalis arma timeret,
Terruit, atque ſuos pacavit Marte Britannos.
Judicium noli dominæ quæ ſceptra reliquit,
Vel noſtram damnare fidem. Si fracta venirem
Sollicitare tuas adverſa in prælia vires
Poſſe tamen flecti reor & miſereſcere damnis,
Meque ſimul miſeram, ſinceraq; ſacra tueri.
Nunc gens nota tibi, quam centum tanta coronant
Mœnia & indomitæ cui ſulcant æquora puppes,
Vicino ſtudui fortunam ferre faventem,
Victriceſque manus: florentibus utere rebus.
Aut ſi perſuadet melius timor, undiq; preſſa
Scis Oſtenda mihi quam triſtes computet annos.
Ne littus contra videas hoſtile, cavendum eſt.

EPI-

EPICEDIUM
JACOBI HEMSKERCKII.

LÆcantes inter populos, & signa triumphi
Nuntia dum festis resonant clamoribus urbes,
Nos tacitos mærere juvat, magnumq; putamus
Cum patria gaudere nefas alit ipse dolorem
Plausus, & ingenti celebris victoria cantu
Victricem nostris commendat luctibus umbram.
Ergo per hostili succinctos littore fluctus,
Et quæ vasta tuas timuerunt æquora puppes,
Hemskercki, non tu charos visurus amicos,
Nec talis promissus ades, miseroq; fefellit,
Nequicquam sperata dies, qua classe superba
Captivum Oceanum referens Solisq; cubile,
Tempora fælici premeres rostrata corona:
Qualis Achæminias regna ad Telamonia ductor
Cum mersisset opes ratibus, Phæboque monente
Servatas iterum muris invexit Athenas.
Nunc eheu tua vota quidem non irrita, nostræ
In vanum cecidere preces, tu sumere pœnas
Seu face, seu pelago, crudeli ex hoste, nec ultra
Orabas, quicquid belli fortuna tulisset
Securus reliquum, & cœlestia fata remittens:
Herculeo cum namq; jugo subjisse videres
Velivolas arces, & castra natantia ponto,
Et summan obductis Calpen latuisse carinis,
Clamabas: nunc ite viri, mundoq; probate
Non esse Hispani regnum mare, sæpe minores

Supplentur virtute rates in vulnera ſemper
Moles magna patet, ſedenim non fluxa Batavis
Corpora, nec molles, fractiq́ue caloribus artus.
Gens innata ſalo duriſq́ue exercita ventis,
Et quibus eſt ludus pelagi labor, utimur alto
Ceu noſtro ſtabilemq́ue gradum nutante carina
Figimus, ac patriam mediis agnoſcimus undis.
Quin & cauſa favet non hæc nos bella movemus
Sponte, nec Heſperiæ populatum venimus arva,
Sed natale ſolum, & leges ſervire vetantes,
Et thalamum, & natos juſtis defendimus armis.
En ille hoſtis adeſt, toties commercia rumpens
Libera qui famulo damnavit pectora remo:
Et nuper turbam plago perædatus inermem
Diviſit miſeris mortes laceratáque cernens
Viſcera, quæſivit qua primum parte perirent.
Fælices quorum iſta manus vindicta popoſcit.
Audentes laus certa manet ceſſuraq́; nullis
Hactenùs exemplis, magna virtute parandum eſt,
Ne plus abſtulerit Rutupinum littus Ibero,
Et Morinum flammis lucens ultricibus æquor.
Hoc tantum moneo, nemo hoſti parcere quærat,
Nemo ſibi: ſummum ſed belli credite munus
Vincendo meruiſſe necem, vitaq́ue ſoluta
Nil patriæ debere ſuæ: ſic fatus & hoſtem
Eligis ex acie tota cui maxima puppis
Tollitur & paſſi nubes tranſverberat alis.
Jam quoq́ue perfoſſus violenti ponderis ictu
Dum cadis extrema ſolatus voce dolentes
Spectabas ſocios lætus, quod fortior ira

Sur-

Surgeret hinc animis, & non impunè futurum,
Inferiaſq; tuæ magnas promitteret umbræ.
Implerunt eventa fidem: teque optime ductor,
Extincto, tua mors tamen & prudentia vicit.
Fiderunt trepidæ nova rurſum incendia Gades,
Nec leviora ſuis: depreſſæ fluctibus alni
Anguſtum fecere fretum carcheſia paſſim,
Diſiectaſq; trabes reſupinaq; corpora ventus
Jactat utroque mari, refuguſq; a littore Nereus
Europæ monſtrat fractas, Lybiæque carinas,
Membraq; dum ratium numerant immania nautæ
Tot claſſes perjiſſe putant. O maxima clades
Heſperiæ, & nullis non exæquanda trophæis,
Sed magno nimis empta tamen, vicere Batavi
Scilicet, at Batavos docui qui vincere poſſe
Ille jacet, minus ipſe dolet ſua damna Philippus,
Et velut æquali bellatum ſorte fuiſſet,
Componit cum claſſe virum nec patria multum
Bæticolis audet tales jactare triumphos:
Unde etiam meritò gaudentis murmura vulgi
Fracti intercurſant genitus & fædere miro
Confuſi ſimul affectus in vultibus errant.
Præcipuè nos turba prius tibi nota ſodales
Vix premimus lachrimas, perculſaque pectora
Duramus virtute tua, nunc ora recurſant (luctu
Lumine pacato rapidum cælantia Martem,
Nunc labor, & toto diviſa pericula cœlo.
Ipſe ego te memini quondam didiciſſe magiſtro,
Qualis Hyperboreum tellus projecta ſub axem
Ultima, concretis cingit quam montibus æquor,

Tandem hyeme infanda & longis deprensa tenebris
Jusserit amissam frustrà te quærere lucem,
Extra hominum, famæq; vias cum triste sub arcto
Natura pugnante chaos, Scythicique profundum
Littoris, atque alium reserares gentibus orbem:
Et tamen audacis miseratus fata carinæ
Nubila sol ortu rupit clemente, suasque
Præveniens leges cœlo caput extulit alto.
Nec minùs Eoo positas sub cardine terras,
Turbatum & magno Gangi mare, ruraq; plena
Messis odoratæ cunnulis se sæpè canente
Mirabar, Batavumq; orantes fœdera reges.
Heu quis ad auroræ populos, adversaq; nostris
Sidera sideribus tam clari funeris ibit
Nuntius? ereptum te nobis India tristis
Audiet Hemskerckî, regum plangere lacertis,
Namq; illi armigera jam te cum classe putabant
Venturum auxilio, qualis spectante Malacca
Devictis veniam Hispanis vitamq; dedisti:
Te fore qui pulsa terris pelagoq; superba
Gente Tagi, cunctis faceres mortalibus æquum
Jus maris, & toto merces discurreere mundo.
Sed quanquam fera mors tantos interscidit actus,
Vixisti ad laudes certè satis, ipsa labores
Noctis regna tuos norunt, te Marte potentem
Prima canit, te sera dies. Facunda virorum
Patria, cùm dubiis propè jam fiducia rebus
Cessisset pelagi, tua tunc respexit ad arma,
Ostendiq; inter titulos, & nomina magna

Virtuti

Virtuti patuiſſe locum. Jam gloria leti
Nobilior nullis potuit contingere votis.
Tela inter, præcepta tuis, animoſq; miniſtrans
Occidis, intentus perituris hoſtibus, illo
Nil minor incubuit ſtratis qui victor Achivis,
Et Spartæ ambiguos aſſcripſit ſanguine fines.
Necnos te lachrymis igitur, mæſtiſq; ſequemur
Planctibus, ad manes luctus nam gratior ibit
Ille tuos, quo flet demerſam Hiſpania pubem,
Et Tarteſſiacæ plorant ſua funera matres.

INDUCIÆ BATAVICÆ

COgnati cineres, longum manſura per ævum
Nomina voſque umbræ, Batavis quibus alta ſub armis
Gloria quæſitæ permiſit mortis honorem,
Quorum in magnanimis agnoſcit patria fatis
Virtutes, cladeſq; ſuas qnocunq; jacetis
Cardine, ſeu noſtram pinxiſtis ſanguine terram,
Seu vos hoſtili trepidæ ſub gurgite Gades,
Seu fluctus agitat Indi maris, & novus orbis,
Mercedem contemptæ animæ, tantiq́ue laboris
Hic annus, gaudete, dabit, nam veſter agebat
Hoc cruor: hoc vitam voluiſtis claudere voto,
Ut quæ vos genuit tellus obnoxia nulli
Servitio poſitis olim requieſceret armis.
Ipſe pater verus patriæ, quem poſtera Bruto
Sæcula componet, ſervatoriq; Camillo,
Motus inexhauſti ſpopuli cum fletibus in ſe

Verteret Albani furias virosque Philippi,
Ambiguas animo curas circumtulit ictum
Non ausus sperare diem, levet ardua cœlo
Brila caput, Flissinga suis exultet in undis,
Et quicunq; dedit tam magnis semina rebus:
Quis tunc ad Batavum venturos fœdera reges
Crederet? armatis nantes in puppibus urbes,
Lugdunique fames & mersa sub æquore rura,
Hoc peperere decus, nunquam nisi fortibus ausis
Libertas emitur, nec tu non sanguine multo
Decolor in Latia sedisti Roma curuli,
Egistiq; tuis dictos a fascibus annos.
Limite Pannonio trepidum pacaverat Istrum
Et propè sumpta manu Venetis excusserat arma,
Cum, ne non, totum sua munera ferret in orbem,
Venit & ad bifidi tandem divortia Rheni
Diva salutifera frontem quæ vestit oliva.
Quà fert illa pedes, circum vestigia fruges
Protinus emergunt: non ulla aut murmura venti
Aut pelago: rabies jacet exarmata ferarum.
Ipsæ etiam duro sudantes Marte cohortes,
Turmarumq; acies & bellatricia rostra
Adventum sensere Deæ, negat horrida muros
Sternere sulfureis ardescens machina nimbis,
Et retro pavidis fugiunt mucronibus enses.
Tum miserata graves Batavum Pax alma labores,
O mea, sed quondam mea, gens, ait unde ruendi
In ferrum tibi tantus amor? quæ tanta cupido
Cognatas miscere manus, vestrumq; cruorem
Fundere per cunctas quas sol videt aureus oras?
An

An potiùs non dulce malum, nec ſponte ſequentes
Mars trahit, invitæ veniunt ad prælia dextræ?
Credo equidem: ſic nota fides: ſic moribus æquis
Incorrupta vehis toto commercia mundo:
Sic nea dona tibi mediis quæruntur in armis.
Irarum ſatis eſt: jam noſtros reſpice vultus
Digna vel octavo ſaltem requieſcere luſtro.
Hinc dea Brabantûm ſe fert rectoris ad aulam,
Regia quem gremio conjux complexa jacebat
Auro ſtrata torum, fulcris radiantibus auro.
Dux bone, trenquilli ſoboles pia Cæſaris inquit,
Quo melior nemo tenuit Germanica ſancta
Sceptra manu, quondam ſtudiis aſſcripte quietis
Ipſe, nec ad ſævos bellorum nate tumultus,
Seu tu (ſexus enim cædes fugit iſte) rogàri
Mollior, Heſperii proles generoſa Philippi,
Quem capient hæc bella modum? quid perditis æ-
In curas, triſteſq; metus? quæ gaudia vobis (vum
Cum nunc iſta tremant propter volitantibus alis
Mœnia, juratæ tua nunc in verba cohortes
Mœrentes ſpolient abrupto jure colonos?
Cernite quem vobis mala ſors objecerit hoſtem:
Sive opus ingenio navali conditus alvo
Ceſpitibuſq; atris medias erumpit in arces.
Qualis æqui latebris ferus exultabat Ulyſſes
Exitium tibi Troja ferens: ſive agmine magno
Ipſe minor premitur, Latias converſus ad artes
Flumina tuta legit ſinuoſiq; objice valli
Defenſus patriis ſecludi finibus arma:
Eluſæ pereunt vanis conatibus iræ.

Cum

Cum venit obſidio, ſecuris tendit in urbem
Flexibus, & nullo conſtat victoria damno,
Sed vel vulneribus ducunt labefacta ruinam
Mœnia, vel lento ſuccedens vinea tractu
Aggeribus furatur humum, vel cæta meatus
Flamma per infernos ſuperas procul exit in auras
Prælia cum ſuadet ratio, non impetus illi,
Spargitur in cuneos bellum, brevibuſq; maniplis
Ante fatigatas pellit vis ſumma phalanges.
At tibi per quantas veniant & proſpera clades
Oſtenda metire tua: veniſtis in urbem
Sed priùs amiſſi magnos calcaſtis acervos
Militis, & veſtro rubuerunt ſanguine foſſæ.
Poſt Martis morbiq; graves, pelagiq; tumultus
Gens invicta malis ubi tertia venerat æſtas
Deſeruit fatale ſolum. Sic vincere vinci
Penè fuit, quæ ſpes igitur vos vivere cogit
Munitos gladiis Hiſpanaq; ſigna vereri?
Imperiine ſitis? Mores non omnibus uni
Geotibus, oblatum ſibi libertatis honorem
Cappadocum ſprevit populus, mirante Latino,
Suetns regna pati, gaudet coluiſſe tiaras
Medus: & Euphrates dominos & Nilus adorant.
Sed non Cecropidis ea mens, nec Dorica virtus
Quivit ferre jugum. Vixerunt ſceptra Lacones
Legibus, & juſſi reges ſervire Lycurgo.
Sic fera Cattorum ſoboles durare jubentes
Neſcit heros, ſibi ſueta regi. Vetus illa Batavis
Nobilitas animi, junxit ſibi fœdere juſto
Roma, nec armorum ſocios ſprevere Quirites.

Fas

Fas ubi mutatum violataque jura rapinis,
Tempore quo domitum spoliabat Flavius orbem,
Surrexere animi. Quantus Civilis in armis,
Quanta virum virtus? æqualis dux ipse fugatis.
Dis patriæ solvit rutilantes vota capilli;
Lancea cum frameas, & pilum gæsa timeret,
Atque novos Senonum tremerent Capitolia mo-
Vos imnite solum mixtasq; paludibus undas (tus.
Projicite ex animo. Vobis quæ pinguia Scaldis
Arva secat, fortisque Atrebas, & Nervia proles
Sufficiant: populos inter regnate volentes.
Sic postquam Austriacam blandis sermonibus
aulam
Flexerat, occiduas curru defertur ad oras,
Curru quem geminæ raptant per inane columbæ:
Atque ubi Laurentes advenit cominùs arces
Magnum regis opus, solio sublime sedentem
Conspicit in multa gemmarum luce Philippum.
Centum illic populi centum responsa petebant:
Hinc quibus Ætnæas datur aspectare favillas,
Et quos Sirenum mittit domus, unde superbus
Insuber & rapidæ tortor Balearis habenæ,
Et quas tot titulis distinguit Iberia gentes,
Et Lybis, & primi mirator luminis Indus,
Ignotisq; avium velat quæ corpora pennis
Mexica, vel fulvi dives Peruana metalli,
Inque notos vergens alius quos despicit axis.
Non tot continuit Romana potentia terras
Tunc cùm summa fuit, nec ad hæc fastigia rerum
Sub duce Pellæo Macetum venere fariſſæ.

Nunc

Nunc quoq; Biſtonii quamvis ſunt vaſta Tyranni
Regna: nec exiguo claudatur limitè Parthus,
Et latè gelidi glacialia littora ponti
Sarmata poſſideat: plauſtriſq; vagantibus exul
Mutet ſæpè domos Scythicorum victor equorum,
Multaq; perpetuo defendat millia muro
Sinarum dominus: vix & ſua noverit arva
Qui regit Æthiopas damnatum Solibus orbem:
Heſperiis nemo regnorum finibus exit
Longiùs, & multum mundo fortuna pepercit
Quod tantas difiecit opes, vetuiq; coire
Tam procul averſo poſitas ſub cardine vires.
Cum tibi ſol gignat, populos orienſq; cadenſque,
Pax ait ô proavos rex prætergreſſe potentes,
Et tibi tranquillas ultrò dent ſidera luces,
Cur aliquid bellis vis in tua regna licere,
Et tibi perpetuos gens ſubjicit una labores!
Exhauris populos quos torrens ambit Iberus
Cladibus, exhauris gazas quas aurea donat
Gleba Tagi, ſiccis quas Africa mittit arenis,
Indorumq; amnes & nuper cognita tellus
Quæ merces operum? cur hoc ſcret ultimus orbis
Per tot luſtra brevi concluſam littore gentem
Æquari potuiſſe tibi? Proh quanta Batavis
Ex te fama venit! poteras ſpreviſſe videri
Qui nunc hoſtis obeſt & magnos inquinat actus.
Quid non hac Aſiæ potuit Libyæque parari
Sanguine, barbaricum ſi Mars tuus iſſet in hoſtem.
Jam tibi ceſſiſſent veteris veſtigia Byriæ,
Teque ſibi dominum geminis imponeret oris
Boſpho-

Bosphorus, & Solymi non solo nomine montes.
Terrestres taceo pugnas, qui navibus ardor?
Staret in offensis cum Pœna potentia rebus,
Carthago non tanta mari, nec Medica classis
In se translatas gravius persensit Athænas.
Hoc Morinûm dicent turres, Hispanaque transtra
Quitulit Artoas, Nereus disiecta per undas,
Ultimaq; exustæ terrarum littora Gadas.
Nuper & Eoa raptas regione carinas
Flet Tagus, ipsa novs ventura classe paratus
Contremit audaci tellus monstrata Columbo.
Et nunc ecce tuos hostis ferus obsidet amnes
Fluctibus insultans, atque eripit æquor Iberis
Oceani quondam domitoribus: ardua Calpe
Testis, & Herculeis pelago via facta lacertis
Quos animos gens illa ferat, dux ipse superbum
Pertulit ad manes venalem morte triumphum.
Ille vir, ille fuit, gelidi qui claustra trionis
Primus & æterno concretum frigore pontum
Irrupit, totumq; diem post terga reliquit.
Siste gradum, neque tu tam fortia Pectora perge
Exercere odiis, quid enim virtutibus addis
Materiam, queis Celta favet junctusque Britanno
Cimber & applaudit tellus Germana trophæis?
Dixerat: & subitò tendens ad Gallica rura
Inde petit Tamesin, regemq; affatur utrumq;
Hunc pacis studiis, at illum Marte priorem.
Illum per dubios Bellona judice casus,
Notaq; non ulli melius mala perque reductas
Et leges & opes, augustaq; culmina regni

Et

Et benè civiles vetitas concurrere dextras?
Hunc per jura piani semper suadentia pacem
Admonet, & per quæ scriptis sapientibus ipse
Edidit in populos, properent ut fistere claram
In solido gentem trepidisq; auferre periclis.
Sic Batavum per bella fidem, sic icta maneri
Fædera, quin ipsis mansuræ pignora pacis
Hinc etiam nostr parva dari, si lege perenni
Hesperiis Batavum decedat gloria rebus,
Vicinosq; metu levet, invdiaque Philippum,
Talibus exitium cœptis sibi dira creare
Senserat, & toto, erexit verticis hydros
Damna timens dudum dilectæ sedis Enyo.
Nec sefassa tamen fucatis vultibus addit
Mendaces habitus, Libertas aurea qualis
Euganeos cœtus Alpinaq; tecta celebrat:
Calcato sic altra jugo, sic pilea sumit:
Conciliumq; petit, Batavos ubi maxima patres
Ceperat in septem distinctos curia gentes.
Quid facitis, clamat, proceres? adeóne priorum
Immemores nondumq; dolos sentitis Iberi?
Tranquillas nunc ille comas & vellera tendit,
Paupertas dum nēpe jubet, quia clausimus æquor
Classibus, & toto Betim spoliavimus auro.
Jam laxate fretum, dimittite rostra Philippi.
Cogat opes rursus: mox cum sua visa potestas
Magna satis, subitis in nos novus ingruat armis.
Non tunc blanditiæ, non tunc hæc fædera vobis
Sed scelus Albani nimiumq; oblita parentum
Tempora, sic vobis Egmundi sanguis & Horni

Exci-

Excidit, & fruſtrà juratas fuſus ad aras
Zutphaniæ Nardæq; cruor? Percurrite faſtos:
Hiſpana latuit, ſemper ſub pace venenum.
Fœdera nunc ſimulans Lugduni ad mœnia venit
Vix pelago, vix illa avibus defenſa miniſtris:
Gandavi vix parta quies, à Veſpere miſſus
Altera civilis jaceret qui ſemina pugnæ:
Teutone quæſitum gladios finire ſequeſtro
In Moſam Mavors ferus irruit: hinc nova rurſus
Colloquia & fallax belli mora, cùm ſuper ingens
Claſſis adeſt, tectumque latet ſub puppibus æquor,
Poſt aliæ ex aliis fraudes: tempuſq; ſub unum
Miſſi oratores aderant, emptuſque ſatelles
Viſcera Marritii dira qui cœde feriret.
Ille quidem vivit fatis ereptus amicis:
Sed non & genitor, ſævi qui victima regis
Procubuit foſſus ſcelerato vulnere venas.
Quin mirum, feritas quando nec regibus iſta
Parcit & Heſperios exercet ſica Pothinos?
Hinc veſtri ſanxere patres gens provida veri
Spernere congreſſus, aureſq; avertere dictis,
Noxia ceu quondam Sirenum carmina fugit
Dulichio monſtrante ratis. Dementia quæ vos
Mutavit miſeri? declinant retia piſces
Quæ novere ſemel, vita ſus horrida caſſes:
Vos toties capti toties in damna reditis.
At non illum animi quantumvis luminis orbum
Conſcripti ſtupuere patres, qui clade recepta
Chaonio Romam vetuit cum rege paciſci,
Quippe id grande nefas, ſed poſcere fœdus inermē

Juſſit

Juſſit, & Auſonia primum diſcedere terra.
Sic nunc impoſitas Belgis ſi detrahit arces
Hoſtis & artifices ſcelerum deducit Iberos,
Qui belli nobis titulus, quod fœdera quondam
Scripta jubent, populiſq; decem ſua jura reliquit,
Fas audire puto: Sin noſtri corporis artus
Servitio premit & nondum delicta fatetur
Signa canant, omni quærantur ab æquore prædæ.
O patriæ, magniq; patris fortiſſime vindex,
Cujus bis decimo jam mortem ulciſceris anno
Prime ducum, quos noſtra tulit, quos longior ævum
Aut quos ſera feret, ſub cunis deficit actis (tas
Noſtra fides. retrò majus nam computat ævum
Incipit immenſos quiſquis numerare triumphos,
Quos nunc extremis ſupplex canit India terris,
Tu partum tutare decus, nec mitte quod unum
Gloria pandit iter, nondum ſat Flandra biberunt
Littora: Mendoſam ne ſolum vincula norint.
Vos quoq; magnanimis quorum perterritus auſis
Subſtitit Honta rubens, verè Neptunia proles
Si dubitatis adhuc monſtrent quam fata ſalutem,
Cernite divitias, belli quas tempora vobis
Addiderint, pax hos aditus, hæc commoda rerum
Tranſcribet populis hoſtilia regna ſecutis.
Adſtabat Pietas (ſemper comes illa Batavis
Addita conſiliis) & quanquam fallere credis,
Non patiemur, ait, mentito illudere vultu.
Libertas non iſta ſoror, ſed ferrea jactas
Deceptis Bellona viris ego certior auctor.
Credite non veſtræ ſollers induſtria mentis,

Cla-

Claraq; Mauritii virtus mileſq; paratus,
Obſequis vobis tam res fecêre ſecundas,
Quam Deus & blandi conſtans clementia fati.
Viderat omnipotens miſerorum inſontia paſſim
Supplicia, atque uſtis fumantes civibus urbes,
Turbarum fas atque nefas; exuta ſub armis
Jura: bis oratus, bis caſtra ingentia vindex
Moverat, eluſæ vires, roburq; caducum.
Extorres, contempta manus melioribus auſis
Monſtravere viam; cùm ſpes defecerat, hoſtis,
Perfidus in ſocios, ignarus parcere victis:
Impulit extremis animum præſtare periclis.
Ah quoties dubios caſus animoſq; labantes
Reſtituit diſcors ægrè parentis Iberi
Seditio? refugum quid protinùs hoſte fugato
Nerea, quid juſſo venientes æthere ventos,
Aut externa canam trepidis ſolatia rebus?
Nomen ut ipſa ſuum veſtris inſcriberet actis.
Reſpuit humanas divina potentia vires.
Hinc grandes cecidere minæ, nec proſpera rurſus
Sperata venêre via. Deus ille tueri
Vos & pace poteſt, (quid fata affligitis armis?)
Et mavult: dubitare nefas; an cædibus ille
Gaudeat & patrio dejectis rure colonis?
Illum flamma juvet tectis ardentibus, & qui
Sontibus inſontes gladius diſcernere neſcit?
Nunquam bella licent illi cui legibus æquis
Uti pace licet; cœlum niſi bella coacta
Ne probat; ibo equidem, damnataq; ſigna relinquã
Funeſtaſque acies, ſi ferrum ſponte tenetis.

Si ſacra, ſi veſtris libertas quæritur armis,
Fas hucuſq; fuit neutrum nunc eripit hoſtis.
Non ita perpetuis læti ſucceſſibus anni
Ut faſtu vitient animos, Mars integer ex quo
Incubuit Batavis, vicinaque regna quierunt.
Sæpè timor vobis, ne mox trans flumina nota
Staret & in trepidas hoſtis prorumperet urbes.
Et nunc ille quidem multo cum ſanguine, portas
Impellit tamen, aut ſummi ſuper aggere valle
Improviſus adeſt Ligurum; dux gente profectus
Non animi, non laudis egens. Nec lene tributum
Quod datis, aut veſtræ ſuperant impendia gazæ.
Sed tamen ut fluerent avidis concordia votis
Omnia, fortunæ par eſt vos jura vereri,
Incertaſq; vices & nunquam longa ſuperbis
Exitia. Imperio contenti vincite veſtro,
Hoc ſatis eſt, nec ſpes protendite longius æquo.
Quid vos ſollicitat populi ſervire volentes?
Forſit an inſidias & ſemper mixta timetis
Pacta dolis: laudo, ſi vobis rurſus Iberi
Impendent domini: ſin libera jura relinquunt,
Excubiis portas, ratibus vallate profundum,
Implete ambiguas validis legionibus urbes,
Quæ bellum ſine cæde gerant: quæq; optima cura
Conſulite in medium: quod copia parturit aurum
In commune fluat: privatis publica præſtent:
Stet ſcriptas adamante tenens Concordia leges.
Præterea ſocii validis accedite regnis,
Et certate fide: non hæc munimina bello
Fida minùs, quæ non ſolet hoſtis ab hoſte paciſci,

Se

Sed dat quisq; sibi : sint non ignobile vobis
Helvetii exemplum, quos arma capessere quondam
Causæ egere pares : non illis gentibus ultra
Arma domi : parta sed libertate fruuntur
Vnanimes : socios omnis vicinia donis
Ambit & Austriaci mercantur fædera reges.
Talia dum patres sapienti corde volutant,
Suspensis paulùm gladiis, ut figere gressum
Cominùs alternosq; datum cognoscere vultus,
Detumuere truces iræ, sed multa manebat
Suspicio, cautiq; metus : sic flamina postquàm
Cassa jacent, sidunt pacatis æquora sensim
Fluctibus, ambiguo nondum confisa sereno.
Tamq; odium belli proceres plebemq; tenebat
Nondũ pacis amor; magnũ tamen hoc quoq; magnũ
Quod durata malis, quod per quinquennia septem
Gens addicta tubæ, geminis assuevit in annis
Otia posse pati : primis congressibus arces
Præbuit Haga suas; tanti capita ardua belli
Quorum consiliis steterant aut robore partes,
Innocuâ commune nemus complectitur umbrâ.
Addunt se medios præceptaque fida ministrant
Quos magni misere duces. Hic grandior ille est;
Cepit qui sceptra feris raptoribui & nunc
Legibus exornat patriam sanctisq; repertis,
Se magis nullo se Sequana jactat alumno.
Inter hic Astrææ custos, qui gente Britanna
Nobilis, ingenio laudes implebit avorum.
Nunc Nicer, hos Getici veneratur regia ponti.
Si autem positis qui nunc concorditer armis

Mutant verba duo, nuper metus urbibus ingens
Adverſas traxere acies: vigor acer habebat
Tunc oculos longeque aliis occurſibus ambo
Implêrant animos. Salvete ô maxima belli
Nomina! quos ætas nunquam ventura ſilebit
Virtuti ſi verus honos & prænia rebus,
Non Epheſi par majus erat, cum Scipio Pœnum
Contigit, & Cannas illi Trebiamque remiſit.
Non tamen in Batavo potuit coaleſcere fœdus
Limite: legati nulla cum pace reniſſi
Et Marti ſpes vana redit. Clariſſima noſtri
Gemma poli, lux una tuis Antuerpia Belgis,
Hîc te manſit honos: ibi nos, non integra vultu,
Sed clarè ſpectanda tamen Pax alma reviſit,
Otiaque in populos totidem promiſſa per annos,
Annua quot menſes complectitur orbita Phœbi.
Armorum fructu generoſa Batavia gaude:
Libertas, veliſque patens & pervius orbis
In pretium ceſſere tibi. Tu Belgica dempto
Exulta ſecura metu: non oppida caſtris
Non turmis jam rura gemunt, non puppibus amnes
Clauſa diu reddunt longinquas æquora merces,
Terraque fert puras & non è ſanguine fruges
Jam domino fœcunda ſuo. Monumenta malorum
Deleat iſta dies: præſumſque ſequentibus auctor
Annus eat; quoſcunque poli mox janua pandet,
Biſſeno primùm ſubeuntes ordine fratres,
Hinc alii, nulla turbantes fraude quietem
Temporis iſtius veſtigia ſemper adorent.

HUGONIS GROTII

SILVARUM

LIBER TERTIUS.

qui habet Nuptialia.

EPITHALAMIUM

CORNELII VANDER MILEN

ET MARIÆ AB

OLDENBARNEVELT

EPITHALAMIUM
CORNELII VANDER MILEN
ET MARIÆ AB
OLDENBARNEVELT.

SIDERA jam tandem noſtris clementia votis
In Batavos poſuere minas, ſtudioq́; reverſo
Erubuit juſtis regnatrix turba querelis:
Nec velut ante diu flammantes luminis iræ,
Sed pudor iſte fuit, vitio quod morbida cœli
Gens invicta manu tam fæda clade periret.
Auſpicio meliore novos procedere menſes
Aſtra jubent, quæ certa fides, teſtata favorem
In primore domo; fit fas ita dicere, cœlum
Non potuit veniam pretio majore mereri.
Fœdere ſignantur thalami concorde penates,
Poſtquàm luctus abit: nec enim ſubtraxerat illos
Parca ſibi, contenta domos vaſtare minores.
Vidimus heu miſeri! ſed enim lux feſta referri
Jam prohibet lacrimas, ſinceraq́ue gaudia poſcit.
Ille togæ princeps, quem patria luxerat orbum,
Jam ſocer eſt, audétque alios ſperare nepotes.
Inclita progenies virgo defuncta periclis
Nuper, & ereptæ nimiùm vicina ſorori
Ibit in amplexus, materna q́ue gaudia diſcet
Æquali ſociata viro. Nos fecimus omnes
Invidiam fato, tunc cùm dolor ureret artus,

Et decus hoc formæ mors in ſua regna vocaret.
Dum dubitata ſalus, metus & lamenta fuerunt
Publica: privatum laribus nil contigit iſtis.
Sed populi gemitu Lacheſis devicta remiſit
Hoc caput, & patri natam dedit, ille marito.
Sanguinis illuſtres titulis, legumque potentes
Convenêre domus, & patria fœdere in uno
Commiſit decus omne ſuum: connubia non hæc
Mortales fecêre manus: namque ipſa ſuorum
Rectorum ſobolem ſub vincla tenacia miſit
Pronuba fœlicis regina Batavia lecti.
Stare jubet currum, quo magno ſæpè triumpho
Signaque captivoſque duces reſpexit Iberum
Sub juga mox necti geminos ferrata leones
Jactantes cervice jubam, Berecynthia quales
Mater agit, tereticque citat per inania buxo.
Audiit imperium ſuperari neſcia virtus,
Injecitque feris Libertas ipſa lupatum.
Hæ ſemper dominæ comites, ſeu Martia bellum
Roma parat, ſocioſque jubet ſervire Batavos,
Seu gens ſæva Tagi populum crudelibus urgens
Imperiis pariter leges atque otia turbat.
Hinc ubi flammiferis demerſa paludibus ora
Exeruit veneranda parens, inſultat in axem,
Peltatas imitata nurus, potiuſque Minervæ
In ſpeciem: ſic vultus erat bellator, & idem
Sedatus ratione tamen: ſic gratia ſimplex
Ut nihil auguſta de majeſtate periret.
Aurea gemmatam ſtringebant cingula veſtem,
Quæ genuum demiſſa tenus radiabat Eoi[illegible]

Mercibus, atque alio raptis à littore prædis.
Tantas præter opes, quas contulit axis uterque,
Fecerat ars pretium: variaverat ipſe figuris
Tegmina Nereidum populus, dominæque potenti
Nobile ſub vitreis nunus properaverat undis.
Corniger hic Rhenus, Moſæque ruentis in illum
Oſtia: ſed geminum qua flumen definit, oræ;
Ultima cæruleo lambebat gurgite Tethys,
Et quantum Batavis famulatur claſſibus æquor.
At coma non molli fluitabat devia cultu,
Sed nodis implexa ſibi geminaverat orbes
Aurea cæſaries, rutilo quam ſpuma colore
Tinxerat: hunc etenim capiti conceſſit honorem
Ex quo raſa comam, cùm primùm triſtia fugit
Imperia, & totum pepulit cervice Tyrannum,
Erexit genitos in libertate capillos.
Talem quadrupedum moderantem colla capiſtro
Abripit in cælum Boreas: patuere ſereno
Nubila, laxatúſque dies quacunque veniret,
Jamque procul terras flatu ſubvecta miniſtro
Deſerit & ſeptem ſuccedit cominùs aſtris.
Lactea ſidereos inter jacet orbita curſus
Heroum domus: hîc niveo candore coruſcant
Semideûm ingentes animæ dignataque cælo
Nomina: diſpexit proceres Germana virago
Agnovitque ſuos. Quanta ſe mole ferebat
Obſeſſor Veterum Civilis, regia proles,
Par magno decus Arminio? cui proximus ibat
Cariovalda ferox animo, victórque Cheruſci
Morte ſua ſequitur Cauchorum optatus ab armis

Gannaſcus populatur aquæ; tum cætera turba
Qui ſceptrum tenuere manu, ſine rege Philippo.
Hi Cimbros docuere truces, gelidiſque Trionis
Agmina littoribus claſſes avertere noſtris.
Hos Peluſiaci ſequitur pia laurea Nili,
Impoſitumque jugum Friſiis, & limite ab omni
Rapta trophæa manu: ſed victor Arauſius ibat
Ante alios, venas & pectora ſaucius empto
Vulnere, vindictamq; ciens: huic fidus, ut olim
Hærebat Mylius lateri: nam ſæpè ſolebat
Ancipitis belli dubias committere curas
Illius arbitrio ductor, fideique probatæ
Conſiliis armare manum: mox prima poteſtas
Et radians ſanctæ Themidis jubar, inque Senatum
Jus datur. Egregium mirata Batavia civem
Hic Mariæ ſocer, inquit, erit: gaviſaque læto
Omine ſublimi greſſum celeravit Olympo:
Depoſitas tamen ante rotas, dum permeat ignes,
Mandat Erichthonio, defrænatoſq; jugales
Mittit ad Arcadici ſocialia ſidera monſtri.
Illa petit cæli ſpatium, quà vergit ab Arcto
Signifer, & medio libratur pondere Mundus:
Hæc data juſtitiæ ſedes: hîc cardine vaſto
Autumni patuere fores: cœliq; refulſit
Concilium: tanti cœtus afflata coruſco
Horruit adveniens ſubitò: ſtupefacta viciſſim
Gens ſuperûm, poterantq; Dii timuiſſe videri.
Ordine diſcretas habitabant Numina ſedes
Biſſeni primùm proceres, quæ plurima votis
Turba, ſibi complexa Jovem: regione ſecunda

Pie

Pieredes Laudumq́; cohors, Parcæq́ue ſorores,
Totaq́ue plebs ſuperûm. Subiit ſua curia mente
Belligeram Rheni ſobolem: ſic namq́ue priorem
Nobilitas tenet alta gradum: Brederodius illîc
A Byzantino veniens diademate ſanguis,
Cattaq́; progenies urbes; atque oppida cenſus
Alter habet, Batavaſq́; tribus noſtraſq́; curules.
Hos inter medius, Phœbæi luminis inſtar,
Cujus utriq́; jubar totidem ſe in ſidera fundit,
Demittitq́ue ſuos cœlo, ſimul erigit ignes,
Aſſidet ordinibus geminis certiſſimus auctor
Conſilii, qui mentis opes partitur in ambos
Ingenio linguaq́ue potens: hoc fonte Batavis
Et ſociis edicta fluunt: hoc patria gaudet
Ore loqui, cum ſancta petunt oracula gentes.
Poſtquàm conſtiterant vultus, Nymphæq́ue Diiſq́ue
Permutata ſalus, lævum tangente Tonantem
Cæruleus frater ſolio ſurrexit, & arma
Submiſit veneratus heram. Clariſſima terris
Diva, prior Neptunus ait, cui jura tridentis
Ceſſimus, ô ſparſis per tot mea regna carinis!
Circumfuſa polo, belliq́ue acerrima nutrix,
Ad ſuperos quæ cauſa viæ? rurſúſne Batavum
Mœnia claudit Iber, Lugduniq́ue obſidet arces?
Jam ruat Oceanus, teneant neque littora pontum
Arvaq́ue ſuccumbant laxatæ gurgitis undæ.
Puppibus an ſtravit gens Calpetana Britanni
Clauſtra maris? pereant vectores vindice flamma,
Aut mergantur aquis; quod ſi tibi fœdere rupto
Inteſtina graves agitat diſcordia motus,

Di facient partes; nam quæ non littora ſervant
Fata tibi? quantis olim dominaberis oris?
Illa refert: Gens magna Deûm tûque optima votis
Juno fave: nullas equidem in diſcrimina belli
Poſco manus: procul hoſtis abeſt, qui ſanguine nu-
Æquoreas infecit aquas cum ſtragibus auctæ (per
Littoris æquârunt ſabuloſa cacumina valles.
Tam propè nec nobis Tarteſſia caſtra timentur,
Quos urbes, anneſq; tegunt, quos mille cohortes,
Barnveldî quos cura vigil; cuſtode quis illo
Pectora ſecuro neget indulgere ſopori?
Tunc quoq; ductoris cùm mens veſana Britanni
Calcaret leges, in bello bella pararet,
Et quateret ſtrictas in libera colla ſecures,
Nullos mæſta Deos adii: ſuffecit ad illum
Ferre preces; ceſſit metus & commune periclum,
Ut ſubiit trepido nutantem pondere molem.
Non aliter pacem pelagi turbante procellâ
Cùm nautas deprendit hyems, & condita cælo
Sidera: naufragii terret præſentis imago:
Tum ſi fortè ſeni puppis permiſſa magiſtro,
Ille cavet fluctus & mortes inter ab arte
Tutus abit, parcitq; diis & queſtibus aures
Exonerat, Neptune, tuas. Dedit ille Batavis
Non opus eſſe Diis: nec nunc oranda putarem
Numina, ni ſtaret menti ſententia, gratas
Ipſi ferre vices: ipſi mea cura laborat.
Namq; meum columen pro tanto munere, pro ne
Soſpite quid debet cælo cui damna ſuorum
Imputat? ut fratrem fileam vernantibus annis

Digno

Digno nupta thoro, nec adhuc ſatiata juventæ
Filia debuerat jam vivere Præſidis uxor.
Hoc pretium excubiis, indefeſſoq́; labori,
An levis uſque adeò ſervati gloria Rheni?
Culpa ſed ô ſuperi tantæq́; licentia cladis
Officio mutanda datur: in gaudia cedant
Immeriti luctus ſic vos abſolvite nobis.
Eſt illi pars quarta domus, nunc tertia, virgo
Magnis major avis nam formæ dicere laudes,
Cùm ſuperent animi, gravis eſt injuria morum.
At quam non muliebre ſapit? quam caſtus in omni
Ore lepor? vultus quam certa modeſtia, ſortem
Diſſimulare ſuam, nec patrem fronte fateri?
Sed quid ego hæc, Superi vobis? agnoſcitis ipſi
Concilii cæleſtis opus multaq́; Deorum.
Dote laborantum, qui nullo in pectore tantum
Conceſſere ſibi poſt quàm per munera victrix
Nomine non falſo terras Pandora reliquit.
Ipſa Venus donis, & triplex Gratia vinci
Mirantur potuiſſe ſuis: huic ſacra puellæ
Jura thori, ſobolemq́; peto quo pluribus inſtet
Præſidiis ſuffulta domus, nec deſit in ævum
Tam generoſa meos proles rectura Batavos.
Quemq́; ſuum coluit ſemper venerata parentem
Patria, rurſus avum Maria genetrice ſalutet.
Reſpondere thoris & gaudia tanta mereri
Vel Mylius vel nemo poteſt: ſublimis & illi
Sanguis: equo præluſtris avus, genitorq́; per artes
Palladis aſcendit ſummi faſtigia juris.
Egregium juvenem, ſuperaturumq́; parentes

Nobi-

Nobilitas geminata tulit: mens ardua fulget
A puero, semperque suos sibi prærogat annos
Nec potuit tantum properare volatilis ætas,
Quantum crevit honos; prima lanugine pingit
Barba genas: primo vestitus flore juventæ
Ante capit jam corde senes. Quis computet ævum?
Vincuntur Pylii quinto tria sæcula lustro.
Jamque per immensum cursus circumtulit orbem
Dum mores, dum regna videt: peragitque secundum.
Lætus iter, spernitque hyemes, aut provocat æstus,
Et tanti sapuisse putat. Non Troius olim
Advena, non tantis erroribus actus Ulysses.
Hunc mihi cælicolæ proprium venerandaque lecti
Vincla precor, donate virum dominæque mihique,
Quem socer excelsus sua per vestigia ducat.
Dixerat; arrisit leviter Cytherea, sibique
Plausit Hymen: regina Deûm, magnusque probavit
Jupiter: ingenti tremuerunt cærula nutu.
Aliger ex turba legitur puer unus amorum
Notus utraque manu, facibusq; & vulnere divûm.
Læserat hic Bromium, cujus Minoïa cœlo
Serta micant, regem maris Oceanitide Nympha,
Raptoremq; Deæ patruum, Veneriseque maritum.
Hic dederat cupidi complexibus Herculis Hebem:
Senserat ipse Tonans puerum, non cornua falsa
Fronte gerens, non cùm penna sua nubila tranat
Remige, non furti pretium mentitus adulter,
Sed vultu profitente Jovem, veroque videndus
Numine, cùm magnæ petiit secreta sororis.

Tum

Tum venus, Heus Mylium, quocumque ſub axe vagatur
Quære polo metuende puer: ſeu frigidus Iſter
Spumanti calcatur equo, ſeu maxima rerum
Roma tenet, Venetique patres: nam mœnia Celtæ
Credo equidem Rhodani, Tameſiſq; reliquerit aulâ.
Sic ait, & volucrem dimittit in æthera natum
Nec verbis factura moram: volat ocyùs ales
Sidere, quod ſubito ſignavit tramite nubes.
Terque quaterque oculos devolvit in infera cœlo,
Et Mylii rimatur iter: vicinus Olympo
Alpinas terit ille nives, quà proxima cerni
Summa pruinoſis rorabant culmina ſaxis.
Tum puer: has inter rupes ſecurus amorum
Dum ruis, & medio credis te frigore tutum,
Accipe vulnus, ait: certè juga nulla rigenti
Stricta gelu ſolvent, quos hæc manus afferet, ignes.
Hæc ubi dicta, ſimul ſonuit gravis arcus & ictu
Per via non uno patuerunt pectora telo.
Ingeminat decies auratæ tela pharetræ
Sævus amor, nec, flamma manu jactata fefellit.
Senſit inexpertum juvenis ſub corde calorem
Saucius: ipſe, priùs lentos, incuſat amores.
Fitque exul non ſponte ſua. jam triſtia ſordent
Quæ durus colit arva Ligur, p cturaque cœli,
Ambuſti Phaëtontis aquæ: tu ſola Batavum
Terra places, & vultus heræ: jam flumina damnat
Conqueriturq; ſuis montes obſiſtere votis.
Præcipitat dominæ reditus abſentis imago,
Nec fert cura moras; tandem natalibus arvis

Lætus

Lætus adeſt, flammamq; ducem, patriæq; ſecutus
Vota, ſuis iterum ponit veſtigia ripis.
Intereà & dominæ pectus mucrone Cupido
Strinxerat, imbelli meditatus vulnera nervo,
Non priùs adducto ſinuavit fortiter arcu
Cornua, non auſus totas in vulnera vires
Ferre puer, multúmq; ſibi, Mariæq; pepercit.
At ſimul ipſe redux ſua vota reviſit Amore
Plus profecit amans, : adjuvit protinùs ictum
Chara manus, ſummoq; natans in pectore cuſpis
Hæſit, & impreſſæ leviter tepuere medullæ.
Qualis vere novo tellus, cùm frigora brumæ
Egelidi minuunt zephyri; nondumq; calentes
Lene tamen primis aſpirant frondibus auræ,
Quam nihil humani ſervat ſolennia ritus
Cælicolis curatus amor? maturat Olympus
Juſſa ſibi: non pulchra diu Ledæa minorem
Torſerat Atriden non Pelea mater Achillis.
Luna ſuum Mylion non una peregerat orbem,
Jamq; redux & ſponſus erat, gratantur amici
Adventum, thalamóſq; ſimul, domus utráq; ferve
Officiis: non aula deeſt, non curia Patrum,
Principibus radiant ædes, populúmq; clientem
Et Batavas matres amplecti tecta laborant
Et jam læta dies, quamvis properata marito,
Tarda tamen votis aderat, niveóſque lacertos
Et ſperata diu ſpondebat gaudia Veſper.
Partibus adverſis æquevæ gloria pubis
Stant Mylii Mariæq; chori non agmine tanto
Silenos, Satyroſq; trahit Semeleius Evan

Arva

Arva Mimallono quatiens Gangetica thyrſo:
Non Venus Idaliis olim comitatior exit
Arcibus, aut Cynthi virgo Latoia ſilvis.
Orbis opes tenet una domus: velamina Coa
Quæq́; ſuis Seres depectunt vellera ramis
Non ſatis ad cultas, nec quicquid Lydius amnis
Hoſtiliſq́; Tagus rutilâ deſpumat arenâ.
Accedunt ignes lapidum: ſubtemina gemmis
Picturata virent; & ſtagni concha rubentis
Temperat Eoas candenti germine flammas.
Ipſâ fores intrat cenſura Batavia, quanti
Tota foret, cœtuq́; ſuas metitur in uno
Divitias, & dum circumſpicit omnia, tantum
Miratur vexiſſe rates. ſed in ordine toto
Fulgurat ante alias ſubſtricta monilibus Indis
Compoſitæ ſuggeſta comæ pulcherrima conjux:
Cujus Hydaſpæo gemmas variata metallo
Alternos radiis nuſcet cinctura colores:
Tegmine nec ſolo ſupereminet: eſt quoque formæ
Primus honor: ſic ſidereos intermicat ignes
Multa polo Phœbe, coiit cum cornibus aſtrum.
Virgineas quantum Mylii nova nupta catervas
Tantundem premit ipſe viros. hoc ſexus uterque
Certavere thoro; vultus decor iſte marito,
Corporis hæc ſpecies, qualem nec carmina quondã
Semideis mentita ſuis. Tum maxima Rheni
Natarum, placidæ frondes innectit olivæ
Crinibus, & junctos altrix affatur amantes.
Nobile conjugium, quicquid meruiſſe parentes
Aut noſtræ potuere preces, Fortuna peregit

Nominis eximii titulos, cenſúſque beatos,
Optarem, niſi veſtra forent; nunc poſcere ſerum
Quod ſpectare datur. Thalamis indicere pacem
Diffidentis erat, gratum nec amantibus omen.
Unum quod ſupereſt, magnæ date pignora gentis:
Rectores properate mihi; dationis avitæ
Veſtra manus ſoboli longè tranſmittat habenas.
Qualis erat, quantuſque puer, complexus utrumq;
Barnveldî Myliiq; genus? Pater ipſe ſuperſtes
Vos videat, veſtraque diu de ſtirpe nepotes.
Audierat Lacheſis, longævaque fila maritans
Nevit Jaſonii felices velleris annos.

DOMUM DUCTIO
MARIÆ VANDER DUYN
REGINALDO BREDERODIO
Noviter Nuptæ.

CErnitis? exuviis, juvenes, & virgine victâ
Sponſus ovans lætâ ducit de nocte triumphum.
Cernitis innuptæ? veſtrum decus aurea tangit
Sponſa fores: venit æqualis deducta marito,
Æqualis, ſed prima tamen. jam dîcite longum,
Supremúmque vale: vitam tranſitur in illam,
Vos etiam quo vota trahunt, ſed vota parentum:
Veſtra tamen quoq; vota: quid eſt hoc dulcius uno?
Cernitis, ut thalamus lachrymas conſumpſerit omnes.
Dicite jam juvenes: jam reſpondete puellæ.
Læta venis igitur tam magni Præſidis uxor,
Nec te jam gemitus, nec te lachrymæque moræque
Sponſa juvant? tantumne tibi, tibi Dunia tantum
Tres noctes potuere? veni pulcherrima rerum;
Hæc te tecta vocant: hæc te intra limina rurſus
Oſculaq;, amplexuſq; manent, & conſcia luſus
Sidera, & in ſolem dilati copia ſomni.
Hîc iterum molles riſus, blandiq; lepores,
Et quicquid docuit primâ te nocte maritus.
Dixerunt juvenes, jam reſpondete puellæ.
Quid tibi crudelis, qualis non ante fuiſti,

Sponſe fuit, quòd ſic noſtris avellere noſtram
Luſibus, inque tuos velles transferre penates?
Qualiter innumeros inter quæ regnat odores
Rore novo, Zephyriſque tepens roſa, lilia quanquã
Et violæ circum trepident, ſi carpitur una,
Quæritur una tamen, viduataq; prata relinquit.
Nos quoque jam noſtri fuerat quæ gloria ſexus
Perdimus æquales, & turba relinquimur orba.
Dicite jam juvenes: jam reſpondete puellæ.
Cinxia, ſeu Iuno cupis Ilithya vocari,
Cinxia matronis, ſed matribus Ilithya,
Hos tibi commendat Paphiâ cum matre Cupido:
Hos tibi tradit Hymen: currant innoxia vitæ
Stamina, da pretium meritie æquale precamur,
Et fortuna nihil poſt tantos peccet honores.
Non alias melius deceat concordia mentes
Prima Deûm: non ulla fide propiore ligentur
Pectora: quid valeant hîc experiantur Amores.
Dixerunt juvenes: jam reſpondete puellæ.
Aurea virginitas (nec enim te nomen inane (nos,
Credimus) unde tui, poſtquam conjungere ſom-
Et lecti magnâ placuit decedere parte,
Tam facilis jactura venit? quam vidimus ipſæ
Fædera jam pacti metuentem prima cubilis,
Cùm vix è noſtris raperetur mœſta choreis,
Ut nunc, ò ſociæ, præfert interrita vultu
Gaudia! Quid? noſtri num tam citò pœnitet illam?
Pœni et? an cogunt etiam gaudere mariti?
Di. ite jam juvenes: jam reſpondete puellæ.
Boſphorii reges, & ſceptri culmen Eoi,

Quo-

Quorum in Cattigenas ingentia nomina noſtros
Tranſtulit alterius Didrici ſanctiſſimus hæres,
Unde parens Sicco, Brederodaq́; vênit origo,
Ecce ducum ſoboles, & veſter ſanguis uterque
Jungitur; & quantum Batavorum ſoſpite fas eſt
Libertate potens, magni caput ille ſenatus,
Duniadûm gener eſt: dabit hic thorus ordine longus
Bis numeraturos faſtigia priſca nepotes.
Dixerunt juvenes: jam reſpondete puellæ.
Maxima progenies, facies pulcherrima virgo,
Virgo quidem nuper, ſed nunc matrona vocaris,
Túne igitur noſtri, & nobiſcum deſidis ævi
Immemor? an ſaltem cantus ſociare, jocóſque
Tam grave, nec poteras paucas nos fallere luces
Virgineis permiſta choris? tamen ibimus omnes,
Ibimus, & fælix ſcribemus in arbore nomen,
Nomen Nympha tuum, deerunt nec florea ſerta
Frondibus, & molli ſpirabit truncus amomo.
Dicite jam juvenes, jam reſpondete puellæ.
Naſcere fortunæ promiſſum nomen avitæ,
Et patrias laudes (quanquam quis vicerit illas?)
Vince puer: primâ certûm genus indole monſtra.
Semina virtutis, niveos ſub pectore mores,
Ingentes animos, doctrinarumque capaces,
In victamque ſuo curarum pondere mentem,
Et totum genitoris habe. Veenhuſius alter
In leges & jura veni, ſublime ſenatus
Imperium, & ſimiles tædæ meriturus honores.
Dixerunt juvenes: jam reſpondete puellæ.
Naſcere formoſæ formoſa parentis imago,

Par niveos vultus, par ora rubentia virgo,
Fulgenteſque genas, & caſti plena pudoris
Lumina: ſed pariter feſtivi plena leporis.
Filia qualis eris, referes ſi filia matrem?
Cui par nulla ſolo graditur ſpectanda Batavo.
Mox tibi, nunc quantum nos omnes Dunia vincit,
Tempore venturo formâ cedetur ab omni,
Et certamen erit tantum de laude ſecunda.
Dicite jam juvenes: jam reſpondete puellæ.
Æternæ leges, & cuſtos maxima legum
Curia, quam clauſit flagranti Sirius aſtro,
Ne pacem turbate fori: civilia ceſſent
Claſſica: longa togis diſcordibus otia durent.
Non vacat in ſolitos curam perferre tumultus,
Et ſua caſtra duci rector juriſque, forique,
Quam præſtat Batavis, ferat hanc Aſtræa quietem:
Conjugis in gremio dum dulcia bella parantur,
Et leges aliæ placidis ſcribuntur in ulnis.
Dixerunt juvenes: nec reſpondêre puellæ.

III. EPITHALAMION

CASPARIS KINSCHOTII,

ET

MARIÆ DE CHANTRAINES

DICTÆ BROUXAUX.

QUæ tam blanda ferunt viridis ſuſpiria fluctus?
Cur Boreas tam lene ſonat? quo frigora motu
Exuit antiquos oblitus Erichthidos ignes?
Unde tener ros iſte levi qui littora tactu
Mulcet, & in molles quæ frangitur unda ſuſurros?
Quis rubor hic? noſtras quæ purpura veſtit arenas
Eoo vix quanta mari? Tuus ille renidet,
Kinſchoti, tuus ille dies: thalamumque jugalem
Sic natura dedit Batavûm trans æquora cerni.
Mollibus hinc Nereus animis, æſtuque canoro
Stringitur, & memores diverſo littore fœlix
Conjugium pinxere roſæ: dum pronuba flammis
Te Fliſſinga tenet regnatrix maxima ponti,
Nereidúmque domus. formoſos nutrit amores
Illa tibi. Quis tam veteri malè credulus ævo,
Qui nunc Oceano negat aurea ſidera paſci,
Inde novæ toties raparari cornua Lunæ,
Phœbeáſque faces alios conſurgere in ortus,

Si tibi, quæ ſuperis Bruxavia pulchrior aſtris
Et Valachro deducta mari, ſi tantus ab ipſis
Ardor aquis. Pelago non venit gloria major,
Cum Jovis æquorei complexibus Amphitrite
Accepit dotale ſalum: nec Theſſala Tempe
Cum Thetis Æmoniam non dedignata maritum
Contigit innumeras inter ſtipata ſorores.
Tu mihi, reſponſant gratæ cui carmina rupes,
Cæruleæ Triton moderator prime choreæ
Fælices ordire modos: quis ſuaſor utrique
Inſtaurare thorum: quo ſub duce nota retentent
Gaudia. Sic fugiat rorantes parcius artus,
Piſtricemque tuam celeri Panopea natatu.
Sic placeas Nymphis, rauco cum murmure circa
Littus utrunque tonas, nec te tua buccina fallat.
Eſt inter Valachrûm portus Brabantaq; ripæ
Nomina ſubter aquas toto ſecreta profundo
Vitrea Nympharum ſedes, qua fine jugantur
Moſa pater, Scaldiſque pater, multiſque refuſi
Cornibus advolvunt ſeſe majoribus undis.
Incertus color inde vadis: cumq; aurea miti
Redditur in pelago Phœbi radiantis imago,
Hic tantum non una dies, Thaumante creata
Virgo trahit quales arcu ſitiente figuras
Compoſuere Deas fluvii, curſunq; ſecutæ,
Naïdes humenti thalamos poſuere ſub antro.
Nec minus Oceani ſocialis turba puellæ
Exercent hic ſæpè choros, aut brachia laſſant
Fluctibus, aut flavos ſiccant in littore crines.
Sic illas vidiſſe putant, quos inſula circum

Plu

Plurima diffundit populos Miratur in uno
Nauta loco ſævas adeo ſilviſſe procellas,
Nilque notos audere truces: nec languida torpent
Æquora: ſed faciles ludunt in fluctibus auræ,
Et ſecura tument clementi carbaſa vento.
Digna Deis tedes. gemmarum fulta columnis
Aula micat, certatque polo, lucemque reponit.
Huc labor, huc omnes regni coïere ſecundi
Divitiæ, rutilant Phrygiæ quo flumina limo,
Quicquid Erythræa merſum legit Indus in alga,
Quod miſerante Pado lachrimat pia ſilva ſororum,
Concertæq; nives. Venus his ſuccedere tectis
Ipſa Venus gaudet, quoties natale reviſit
Æquor, & invehitur patrias regina per undas.
Æſtus erat, multumq; maris permenſa Cytheræ
Victrices dum forte rates, claſſemq; Batavam,
Velaq; in Oſtendæ toties redeuntia portus
Spectat, & Hiſpanos ad mœnia tuta ſedentes,
Illic flumineis quæſitum frigora lucis
Iverat: interior nam qua ſpelunca recedit
Texitur æternum myrto nemus: herbida circum
Prata jacent. molles hic ſe Dea fudit in umbras
Florum fulta thoris, inter dum gramina læta
Et Zephyros juvat, & fluvios audire ſonantes.
Atque ibi dum curas animo, dum tædia ponti
Excutit, & blandos toties reſpirat odores,
Tandem fidereo ſatiatam pectora ſomno
Occupat alta quies. At non gens mollis Amorum
Cum genitrice jacet. Pars eminus ordine nullo
Per virgulta ruunt: pars certant miſſa per auras

Tela

Tela sequi, pennisque suas æquare sagittas:
Aut violis implent pharetras, aut roscida ramis
Mella legunt. sunt & trepidis qui vulnera figunt
Arboribus, nulloque minas in cortice perdunt.
Mox ut quæque fuit puerili saucia ferro
Arbor amat: coëunt fœlici brachia nexu,
Et petit amplexus frons inclinata maritos.
Agminis aligeri lusus, dominæq; soporem
Turbavit subitus Zelanda clamor ab urbe,
Et plausus Hilares, exauditæq; per æquor,
Dum latè silet unda, fides. Simul inscia rerum
Cypris, ut hærentes oculis cessere tenebræ,
Mollibus & stratis cubito subnixa resedit:
Quid tantum cantatur? ait: quo cardine pompa
Prodit, & an nobis, pueri, sonat iste triumphus?
Astiterant pharetrata cohors, sed celsior unus
Sidereo fratres supereminet ore Cupido.
Illos Idaliis Nymphæ fovêre sub antris
Mille simul pueros. Hunc experientia solum
Cypridos excepit gremio, succosq; salubres
Tradidit, & vires crescentibus addidit annis.
Integer ostentat nullo corrupta veneno
Membra, minusq; puer; non hîc intacta lacessit
Corda ferox, sensusq; rudes: non pectora libat.
Sed semel exhaustos violentior ingerit ignes.
Defungique vetat. nondum sanata recessit
Plaga prior, venas aperit cum rupta cicatrix.
Huic fert exanimes obscurior omnis Amorum
Turba faces: novat hic aliis incendia flammis:
Ante sed immemori Lethes mersatur in unda

Lam-

Lampas, ut antiquæ veniant oblivia cauſæ.
Diffugiunt luctus: exuritur atra doloris
Funeſti rabies, & inanis cura ſepulchri.
Hic facit ut victrix mortalia corda ſuperſtet
Invidia leviore Venus, ſæviſq; medetur
Mortibus, & viduis excuſat amantibus ignes,
Hunc contra nec fata valent. Ad blanda parentis
Oſcula tunc titubans circumſurgentibus herbis
Reptabat, dubioſq; pedes firmaverat alis.
Inde refert: Meus iſte labor, qui fertur ad aures
Mater. & ignoras tantis ditata trophæis
Quis jaceat telis, quem debellaverit arcus?
Uſque adeóne tenet mentem ſopor? ultima norunt
Littora, victores veniunt quocunque Batavi,
Neſcit adhuc quod ſola Venus? reparantur in uno
Fœdere bina ſimul noſtri diſpendia regni.
Nec modicæ coïere domus: ſed origo parentum
Nobilis, & magni nobis creduntur honores.
Quem latet immenſum genii jubar, altaque virtus
Kinſchotii? cujus ſaturati nectare mores
Plus tædis uſſere meis, dum lætus amœno
Pectore non omnem finit effluxiſſe juventam:
Quanquam magna virum moles, curæq; fatigant
Undique, nec quiſquam tantos ſuffecit in actus.
Hunc quà jure ſuo fruitur, dominumq; recuſat
Patria ſupremi vocat ad faſtigia juris:
Hunc Brabanta Themis ſuffragia poſcit alumnum,
Et leges quas calcat Iber. Geminata poteſtas
Arbitriis aulæ. Cœli juſtiſſima cura,
Terrarumque ſalus, princeps ingentior orbe,

Cui

Cui dat victa ſuos domitrix Hiſpania Mundos,
Unius elegit curas, ſanctiſq; laborum
Arcanis hærere dedit. prudentia tantum,
Tantum nota fides; digeſtus creditur auri:
Naſſaviæ mandantur opes, magniq; tributa
Sanguinis, & centum per avos demiſſa nepoti:
Quod domino lætis de meſſibus area dives
Sepoſuit, quicqnid ſervata Batavia donat
Sed meritis confeſſa minus, quas littoris Indi
Puppibus Heſperiis juſſæ rapuere carinæ
Divitias, Aurora duci quæ munera miſit.
Hunc ego tanta parens inter molimina rerum
Triſtia deſerto mœrentem fata cubili
Hortabar ſperare thoros, & priſca redire
Sub juga: nec noſtris cor impenetrabile telis
Illud erat. Quin gnarus heræ quid dulcia poſſent
Oſcula, quàm niveis infundi dulce lacertis,
Ceſſerat. Infœlix! Donec Chantræ nide viſa
Manſuræ venere faces. Quàm fixa medullis
Vulnera! Vidiſti, quoties immite recurrit
Æquor, & in mediis flammas non perdidit undis.
Sic Athamantei nimiùm contemptor ephebus
Gurgitis ad viſos ardeſcens virginis ignes
Incendebat aquas, exarmabatque procellam
Pectore. victrices ſic qui rigat amnis olivas
Pulvere Niſæo lapſus procul hoſpita ſubter
Æquora Sicaniæ dilecto Naïdos antro
Intemeratus adeſt. ipſum mare ſervat amanti
Oſcula, nec dulces corrumpit fluctibus undas.
Illa per infamem non una uirgine pontum,

Illa

Illa per Jonios fluctus magis una meretur
Forma peti. Quis frontis honos! quæ gratia viſus,
Et caſtigato quàm læta modeſtia vultu
Inſignes teſtatur avos! non cognita nuper
Stemmata: ſed meritis, & avitæ conſcia laudi
Chantrænos patriis inſcripſit Flandria faſtis.
Hinc animi, virtuſque truci ſuſpecta Tyranno,
Et mortem patriæ pro libertate paciſci
Hæſit poſtgenitis. illo quoque ſanguine multùm
Defletur pietas. Fœlix qui crimine nullo
Tantùm cum patria miſer eſt, cauſamq; dolendi,
Quod ſit civis, habet; communi preſſa ruina,
Cùm leges, omneſq; boni, cùm jura jacerent,
Hæc jacuit; ſecum proſtratam publica fata
Subrexere domum. ſeries hinc læta dierum,
Nec de plebe thorus paucos duravit in annos:
Atque iterum luctus, ſed qui mihi traderet illam:
Nunc inſignis honos, nunc tandem munere noſtro
Irradiat lux alta lares, cunctáſque ſubegit
Eluctata vices tam clari nupta mariti.
Non durus de more chalybs tam mollia læſit
Pectora, non Siculis haſti fornacibus ignes.
Ipſe ego flaventes infeci melle ſagittas:
Ipſe acui Lydis attritum cotibus aurum,
Et matutino petii de ſidere flammas.
Hoc eſt conjugium, quo ſe fortuna probavit
Noſſe trahi meritis. Quærat licèt ardua virtus
Se contenta nihil, ſecuram ſponte ſequuntur
Divitiæ: veris miſcet ſe laudibus ultrò
Cenſus, & affectat titulis accedere tantis.

Jam-

Jamque diem votis reſtat quæ ſola mariti
Pronior axis habet ſignumq; expectat Eoo
Carcere fraternis Phœbe ſuccedere regnis.
Fáſne tibi ceſſare parens? jam ſtare cubili
Debueras, feſtaq; caput vincire corona.
Vix Amor hæc: nec Diva parens contata repente
Exilit, atq; ut erat leviter turbata capillos
Peccârat quodcunq; ſopor, ſine lege relinquit.
Neglectæ decuere comæ: ſuperaverat error
Quicquid cura poteſt. Paribus diſcriminat ingens
Sulcorum ſpatiis, & apertum dividit orbem
Concha Cytheriaci donum maris: omnis in una
Eſt color, & niveæ tractus in murice teſtæ
Cærulei venis interlucentibus errant.
Hæc Veneri tunc cymba fuit: ſed concava ſedes
Emollita roſis: prima quam nocte natantem
Propellebat aquas referens in littora pontus,
Auxiliumq; viæ famulantis ſpiritus Euri.
Mille pharetrigeri circum palantur Amores,
Mille maris Nymphæ Nereides. agminis ille
Ductor erat qui cauſa thoris. hunc maximus alto
Portabat Delphin; bipedes pars illa juvencas,
Cæruleos hæc frænat equos: hæc navigat alis.
Ipſa polo tantum reſuplnos aurea vultus
Hæret, & à cœlo nuſquam movet ora Cythere.
Quærit enim quantū cunctos ſuus Heſperus ignes
Præradiet: quot ſtent ſuperâ Jovis arce puellæ,
Furtivumq; genus: num transfuga rurſus Olympi
Endymioneas invadat Cynthia noctes —
Incluſit mox portus iter, ſponſæque penates

Ad-

Adventu patuere Deûm, ſtrepit aula choreæ
Plauſibus, & longè citharārum fertur imago.
Illa autem (nec enim differt ſibi pacta maritus
Gaudia) jamprimùm thalami conſederat oſtro
Æquævis erepta choris. Stola plurima circum,
Primoréſq; nurus. At gens innupta puellæ
Liminis obſidunt aditus, dum jura morantur
Conjugis, & cupidum dominæ cervicibus arcent.
O bona ſimplicitas, placidi certamina lecti
Secura nubente timent: ſociámq; verentur,
Grande nefas, tantis nudam objectare periclis.
Nectit & ipſa moras; blandus ſub corde recurſat
Uſq; pudor, tandemq; viro data copia magnæ
Noctis, & expertæ non inficianda voluptas:
Præſertim nitidæ cum jam deſcendere veſtes
Incipiunt, rubuere genæ, multuſq; per ora
Sanguis iit. Subitò diffundi lætior aër,
Et lux in thalamum gradientis prævia Divæ
Nocturnas ſuperare faces; ſimul ille cohortis
Signifer Idaliæ genialia fulcra Cupido
Floribus innumeris, & odora meſſe coronat.
Advolitant pariter fratres: violaſq; roſaſque
Liliaq; & vernos calathis gemmantibus imbres,
Aut coſtum, caſiamque ferunt, aut ſpargere certant
Rapta revicturi phœnicis cinnama buſto.
At De thalamo Nymphas prægreſſa ferebat:
Pone ferox, ardenſq; ſequi ſua vota maritus
Impulit: hunc ceſto levitur parcente flagellans
Conſtitit æthereo juxta Chantrænida vultu.

Ut

Ut gemini quondam vicino cardine ſoles
Diviſere diem, dubiis nec conſtitit aſtris
Quem faceret natura ducem, ſic limite parvo
Tunc Veneres fulſere duæ: vix luce minores
Stringebat vultus mortalis gloria formæ.
Mox regina Paphi: Salve clariſſima, fatur,
Progenies, rarumque meas decus inter alumnas:
Nec tibi diſcinctu facilem, noctique paratam
Sit pudor exuto melius velamine cerni:
Sic ego te, ſic iſte cupit; inconſcia ſervet
Hunc ſibi virginitas morem, trepidétque coactus
Quod debet neſcire pudor; tibi noſtra pavendi
Munera prægrediens conſumpſit tæda colorem.
Hoc unum, rudis eſſe time; jam murmur amicum,
Jam molles meditare jocos: quæ mutua reddas
Oſcula, quo manuum jungantur vincula nexu.
Cúmque animos gemini jam conciliaverit oris
Halitus, amplexu cùm longo fota calebunt
Pectora, ne precibus nimiùm contende mariti:
Cede, rogo. Tuque ô ſobolis cui pignore tanto
Fulta domus, perrumpe moras nec parce neganti!
Si benè te novi, non tradita gaudia malles:
Plùs viciſſe juvat; Fœlices ludite: dulcis
Hoc ſudore ſopor venit, his concordia rixis.
Sic ait, & cupidos tandem committit amantes.

IV. EPI-

IV. EPITHALAMIUM
JOANNIS BORELII
ET
AGNETIS HAYMANNÆ.

SCilicet invenit non mollis præmia curæ
Fidus amor: ductæ per triſtia ſomnia noctes,
Et tardi ſoles & mors propè viſa dolenti
Sub tanta mercede placent. tuus ille, Boreli,
Sed tecum meus iſte dies: nec lætior olim
Poſt Lybicas acles & Pæni prælia Martis
Lælius aſcendit currus victoris amici.
Ille ego curarum ſocius, teſtiſq; laborum,
Cui gemitus tu ſæpè ſoles, cui gaudia mentis
Credere (nam miſeros ſors utraq; verſat amantes)
Spem pariter luctumq; tuli. tibi vota meæq;
Sudavere preces: quin tum cum victa dolori
Succubuit mens ægra ſuo, tua vulnera longè
Et rapidas febres terris ſemotus & undis
Senſi equidem, & ſiquid poſſet vox nota mederi
Ire adeò & Valachris volui conſiſtere terris.
Non etenim infirmis animi radicibus hærens

Fortunæ arbitrio vulgi qui pectora versat
Nos sociavit amor: sed puri candida moris
Regula, corque tenax generosi semper honesti
Me cupidum fecere tui, dum perdita quæro
Tempore funesto melioris signa metalli:
Non aliter media quam surgens nocte viator
Obscuros lustrat cineres, tum forte micantem
Scintillam rapit & toto fovet obvius ore.
Jam quid ego hic memorem quam tu non impiger unquam
Volvere divina fulgentem lege papyrum,
Quasq; notas Oriens diverso tramite signat,
Et quicquid docuit facundis Græcia verbis,
Tum quæ conducant populis exempla regendis,
Quo domitas gentes pacarint jure Quirites.
Nec tamen ut multis ævi monumenta vetusti
Exhausisse satis, sed sæcli discere vultum
Cura tibi & quantum noster mutaverit orbis
Cernere: non tantis erroribus actus Ulysses
Æquavit profugus Trojani tempora belli.
Te Tamesis regnum, te dives Sequana novit,
Pannonjiq; amnes & primo gurgite Rhenus.
Non Itali mores animos flexere viriles,
Non mite ingenium corrupit barbara Thrace.
Quam nunc dulce oculis quondam conspecta, sagaci
Perlustrare animo, atq; alio te quærere cælo:
Aut apud antiquæ certantia mænia Romæ
Byzantiq; domos rapidis ubi Bosphorus undis
Distinet angusto coeuntes limite terras:
Aut qua se in ripas æstivo flumine tollit

Ni-

Nilus,& à pluviis non pendent nubibus arva,
Et vastæ tenui consurgunt vertice moles:
Aut Syriæ in campis, ubi limi gleba rubentis
Creditur humanam primum sumpsisse figuram.
Hîc homo divino tentatus membra sopore,
Ut sibi donatum corpus de corpore vivo,
Ignotum penitus traxit vitalibus ignem,
Unde amor & gemini fælix concordia sexus,
Ne vita auxilio, neu vita mundus egeret.
Tene ego prætream sanctorum patria vatum,
Vagitasq; deo cunas & flebile regnum:
Et quibus excedens posuit vestigia terris
Humani pastor gregis, & quibus ille sub oris
Sobria non genito mutavit pocula vino,
Laudavitq; novo genialem munere tædam?
Idem ne dubita tua nunc hæc fœdera præsens
Approbat, hoc sponsore tibi tua ducitur Agnes,
Ætatis flos illa suæ: quam prospera fata
Speratam multis, optatam pluribus uni
Sepositere tibi. Non ergo longiùs ignes
Dissimulat, solumq; timet non grata videri.
Nunc juvat ambages duroq; revolvere casus,
Postquam digna patent solatia, lætior ipse est,
Cum magno sibi constat amor. Sic Persea casto
Andromede complexa sinu vix certa salutis,
Dum pelagi meminit fremitum, rictusq; minaces
Pistris, ad invicti retulit se vindicis ora:
Fortè etiam trepidis ne quicquã exterrita somnis
Brachia non ausa est charo substringere collo,
Vincula adhuc scopulumq; timens. Fælicia corda

Constantes ambo, pariles in amoribus ambo,
Vos jam portus habet, nec vobis invidet ullus
Hac quam vestra fides meruit mercede potiri.
At nos per medium mare quos crudelibus austris.
Jactat Amor, longeq; jubet discedere littus,
Incerti miseros quas tandem appellat ad oras,
Si non hoc etiam nimium est, à fædere vestro
Votorumque modum, fideiq; exempla petemus.

V. EPIT-

V. EPITHALAMIUM PHILIPPI GUILIELMI NASSAVII PRINCIPIS ARAUSIONENSIUM ET HELIONORÆ BORBONIÆ.

QUÆSIERAT geminis æquales æſtibus umbras,
Feſſus ut excuteret ſoliſq; ſuoſque calores,
Naſſavii ductor generis placidiſſimus illum
Jam nemorum exuviis plenum, jam terga levantẽ
Venatoris equi denſis ſub frontibus herbæ
Excipiunt. juxta ſonipes: innoxia juxta
Tela, nec humano maculatum ſanguine ferrum.
Fons illimis adeſt tenues qui ſparſus in imbres
Mulcet humum, ſomnoſque vocat, dum murmurat unda,
Reſpondetque comis ſuper impendentibus arbor,
Et tot veris avis. Illic & populus alno,
Et platanis nubunt laurus, amplexaque vitis
Gaudet amatores in ſe traxiſſe corymbos.
At recline caput regalia nomina flores
Aggeribus fulſere ſuis, crinemque jacentis
Sponte roſæ ſubeunt, & tempora læta coronant,

Omina fausta thori. Tum sensim crebrior ore
Spiritus in similes fragrans emittitur auras,
Accepitque locus, quos non generavit, odores.
Quis superi fuit iste sopor? Vix contigit ullis
Principibus tam vera quies: seu bella pavescunt,
Seu cupiunt, hostis propior sedet intus, & atras
Advolvit nubes: tanto mens concita motu
Fluctuat, & nullo mutatur cura sereno,
Sed turbat factisq; diem, visisq; tenebras.
At non magnanimi confuderat ora Philippi
Pœna latens: suus ille, sibi, somnoq; vacabat.
Talis Aricino Nymphis conspectus in antro
Egeriæ conjux cujus pax publica vultu
Emicat & clausi testatur limina Jani.
Talis & ipse pater, sed tunc cum nobilis obses
Continuit tanto securos pignore Gallos,
Tutaq; finitimis dedit otia gentibus, ipse
Pacis certa fides: vel cum Gandavica primum
Fœdera, si Belgis nosset is parcere Divi,
Speratum tulerant finem civilibus armis.
Ergo ubi corporeæ vires sensusque relicti
Dimisere animam nec jam suus artubus usus
Quos vapor unus habet, mens in se tota recessit
Purior, & magni meruit commercia cœli.
Namque illi multo spectanda in lumine fulsit
Majestas immensa Deæ, quam cærula velans
Carbasus æthereo textus flammaverat auro:
Quoque comæ nodatur apex, non lectus in undis
Sed cœlo satus ignis erat, nec plebe petitus
Siderea, sed qui fraternum prævius agmen
Instruit,

Inſtruit, atque idem mutato nomine Solem
Nunc fugitat, nunc ipſe fugat. Mox talia fatur:
Clara patris magni ſoboles, in maxima fati
Munera, tot caſus, & tot dilate per annos,
Agnoſciſne Deam? Venio tibi numen avitum:
Non quam Lemniacæ damnavit fama catenæ,
Et Phrygium nemus & nimium venator Adonis,
Attamen alma Venus, nec tu me ſanguine cretam,
Aut pelago ſpumante putes: mihi patria Cœlum,
Et pater, ipſi orbes illic & vitrea templa,
Quæque manent bis ſex, & quæ ſeptena vagantur
Sidera, & in Boream quantum procul exit, & Auſtrum
Flammarum, pingitq; feras, hominesq; figurat,
Me duce conſpirant, quin & gens corporis expers
Aſtriferæ mentes noſtris ſub legibus ævum,
Perpetuoſq; agitant motus, ac fœdere junctæ
Paſcuntur numeris, & amico carmine gaudent.
Aſt homines, quanquam haud dubiè cœleſtis origo
Impulit erecto natales ore fateri,
Multum artus & vincla gravant: menſeſque reducens
Orbita, mortali ſpatio diſcrimen & aſtris,
Suppoſitos premit, ac ſuperis confinibus arcet.
Pauca manent generis veſtigia: namq; ubi primum
Ætheriæ pars ante animæ delapſus ab alto
Spiritus irrepſit membris, habituſq; caducos
Induit, hæret adhuc conſpectæ lucis imago,
Et decor ille ſubit. miſeri bona perdita tantum
Ut quærant, meminere. Velut, cum veſpere ſero

Excipiunt fessos vada Calpetana jugales,
Non totum tegit umbra jubar, tenuemq; reliquit
Admissâ jam nocte diem: vel vertice qualis
Lapsus ab aerio totis fit gentibus annis
Lines, & imponit regnorum nomina ripis,
Mox ubi jam terris se discedentibus infert
Tethys, & invitant longinquas ostia classes,
Servat adhuc à fonte notas, & pressus amaris
Fluctibus, agnosci tamen extra littora pugnat:
Haud aliter demersâ Chao sincerior aura
Scintillat. Pars magna hominum caligine cæca
Fallitur, & pulchri mendacis imagine gaudet.
Fælix qui densa radios sub nube sepultos
Me monstrante videt: non illum informia regna
Captivum traxere: faces non ille profanas
Concipiens fontes in corpora misit amores:
Sed non degeneres animos, & pectora cœli
Hospita scrutatur, meliore Cupidinis œstro
Percitus, inque illis patriam reminiscitur æthram
Nec tantum chalybis molitur pondera mundum
Qui simulat lapidis, & parili se cardine versat,
Quantum cognata trahitur mens enthea mente,
Ceu partem mirata sui, placet arcta subire
Fœdera, & impressis subter præcordia formis
Permutare animas. Neque non & sexibus olim
Diversis ea cura venit, flammaque ministrat:
Quippe ubi virgineo pellucens corpore virtus
Indolis, ut liquido sub flumine purpureus flos,
Præcipuè tamen os teneri, & fulgentia signat
Lumina dulce viro: juvat illud, & illa mari:

Sed

Sed magis ardorem ſpecies movet abdita, cujus
Effigiem roſeo meditatur gratia vultu.
Tum vero Cypriis etiam geniale pharetris
Jus damus: accitur nil peccatura Dione.
Hæc eſt, æthereo quæ quondam animata calore
Bis geminos molem priſcam digeſſit in artus,
Et terras pelago diſcrevit, & aere flammas,
Conjugiis vinctura novis, hinc plurima fœtus
Copia, dum pauper metuit Natura videri.
Hæc & graminibus ſeſe, & radicibus altis
Largior indulget, vitamque in ſemina fundit:
Iu mutos abit inde greges & cogit amare,
Et ſimilem exſimili generando quærere prolem.
Celſior ex imo ſurgit gradus: ultima cura,
Et mecum communis, homo: qui mente perennis,
Æquævuſque polo, non idem cætera, mortis
Legibus hanc etiam vellet ſubducere partem.
Ergo ne quicquid perjiſſet, & orbis
Ætas una foret, quos vis interna ligabat,
Horum etiam placidos quærebant corpora nexus,
Nempe animos imitata duces. hinc blanda ſonare
Oſcula, & amplexu cupidi livere larcerti,
Donec legitimis prælucens flammea tædis
Sanctus Hymen feſta velavit limina fronde.
Hic felix amor, hæc meritò mantura voluptas,
Quam pia non uno ſtringit concordia nodo.
Quid tibi nunc thalamos laudem, quibus omnia debes,
Te quoque? num referam quoties excuſſerit iras
Gentibus, & dextras jungens in fœdus inermes

Pronuba fax ſævos tectis defenderit ignes:
Aut malè disjectos populos Hymenæus in unum
Traxerit imperium? Cur nos externa morentur?
Inſpice Naſſavium decus, annaleſque tuorum,
Ut genus à Lona veniens, & fontibus Iſtri
Implerit geminum Rheni latus unde profectum
Longius Oceanum, & vicinas deſpicit Alpes.
Tot benè pro meritis unum Fortuna jugalis
Hoc po ɔit pretium, benè de ſe poſſe mereri.
At tu lentus adhuc, nec fratres cernis in hoſtem
Ardere, & patrias armare in prælia leges,
Magnæ avidos famæ, quam, proh, generiſq; ſuique
Immemores, vel morte petunt! tu primus ab ortu
Sanguis & haud fruſtra pacem cui fata dederunt,
Progenie fraudabis avos, ut jura parentum
Externus rapiat populorum cædibus hæres?
Quin age, quære thoros nec te ſpes irrita ludet:
Ipſa adero: tantum aude animumq; hoc omine firma.
Vallibus Elyſiis vidi, duo maxima bello
Pectora, concordes etiam dum vita manebat
Exultare duces: cognati hic ora ferebat
Cæſaris, ille novem magnos in ſanguine reges.
Ambo manus nectunt, ambo genialia figunt
Serta comis, pulchramque nurum, generumque loquuntur
Alterni: juvat in communia pignora binas
Transfudiſſe domos, ſobolem virtutibus æquam
Optat uterque ſibi: tantum meliora paternis
Tempora, juſq; ſuum ſine ferro poſſe tueri.

Sic

Sic ait, & vera pectora cestò:
Textilis in cinctu jocus, & solventia curas
Alloquia, & centum pariter risere lepores.
Tum, glauci quæ forte sinus aurata gerebant,
Principis in placidos fluxerunt lilia vultus.
Hic ubi fatidici perfusus imagine somni
Exiliit, repetit visus, auditaque narrat
Sæpè sibi, quærens animo, quænam illa superbis
Tot virgo dotetur avis, quæ gratia morum,
Quis decor auspicibus mereatur nubere Divis.
Nec quid amet novit sed amat. jam dulce mariti
Nomen, & ante oculos series immensa nepotum.
Est locus, Allobrogum quà se subducere montes
Incipiunt, læto quà sidere Gallica tellus
Detumet & Latios meminit Provincia fasces:
Hic dites fœcundat agros, non flumine primo,
Majoremve senex frustra luctatus in annem,
Sed Rhodani jam totus Arar: illum eminus undæ
Expectant Ligures, at qua se ripa recondit
Interior, priscas insignis Arausio turres
Erigit, emeritæ sedes ascripta Secundæ.
Ægri vulneribus, fessi sudoribus ævi
Hæc placuit merces. Illic quos struxerat arcus
Clara triumphato Marii victoria Cimbro,
Et cavea apparet Romanis plausa cothurnis.
Has nunc ille domos, hæc ille invisere gestit
Mœnia, regnatamq; diù majoribus urbem,
Ut quas multa furens circum turbarat Enyo
Restituat leges, & priscos asslet honores.
Dumq; iter est illa, Francæ decora omnia gentis

Nos-

Noſcere fert animus, quorum clariſſima mundi
Regia ſublimem variis ſe laudibus effert.
Te tamen ante alios fama monſtrante requirit
Inclite ma nanimo juvenis generate Capeto,
Virtutum ſpecies puriſſima, poſtq; penates
Scep rigeros primum Gallis caput. Ecqua per or-
Ignorat regio quantum tibi ceſſerit ætas: (bem
Seu cùm Mæo io prælusit carmine, ſeu cùm
In rerum cauſas & inenarrabile totum
Egit præcipites annos, pueroq; videndam
Se Natura dedit, pectuſq; inſ ripſit honeſto,
Quod geminas tenui diſtinguit limite culpas.
Tunc etiam, cùm tu latus ad regale ferocem
Tundis equum, roſeo perfuſus lumine, qualem
Cyllarus attonitis equidem monſtrabat Amyclis,
In te plebs omnis genitorem, & turba ſenilis
Belligerum miratur avum. Tum fortè meatus
Scrutans æthereos, quos turbine maximus orbes
Orbis agat, via quæ ſtellas raduxerit ipſi
Indeprenſa Pharo, ſimul adventare Philippum
Borbonius vidit juvenis, non aſtra morantur,
Non polus: inceptæ pereunt in pulvere formæ.
Quas tum nobilibus permiſti gaudia curis
Sermonum coluere vices, cùm quæreret alter
Quis ſitus Heſperiæ, quo Sol ſtridere profundo
Creditus, & quo ſe Nereus molimine terris
Inſerat, avulſi faciunt ubi littora montes:
Cur Tagùs haud ulrrà pretioſis effluat undis:
Aut quis nunc Rhenum Mavors tegat, iraque regni

Di-

Divitis in magnum quanto ruat agmine fratrem:
Ille autem prima narraret ab uſque juventa
Immeritos caſus, ut belli & criminis inſons
Muſarum gremio, patriæq; abreptus, Iberas
Contigerit terras, nequicquam jura fidemq;
Inclamans: quam deinde gravis cuſtodia capto,
Cùm genitor motis natum jam quæreret armis.
Intereà (namque è medio monet æthere Phœbus
Inſtaurare dapes, & finem ponere fandi)
En pariter thalamo greſſum Trimolia mater,
Et virgo Condæa ferunt, ſtans inter utramq;
Læta parens ſobolem tacito ſua gaudia vultu
Comparat, & ſimili metitur fratre ſororem.
Sic ubi numinibus geminis ſedet annua Cynthi
Sacra, nec Ægæo quærendam viſere Delon,
It media & centum latè fumantibus aris
Ipſa uteri Latona ſui miratur honores:
Hinc matrem Triviæ vultus, hinc pulcher Apollo
Diviſere ſibi: facie nec cernit in utra
Plus Jovis, aut cujus laudet magis illa pharetras.
At ſimul auguſtæ conſpexit virginis ora,
Fulgenteſq; comas arcanos concipit ignes
Pectore Naſſavius, ſomniq; in imagine viſam
Sentit adeſſe Deam. nec jam ceſſare tuendo
Sufficit, aſpicitur toras ſuper unica menſas.
Hoc contra magis illa oculos in matre pudicos
Figit & inſtantes metuit deprendere vultus:
Sed dum cura ſubit, cur ſoli blandior hoſpes,
Invitæ rubuere genæ. Coquit acrior uſque
Flamma virum: ac ſpatiis ſi quando excluſus iniquis

Vana sibi reddit notæ simulachra figuræ,
Tum verò pallere simul, gemituq; profundas
Respirare faces, quam nunc & Arausio longè,
Et memora, & faciles quacunque sub arbore somni?
Nulla quies, nullus cordi labor: omnia turbat
Unum mentis opus. mediis quin sæpè tenebris
Pervigil, agnosco, clamat, redeuntia fata:
En iterum captivus ego. nec vincula possum
Ista queri: procul Albanus, procul horrida bella.
Præda quidem, sed sponte feror. Cur quæstibus aulam
Infælix animæ, & votis cœlum omne movebas,
Si servire potes? Libertatisne reductæ
Pœnitet, an tanti est Hispani perdere munus
O miser & quando tandem meus? En erit unquam
Ut videat nostros leviter miserata dolores
Illa, nec egregiæ fallax clementia formæ?
Hæc secum: mora nulla, petat quin rursus amatum
Limen, & exopter flamma propiore peruri,
Sæpè rogans fratrem supplex, maternaq; sæpè
Pectora sollicitans, dextramq; amplexus utramq;
Ipsi quin etiam, licet haud inconscia multum
Dissimulet, vellet tantos facundior ignes
Promere, sed jussæ nequeunt procedere voces,
Pluraq; tacens loquitur. Jam mollior illa rogari,
Et placuisse placet: sed jura potissima Regi
Cognatæ in thalamos: Regis tentanda voluntas.
Aggressus (nam cogit amor, prohibetq; vereri)
Salve, ait, ô non jam fato mutabilis ullo

Imperii

Imperii bis facte parens dum Marte tueris!
Et dum pace foves: debes nam fortibus armis
Tu patriam, seque illa tibi: tantumq; gubernas
Quantum dextra dedit, cinctus victrice corona
Ante decus Regale comas. Hoc respice vultu
Me me oro, quo tot quondam subsidere gentes
Vidisti bello domitas, nimiumq; beatos
Te capiente duces, cui, quisquis poneret arma,
Civis erat. miserere, tua est hæc propria virtus.
Vitam equidem veniamq; rogo: non arma secutus
Hostica, nec Salias ausus contemnere leges:
Sed miserum quem fecit amor. Non parva, fatebor,
Dona peto, nostros ne dedignetur adire
Helionora thoros Lodoici sancta propago:
Nec vilis tamen, aut generosi sanguinis exors
Fædera tanta precor. tu fortibus annue cæptis:
Gallia sic toto mansuram corpore pacem
Accipiat, moresq; tuos: sic arma pavescant
Extera civiles concordia comprimat enses:
Sic faciles Mariæ partus Lucina paterna
Majestate notet: sceptri sic duplicis hæres
Gaudenti similes magna de matre nepotes
Ostentet, seruscq; tuas transumat habenas.
Rector at hæc contra: Benè te sperare jubebant,
Et tua quantumvis virtus meritura favorem,
Et pater hunc olim vidi lætatus amicum:
Et nunc agnovi subito frontemq; verendam,
Oraq;, talis erat quam non alienus ab illo
Tempore Nassaviis, scit, gens animosa Batavi,
Mauritiusq; tuus: scit, quem Colignia mater

Edi-

Edidit ingentes juvenis qui surgit in actus
Fraternas agitans hostili in pulvere turmas.
Cur tibi non eadem fiducia? Sed quid amantem
Demoror? En dabitur. Domus haud incognita nobis
Quum miscere paras, generum Trimolia sumat
Gens, habet unde nurũ. titulos namq; inter avitos
Bosphorium juxta diadema & sceptra canoræ
Parthenopes, regnumq; Paphi Cabilonia fulgent
Stemmata Sequanicis longè ditissima terris.
Hinc dominæ genus: hinc vestri stirps alta Renati.
Tangit & iste meos sanguis: multumq; beata
Dat tibi Borbonidas genitoris tæda sorores,
Unde fluunt Galli proceres, Germania magnos
Expectat nunc unde duces, nil segnior illo
Tu quoque Condæos atavis inferre nepotes
Nassaviis, nostras frænent qui legibus urbes,
Si memor & geminos partu fundare penates.
Quam tibi tum læto trepidârint excita motu
Pectora, quisque tibi, voto properante marito,
Dictos stare diès fœdix incluserit unus,
Absciderit; moras, cum summo minorq; potestas
Ad pompam venere tuam, magnumque potentis
Concilium regni mensæ videre jugales,
Quæ nox illa tibi, curis quæ præmia lectus
Solverit, Aoniis cantabit Gallia dives
Ingeniis, seu cui major persuaserit æstus
Heroas animare tubas, seu dulce Thaliam
Exercere jocis, & molles figere lusus.
Nec fas interea residès tacuisse Batavos.

Nam

Namque, ut præteream patris fratrisq; labores,
Per quos parta salus, legésque, & libera jura,
Et patria, & quantum Batavi sumus, hîc tua Breda
Nassavias ostentat opes: hîc serpit inerti
Linga vado, lambitque tuos minor Isala campos,
Mentitúsq; annem fraudato Lecca parente:
Maternas ubi casta tuo sub nomine terras
Et populos germana regens, multùm anxia, ne te
Invideat Rhodanus nobis, tamen urbibus ora
Spondet heri, dominisque parat nascentibus aulam.

IN DISCESSUM FILIÆ REGIS BRITANNIARUM NUPTÆ PRINCIPI PALATINO.

FOrmosæ Tamesis rigator oræ,
Tu dic Oceano, quod ille narrat
Jactanti Batavûm trophæa Rheno,
Ut Rheno sibi nuntiante gaudens
Majores Nicer ænnuletur amnes:
Dic cùm solvere jam ratis pararet
Abreptura decus Britanniarum,
Regnorum proceres, piamque plebem,

Nullo non lachrymis madente vultu
Expreſſiſſe gravem doloris æſtum.
Sed tot millibus una cauſa flendi
Fleri ſe vetat ipſa, nec flet ipſa.
Certè cum patriam ſuumque patrem,
Cum matrem videt unicumque fratrem,
Toto nomina ſeparanda ponto,
Arcanum gemit: ut tamen reflexis
Cernit luminibus ſuos amores,
Conturbata priùs ſerenat ora.
At magnus pater: I Deo juvante,
I, dixit, mihi non neganda proles.
Te Germania norit & Britannos
Ex te judicet æſtimetque mores:
Scotorum genus, Angliciique ſceptri,
Maternis etiam ſuperba Cimbris,
Ad dulcis gremium feres mariti
Bojo ex ſanguine Cæſarum nepotes.
At tu ſpes bona Teutonum tuorum,
Fer tecum gener hanc: aviſque dignas
Et dignas ſoceris capeſſe curas:
Et quantum fuerit ſatis, memento
Regum vota tibi dediſſe regem.

HELENÆ EPITHALAMION.

Ex Theocrito, Latinè redditum, ut verſus verſui reſpondeat.

SIC apud Oebalidas, & flavicomum Menelaum,
Crinibus aptantes Hyacinthi ſerta puellæ
Ante novum lætas thalamum duxere choreas,
Biſſenæ numero Spartanæ gloria pubis,
Cum minor Atrides, Helenæ poſt grata cupitæ
Fædera, ſopitus ſera ſub nocte jaceret.
Sic pariter junctæ pedibus per mutua nexis
Applauſere modis, quos omnis reddidit aula.
STERTERE ſic igitur ſolitum tibi mollis amator?
An quis es infirmis genibus nimis, inque ſoporem
Lubricus? an ſomno pariter, vinóque ſepultus?
Si libuit dormire, priùs dormire licebat.
At cum virginibus, cum chara matre, puella
Luderet in lucem: namque eſt tibi propria conjux,
Totque dies, menſéſque tibi ſervatur, & annos.
Sponſe, tibi quis in hanc venienti ſtertuit urbem,
Totque inter proceres fælix dedit omen amoris?
Unus ſemideûm poteris gener eſſe Tonanti:
Unâ nata Jovis tecum ſub veſte tegetur,
Qualis nulla nurus inter ſpatiatur Achivas.
Pignora magna dabit, referent ſi pignora matrem.
Nanque eadem nobis ætas & more virili
Curſus ad Eurotan unctis fuit omnibus idem:

Viginti noviès ſumus ævi flore puellæ,
Nec tamen eſt, Helenæ, quæ ſeſe conferat, ulla.
Ut micat orta dies Auroræ lumine puro
Poſt tenebras, ut ver tepidum poſt frigora brumæ,
Aurea non aliter nos inter Tyndaris extat,
Pinguior, & major. Seges in flaventibus arvis,
Theſſalus in curru ſonipes, cupreſſus in hortis,
Tyndaris in tota Lacedæmone pulchra renides.
Nulla poteſt qualo tantos variare labores:
Nulla puellarum radio ſubtemina ducit
Doctior ordiri ſtantes tibicine telas.
Nulla pulſu fides melius Latoïda cantat,
Pectoris aut multa mirandam mole Minervam,
Quam tua, quæ cunctis oculis includit amores.
Dulcis at ô virgo! tu jam matrona vocaris:
Nos, ubi mane novum, procul in viridantia prata
Ibimus, & carpemus olentes ſuave corollas;
Multa tui memores Helene, ceu Mollibus agnis
Ubera lanigeræ ſitiuntur turgida matris;
Nos naſcentis humi; nos primæ, vincula loti
Nexa tibi gelidâ platani ponemus in umbra.
Nos ex argento primæ tibi flumen odoris,
Nos tibi ſub gelida platani libabimus umbra:
Unde legi poſſint, cortex tua ſcriptus habebit
Nomina: ME VENERARE, HELENÆ SUM NOBILIS ARBOR.
Gaudete ô fœlix ſocero gener, & bona conjux!
Det Latona precor, Latona puerpera vobis
Det ſobolem: Cypris pariles, Dea Cypris, amores:
Juppiter æternas det opes, det Juppiter, olim

Nobi-

Nobilitas ſeros ut ditet avita nepotes.
Alter in alterius ſpirantes pectus amorem
Dormite, & memores mox ſurgite lucis Eoæ,
Nos quoque manè redimus, ubi cervice comatâ
Lucis avis primæ ſurgendi ſigna ſonarit:
Hymen ô hymenæe favens hoc fœdere gaude.

OARISTYS,

Ex eodem Theocrito.

DAPHNIS, NYMPHA.

PASTOR & ipſe Helenam raptuit Paris: alter ab illo
Huic ego nunc Helenæ merui plus paſtor amari.
N. Ne placeas Satyriſce tibi: nihil oſcula proſunt.
D. Oſcula nil proſunt: ſed in his quoque magna voluptas.
N. Os quoque detergo: ne ſola vel oſcula reſtent.
D. Os quoque detergis? da rurſus, ut oſcula ſumas.
N. Oſcula virginibus ceſſa dare: quære juvencas.
D. Ne nimium: pereunt ut ſomnia, ſic perit ætas.
N. Uva manet, ſit paſſa licèt: roſa marcida durat.
D. His oleis ſuccede tamen, quodque expedit audi.
N. Non libet: antiquas ſermonum novimus artes.
D. Hac tibi ſilveſtris cantabit avena ſub ulmo.
N. Me nihil iſta juvant: te, ſi libet, affice cantu.
D. Irritas Venerem virgo: vindicta parata eſt.

N. Alma Venus valeat: faveat modò Delia nobis.
D. Parciùs: injiciet captæ tibi Cynthia casses.
N. Ut libet, injiciat; dum rursus Delia solvat.
Labra tibi pungam, nisi jam manus improba cesset.
D. Non tamen effugies, quem nulla effugit, amorē.
N. Effugiam, per Pana meum. quo perfide, tendis?
D. Pejori vereor ne fis nuptura marito.
N. Multi me petiere proci, sed nemo placebat.
D. Unus ego è multis tuus huc, pulcherrima, veni.
N. Et quid agam, si sunt connubia plena dolorum?
D. Non mala, non luctus; solas fert tæda choræas.
N. Fama refert nuptis metuendos esse maritos.
D. Verius est parere viros: quem nupta timeret?
N. Horriferos partus, Lucinæ tela, tremisco.
D. Hæc eadē partus, quæ vos quoque, Delia curat.
N. Forma puerperio, meus est timor iste, peribit.
D. Si paries, paries dulces, nova gaudia, natos.
N. Si volo, quæ thalamis das dona jugalia nostris?
D. Ista tibi saltumque, gregemq; & pascua dono.
N. Jura igitur, ne me viduam post fædera linquas.
D. Non equidē, per Pana meum, licet ipsa fugares.
N. Ergo mihi thalamos struis, & struis atria, & æ-
D. Et thalami fient, & grex tibi pascitur iste. des?
N. Ast ego, quæ referam seniori verba parenti?
D. Audiat ipse meum fac nomen, & ipse probabit.
N. Dic igitur: nā sæpè juvat quoq; nomen amantes.
D. Daphnis ego, Lycidâ natus patre, matre Nomæâ.
N. Non tibi sum dispar tam clara gente creato.
D. Nec certè prælata: pater tibi namq; Menalcas.
N. Duc agè me ad saltus, & textas vimine caulas.

D. Cerne

D. Cerne meas primo vernātes flore cupreſſus. (læ.
N. Ite: boves, dominumq; boum ſequor: ite capel-
D. Dum nemus hoc monſtro dominæ, vos paſcite tauri.
N. Quid facis hic intus Satyriſce, quid ubera palpas?
D. Has juvat albentes primùm tetigiſſe papillas.
N. Obteſtor per Pana: manum jam tolle: taciſco.
D. Parce metu mea vita, nimis formidine peccas.
N. Quid me agis in foveā? niveos fœdabis amictus.
D. Sed paro molle tuis vellus ſubtexere peplis.
N. Ergo (quis hic furor eſt?) etiam mihi cingula ſolvis?
D. Hoc Paphiam primo placabo munere divam.
N. Deſine: neſcio quis venit huc: ſonus attigit aures.
D. Cupreſſus aliis aliæ tua fœdera narrant.
N. En etiam pallam lacerās: ego nuda relinquor.
D. A me palla tibi donabitur altera major.
N. Omnia promittis, nec tantum fortè daturus.
D. O poſſem ſi cuncta, vel hanc impendere vitam!
N. Parce precor Diana; fidem tibi victa fefelli.
D. Et bove nos Veneri, & vitulâ faciemus Amori.
N. Fœmina facta Lares repeto quos virgo reliqui.
D. Fæmina, ſed mater: nec, ut antè, puella, ſed altrix.

Sic hilares illi, ſic carmina læta ſuſurro
Furtivos ſuadente thoros alterna canebant:
Altera dum ſurgens pecudes paſturo relictas,
Quamvis pectore læta pudētibus iret ocellis;
Et lætus thalamis, armenta reviſeret alter.

HUGONIS GROTII

ELEGIARUM

LIBER PRIMUS

ELEGIA,

AD

HENRICUM BORBONIUM,

Primum Galliæ Principem.

ANNO CIↃIↃCXCIIX.

REgia progenies, quem Francica gentis origo
Borboniis veteri ſtemmate nectit avis,
Aſpice luminibus, Princeps Condæe, ſerenis
Carmina ſub Batavi ſidere nata ſoli:
Ingenio quæ digna tuo quicunque negârit,
Nîl agit, atque reum, qui fateatur, habet.
Et tamen hæc teneros defendi culpa per annos
Quiverat, exemplo, ſi paterere, tuo.
Nuuc abs te veniam quo poſſim jure mereri,
Quâ ſperare fide, quam tibi tute negas?
Namque triumphatis naturæ legibus annos
Anticipans pueros non ſinis eſſe rudes.
Hactenùs ætatem ſegni prætendere culpæ
Fas fuit: auſpiciis nunc decet ire tuis.
Sed tamen eſt aliquid quod nos defendere poſſit,
Iſtaque ſe imparitas, quo tueatur, habet.
An nihil eſt patriæ dici ſpes altera terræ,
Tot proavos Reges, tot numerare Duces?
Non tantum dat regna genus, famamq; decuſque,
Magna ſed ingenium ſtemmata majus habent.
Imbelles, aquilæ nunquam genuere columbas:
Nulla leonino ſanguine cerva ſata eſt.

Emi-

Emicat auguſtis penetralibus edita virtus,
Duret ut æternâ nobilitate genus.
Nos humiles animæ privatis claudimur umbris.
Obſita degenerum pectora torpor habet.
At tu, Magne puer, creſces majoribus ipſis
Major, & excelſæ gloria prima domus.
Siqua fides vati, te Gallia principe ſeſe
Efferet: heu longis Gallia preſſa malis!
Quæ nunc ille tuus poſitis rex ſuſtulit armis,
Sæcula majorem nulla tulere virum:
Te videant ventura parem: tu proxime Regi
Sanguis in illius tramite pone pedem:
Ille tibi munivit iter, virtutibus ille
Exemplum fœlix, auſpiciumque dedit.
Illius in causâ meritum Fortuna ſecuta eſt,
Noluit & cæcæ nomen habere Deæ:
Tempore jam ex iſto vobis ſors proſpera ſervit,
Fataque Borbonium ſunt venerata domum.
Jam tibi tota cohors famulari ſponte Deorum
Incipit, ut vacuum ſuſpicer eſſe Polum.
Molle tibi ingenium, moreſque effingit Apollo,
Commodat & ſociam docta Minerva manum.
Quin, niſi fallor, apes quondam naſcentis in ora
Dulcia Hymettæis mella tulere favis.
Nunc etiam Muſas feſtas agitare choreas
Inclita diſcipuli Principis aula videt.
Integer in terras adeò cum migret Olympus,
Intereà cœlum Mars tibi ſolus habe.
Fortè tuis melius ſacris operabitur olim
Extera regali tractus ad arma tubâ:

Cum

Cum Conſtantini Francis ſpolianda trophæis
Urbs erit (hunc metuas perfide Turca diem)
Aut veteres Solymos, & lamentabile regnum
Aſſeret enſe ſibi vindice Gallus eques.
O ſi ſæva ſemel capiat diſcordia finem!
Nec privata malus commoda quærat Iber,
Quoque patet Chriſti divinum limite nomen
Europa interno libera Marte foret,
Nîl Scythici faſtus, nîl ſit Saracena Tyrannis,
Quæque Muhammedes ſomnia finxit Arabs.
O mihi tam longæ currant bona tempora vitæ!
Ut videam clades, gens Otomanna, tuas,
Sacraque condæi victricia Principis arma,
Victaque inhumanæ nomina Barbariæ:
Non mea Bargæo concedat Muſa cothurno:
Tam celſos Syrias tollat ad aſtra modos.
Jordanes te parve canam, cui languidus annis
Prodiga palmiferis per vada ſerpit aquis,
Qualiaque umbroſæ ſudârint balſama valles,
Quamque Sionæi verticis aura juver.
Te feret incinctum laurum ſacra tempora, Princeps
Magne, coronatis currus eburnus equis.
Quò feror, ut thyrſo concuſſæ pectora Bacchæ?
Quò rapiunt elegos fervida vota meos?
Sit ſatis ut nôris, quod te neſcire negârim,
Vivere mancipii me tibi jure tuum.
Atque utinam, ſicut ſatis eſt mea plena voluntas,
Non & monſtrandi copia parva foret.
Nunc quia deficiunt vires, quod poſſumus unum,
Miſimus exiguas carmina vatis opes.

AD

AD DOUSAM

Pro ſua

REPUBLICA BATAVA

ATHENIENSI atque ROMANÆ

comparatâ.

DOUSA, Pater Vatum, miraris credo, pedeſtris
Serpſerit ad veſtros quod mea charta Lares,
Cumque ego Muſarum te ſim duce caſtra ſecutus,
Diſſidii fuerit quæ mihi cauſa, rogas.
Nocturni monitus, & ſomnia proxima vero,
Quæ cornu, fallax an mihi miſit Ebur?
Crede, Deas vidi: ſed non quas paſtor ab Aſcra
Viderat ingenio Numina amica meo.
Prima tenens æquam librato pondere lancem,
Ex cultu potui diſcere, Graia fuit.
Picta inerant ſuggeſta togæ, portuſque ſalumque,
Et tua cum patruo pugna Minerva tuo:
Hinc dictis populus pendens, hinc Curia Martis,
Hinc Cereris luctus, Perſephonæque faces.
Nec ſortes aberant, nec qui penſabat Honores
Calculus, extantes dum premit urna viros.
Cecropis aſpexi vultus, & Theſea, & illos
Qui benè pro patria non metuêre mori:
Et Periclem, & Perſis horrenda Themiſtoclis ora,

Por

Porticus & quicquid, gymnaſiumque dedit.
Altera victrices aquilas, & pila gerebat,
Et faſces, Latias ore imitata nurus.
Romulus in Veſta ſtetit, & Numa pictus eâdem,
Magnaq; Threicio pectora vota Deo,
Fabricii, Deciiq; & nobile nomen Horatî,
Byrſaq; Scipiadûm bis ſuperata manu,
Roſtratique Duces: hinc curia plena Triumphis:
Inde tribunitiis plebs agitata dolis.
Mille trahebantur captorum corpora regum:
Ultima ſed patriæ victima Cæſar erat.
Tertia lixivio flaventes lota capillos
Ibat: in ore notæ ſimplicitatis erant.
Huic dabat ipſe ſui Neptunus jura tridentis,
Et famulas Nereus ponè trahebat aquas.
Ipſe diu quærens agnovi pilea tandem,
Calcatumq; jugum, Naſſavioſq; Duces,
Et ſimul Heroas Batavos magnæq; nepotes
Stirpis, ab antiqua nomina ducta domo:
Cùm benè perſpexi, Salve mea patria dixi:
Illa nihil contra: patria triſtis erat.
Mox tamen in geminas oculis invecta ſorores,
Infeſto quærulos prodidit ore ſonos.
Jam ſatis hic veſtris miles ſudavit in armis,
Cui debent aliquid pallia, plura togæ.
Teſtis erit Felix: cum Cæſare teſtis Aratus,
Et Cicero, ille tuum Martia Roma decus:
Ut taceam verſus veſtri Sermonis Athenæ
Quod dedit, & Latiis Carmina luſa modis.
Vos ſibi devinxit, ſed nîl dum præſtitit illi,

Quam

Quam tetigit tenero corpore natus humum.
Hactenùs indultum est: quæ maxima poscimus, ætas
Dum negat, & ferri tam grave nescit onus.
Nunc humeris vires, roburq́; accessit ab annis.
Nunc dicam, meus est, in jiciamq́; manum.
Sat placuit Batavis Romana vel Attica Siren
Auribus: illa tuis meta terenda rotis,
Libera qua currus victoria volvit ovantes,
Et res in roseis publica fulget equis.
Dic Albæ, Parmæq́; minas, & crimina regis,
Quæ fuerint nostris causa, facesque malis:
Dic Socium Gallum, tractosq́; in fœdera reges,
Anglus & in bellum quo duce miles eat.
Hinc tibi laus surgat: Batavûm te littora credant
Ultima: cum patriæ nomine crescat honos.
Palladis urbs pugnam pro se Marathonis in arvis
Cæperat, & victas tot celebrare rates:
Roma suis omnem subjectum Legibus orbem,
Imperii & fines solis utramq́; domum.
Tum pariter, cum regna tibi, cum bella placebunt,
Si sapis, à nobis, non a iunde petes.
Magnus amor patriæ est, & gloria magna Quiritum:
Laudat Erichthidum tempora fama vetus.
Hærebam dubius, Paridisq́; exempla timebam:
Juverit una licèt, plus nocuêre duæ.
Ite pares hinc, ite pares me judice, Divæ,
Nobilis in scriptis triga futura meis:
Vosque valete leves curanti seria nugæ:
Ordinibus Batavis hoc vigilatur opus.

DACTY-

DACTYLIOTHECA GLORÆI.

ANNULE Principii nusquam pereuntis imago,
Et cui vel finis nulla, vel ipse tibi:
Annule, qui Cœli specie redeuntis in orbem
Telluris cohibes omni parentis opes:
Annule, qui rigido Lapidem redimite Metallo
Fixa Prometheâ vincula rupe refers:
Annule, qui tribuis quod jus Natura negavit,
Ingenuosque tuo solus honore facis:
Annule testis opum, quo plebs Romana carere
Cogitur, angustus quem sibi clavus habet:
Annule, Legati quem sacra, & judicis æqua,
Et scutata manus Centurionis amat:
Annule, quem donant reges, quem donat amator,
Quem fovet in tepido dulcis amica sinu:
Annule, cui commissa penus, commissa supellex
Servitii fures non metuêre manus:
Annule, qui missæ signas arcana tabellæ:
Legitimi sacrum pignus & arrha thori:
Annule secreti vindex, custodia veri,
Qui perhibes pactis, muneribusque fidem:
Annule, cui moriens & villas credit, & agros,
Tutelamque suæ prolis, opesque pater:
Annule, qui pestem, fœdumque arcere venenum

Pe-

Pectore, qui philiti crederis esse loco:
Annule, qui magicæ non ferris inutilis arti,
Cùm tua sidereis est rota picta notis,
Annule, quo solo si cedit dextra sinistræ
Fallitur: armillis est, puto, juris idem:
Annule, quem minimus digitorum gessit, & index:
(Sci icet hîc Achares, hîc Coriannos eras:) (est,
Annule, quem poscit minimò qui proximus ungui
Eque tuo digitus nomine nomen habet:
Annule, subtili vis ad præcordia venâ
Cujus inexplicita traditur ire via:
Annule, quem ferro procudit, & ære vetustas:
Optimus, argenti non grave pondus eras;
Annule, sed cassum cui nunc vix sufficit aurum:
Tale tamen prisci læva Dialis habet:
Annule, qui totos minimo comprendere census,
Qui pretium fundi claudere parvus amas:
Annule, qui mistis etiam spectare metallis,
Unáque quem totum gemma cavata facit:
Annule, qui Sardâ fulges, qui vinctus Achate,
Quem decet ex Arabum littore vectus Onyx:
Annule Beryllo renitens, viridique Smaragdo,
Cuique Adamas, & cui fulvus Iaspis adest:
Annule, qui totos hyberno Sole premebas
Articulos: pretii cui modus, æstus erat:
Annule per lusum cui mobile dextra sigillum
Ventilat, & gemmam vertit in orbe suo:
Annule, Pyrgoteles duro quem incidere ferro,
Quemque Dioscoridæ scalpere docta manus:
Annule, cui scalpro quæ sæpè incisa figura est,

Hæc aliàs cœli munere tuber habet:
Annule, materies in quo ne ſola placeret,
Sæpè Triumphales adjiciuntur avi.
Annule, qui Sphingas, qui turpia corpora ranas,
Sed tamen & magnos dignus habere Deos:
Annule, Cæſareos qui fers in imagine vultus:
(Ah capital Paulo quàm prope crimen eras!)
Annule, qui Gygi Lydorum ſceptra dediſti,
Qui, te Perſeæ caſſidis inſtar habet:
Annule, at Euphratis quem contrà ripa Seleuco
Abſtulit, & regni ſpem dedit eſſe ratam:
Annule, qui Samio jactura negata Tyranno,
Quem miſer, heu, nollet non periiſſe ſibi:
Annule, Cannenſis quo ſanguinis indice, menſa eſt
Carthago modiis Romula caſtra tribus:
Annule, Proſcriptor Noni: quo Cæpia Druſum
Odit; & in Syllam ſe tulit ira Marî:
Annule, quem fatum docuit Demoſthenis, & quem
Annibalis celerem mortis habere viam:
Annule, quem loculo varium qui condidit uno
Romuleâ primus Scaurus in urbe fuit.
Annule, quo Magni laurus ditata, Latinus
Cùm Mithridatæas Jupiter hauſit opes:
Annule, quem ſenis diſtinctum à Cæſare thecis,
Marmoreâ Genitrix vidit in æde Venus:
Annule, non unum quem ſacra Palatia ſervans
Marcello acceptum pulcher Apollo refert:
Annule, te quicquid (nam non eſt omnia noſtrum
Dicere) quæ ſequitur charta fuiſſe docet:
Annule, qui quondam gemmis inſignis, & auro,

At nunc Gorlæi parva papyrus eris:
Annule, quem gemmis, & quem nunc præferat auro,
Quisquis erit, veterum quem Monimenta juvant:
Annule, priscorum Vindex redivive dierum,
Hei mihi! cur lucem nex premit atra tuam?
Annule, qui nobis Latium, qui reddis Athenas,
Hei mihi, cur turpi conderis ipse situ?
Annule, Vir magnus prohibet, qui sorde remotâ
Dat tibi candorem, quem neq; gemma dedit.
Annule, si carie tamen, & rubigine scabrâ
Roderis, antiqui temporis ista nota est:
Annule, ne pudeat: numerat non pondus, at annos
Qui sapit & vitium diligit ille tuum.
Annule, quot longos senuisti marcidus annos,
Gorlæo totidem patre renatus ages.
Annule, nunc te iterùm procerum manus atteret, & tu
Nunc iterùm dignum principe munus eris.
Annule, qui thecam poteras habuisse sepulchrum,
Hæc natalis erit nunc tibi, theca, locus.

EPISTOLA IACOBÆ BAVARÆ AD IOHANNEM PATRUUM,

Auctore IANO DOUSA patre, cui proximè sequente epistola respondet GROTIUS.

INspicis? an tituli novitas vetat? inspice: non hæc
Mittitur a Tungris littera scripta tibi.
Durdrechti dominum princeps Iacoba saluto:
Sed tamen urbs, memini, cum fuit ista mea.
Omnia vertuntur: sic te Elisabetha maritum,
Ludsenberga suum nunc vocat ora ducem.
Exclamare lubet: Quan um mutatus ab illo,
Centronum ac Legiæ qui modo præsul eras.
Ipsa ego, quam dominam agnôras, nunc spretu cliente
De patrua cogor asperitate queri.
Heu, terris spoliata meis, ac parte bonorum!
Quæ natæ paulo liquerat ante Pater.
At non tantus eras, tibi cum patrona vocabar,
Quum primum comitis nomen adepta fui.
Tunc mihi spondebas operam, studiumque fidele,
Et fore te addictum tempus in omne mihi.
Voce, manu: simul ipse Deos in vota vocabas:
Et facere indubiam frons quoque visa fidem.

Qui

Quis non ex animo patruum hæc voviſſe putaret?
At tu (pro facinus) inſidiator eras.
Scilicet haud uno quæſiſti crimine palmam?
In neptim patruus, in dominamq; cliens.
Perfidia, impietate ſimul graſſatus, & armis:
Auſus & ipſe tuam conſcelerare domum.
Scilicet hoc fuerat, propter quod præſul, iniquo
Obſidio à Tungris cùm premerere tuis,
Fratris ope, exemptus diſcrimine, redditus urbi es
Ipſe tuæ, & pœnas gens inimica luit:
Ipſius ut natam, vinci ex cui proximus eſſe
Debueras, armis perſequerere tuis?
Eſſet ut officii mea tanti injuria merces?
Ah, nolim manes hoc meminiſſe patris!
Quid precor? ah patrii meminerunt omnia manes!
Teque rerum jam nunc proditionis agunt,
Ingratumq; vocant, cignum nec honoribus illis,
Expenſos toties quos tulit ipſe tibi.
Ipſa egò, quanta tibi, præter legata parentum,
Commoda, quos titulos gratificata fui?
Muneris eſt noſtri denis quod millibus auctus:
Cum Leda Arkelius quod tibi ſervit ager.
Muneris eſt noſtri, Belli quod nomine Montis
Acceſſit titulis Hannonis ora tuis.
Scilicet auctus ope hac, in nos uti cornua vortas;
Exitioque ipſi ſint mea dona mihi.
Sic inſpirato paſſa (heu) ſum vulnus ab hoſte
Natricem in proprio viſa fovere ſinu.
Quid tamen hoc mirum, patruo ſi credula neptis,
Falſaq; flamineæ fœmina fraude fui?

Blanditiæ id fecere tuæ; me frontis honeſtas
Impulit & tituli pontificalis apex.
Credidimus ſcriptis conſignatiſq́; tabellis:
Pollicitis teſtes addideraſq́; Deos.
Teutonicam certè illa fidem promiſſa mereri
Viſa: neq; in patruum ſuſpicioſa fui.
Necdum etiam mentis violentæ emperat æſtus.
Heu, in perpetuum debuit ille premi!
Arkelium (memini) quum perfidiæ ipſe notares.
Exemplis peccas turpiùs ipſe tuis.
Quin grates etiam nobis (veterator) agebas,
Promam adeò extollens munificamq́; manum.
Faſſus adhæc, quod ſpe plura & majora dediſſem,
Nomine quo nobis debitor uſq́; fores.
Heu, ubi avita fides, dominæ jurata Jacobæ!
Væ miſeræ quoties hæc iteranda mihi!
Hoc erat, hoc igitur, quod jam trieterida nonam
Uſq; ſacerdotis munia ſpreta tibi?
Ex quo Tungrorum delectus epiſcopus audis,
Teſtatus titulos hos ſatis iſſe tibi.
Obſidii cauſſa illa tui, Legiæq́; rebellis,
Hei, quanto patri conſtitit illa meo!
Teſtis inundatus civili ſanguine Moſa,
Ah! nolim Tungros hoc meminiſſe tuos:
Quos pater obſeſsâ niſi ſummoviſſet ab urbe,
Quis tibi defecto (quæſo) tuliſſet opem?
At tu, ſi incolumen voluiſſent fata Jacobam,
Perpete debueras obſidione premi:
Flaminiiq́; vicem, multo ſufflamine ſtringi
(Declivi uſq́ue adeò tramite) dignus eras.

Noluit hoc genitor, fidei non immemor unquam,
Pontificem cathedræ reſtituitq; ſuæ.
Non quia tu dignus, ſed enim quia candidus ipſe?
Quam diſpar fratris moribus ille ſui?
Te vacuum ſiquidem prava ambitione putavit,
Nec cadere in fratrem tam grave poſſe nefas.
Quanquã etiam tibi præſumptæ, dum viveret ipſe,
Multa poteſtatis jam data ſigna forent.
Primùm, quod ſacris præſul dare nomina nolles.
Hoc animi indicium ſceptra potentis erat.
Flaminis at quanto ſatius te munia fungi,
Et dare in anguſtos thura merumq; focos:
Quam tot colla ducum ferro demeſſa, virumque
Millia tot nutu ſtrata videre tuo?
Tunc, cum cæſorum calcares victor acervos;
Moſa cruentatis decolor iret aquis.
Nam quid ego hic Wordæ referam munimina,
Annuerat precibus quã pater ante tuis, (paullo
Hac lege, ut conclave inibi & nova tecta locares:
Pro conclave ſed arx ædificata tibi.
Nec tamen offenſus tantæ pater augmine molis;
Æmula Hageſteinæ jam licet illa foret:
Contentus dicto te dimiſiſſe jocoſo,
Tuta quidem hoſpitio tecta locata tibi.
Cauto opus eſſe tamen, ſibi ne hæc ſubſtructio por-
Aut ſoboli accideret exitioſa ſuæ. (rò,
Vera pater monuit, mallem ædificare vetaſſet,
Vel cæptum potius impediſſit opus.
Una dies tantam potuit ſubvertere molem,
Vix luſtri ſpatio quæ properata tibi.

Unius edicti tantum effectura potestas,
Germani ambitio sic reprimenda fuit.
Ille quidem prudens prævisa pericula pridem
Consiliis studuit antevenire suis,
Conventu indicto, generi post funus acerbum,
Deficit hoc uno nostra querela loco.
Hostica quod facere ausa manus, mihi scribere
mors est.
Si mihi, sed tecum mors properanda fuit.
Indicto convento igitur, se nempe putavit
Sat sibi, sat natæ consuluisse suæ;
In sua si proceres jurati verba frequentes
Signarent scriptas publicitùs tabulas.
Quarum summa fuit, ipsum si fata vocarent,
Nullius subdi se ducis imperio
Passuros, quam Guilielmo quæ nata Jacobæ:
Quatuor hæc populis una futura satis.
Ordo omnis juravit in hæc majorq; minorque;
Oppida, præturæ, nobilitasq; frequens.
Ille quidem hæc cautæ, sed enim quæ cautio contrà
Insidias potuit cui satis esse tuas?
Quæ tamen, ô, te sæva animi fiducia, præsul,
Induxit nepti bella movere tuæ?
Quæve tibi attonuit aures Bellona flagello?
Regis an hæc quoniam res benè cessit avo?
Te quoque speravit, viduam dum invadis & orbam
Successu usurum post duo sæcla pari?
Causa mea est cispur: invitis civibus Ada
Lossensi fuerat virgo jugata thoro.
Admissum quid tale mihi? Patria auspice, nupsi
Del-

Delphino, cui me tradidit ipse pater.
Quem nisi facta manu mors invidisset amanti,
Haud mihi jam patrui bella timenda forent.
Improbe, quid rides? nisi me præsagia mentis
Decipiunt, eadem te quoq; fata manent.
At nihil ille mali meritus, tibi debita pœna hæc:
Fas, noxam æquo animo, qui meruere pati.
Quid? non audisti scelus hoc quæ exempla sequantur?
A patruo at poteras doctus id esse tuo.
Hunc etiam viduam Marte infestare parentem
Imperii vecors extinulavit amor.
Ille tamen victor (fateor) sed respice finem:
Eveniat nostris hostibus ille furor:
Scilicet Hamatorum & Asello nomina pisci
Quæ debet, nostræ hinc factio nata domi.
Quæ tibi nunc cordi est, quam tu præponere nepti
Audes, Egmondis fretus & Herculeis.
Queis mala tot nostri retulere accepta parentes;
Imperio ut taceam tot data damna meo.
Horum ope, Gorcomium portas tibi nocte recluſit,
Captaq; non ægrè proditione suâ est.
At non perfidiâ longum lætata suorum:
Dii melius, ludus quos violare tibi est.
Ut meriti, pœnas certè solvêre nocentes,
Guilielmum ante alios scis cecidisse tuum.
Guilielmum frustra contra sua fræna tenacem.
Ultimus Arkelii nominis ille caput.
Demens quem non exilium, non arcta parentis
Vincula, fortunæ commonuere suæ.

Tu quoq; vindicibus noſtris dabis improbe pœnas,
Statura, hei, quanto perfidia iſta tibi!
Nam tibi quem poſthac auſis ſperare fidelem,
Ipſe nec exemplis anxius eſſe tuis.
Dum mihi juratos ſatagis corrumpere cives,
Nobiliumque animos conciliare tibi.
Hisque novas tabulas, illis addicere prædam;
Hos prece & armatis ſollicitare minis: (ulta,
Proſcriptos trahere in partes, queis non modò in-
At ſua laudi etiam flagitia eſſe jubes.
Imperia his, faſceſque & publica munia mandans,
Municipeſque armans in mea damna manus.
Jam conſtare tibi gratis cœpere clientes:
Pollicitis dites quos facis eſſe tuis.
Aurea (militiæ decus) his calcaria donans,
Quidquid & aurati ferre ſolent equites:
De noſtro largiris opes, largiris honores;
De noſtro miles, quæ meret, æra capit.
Hoſtica dum patrias circumfers arma per urbes,
Injicis & dominas in mea jura manus.
Omnibus inſidians: nec te Goilandia, nec te
Arx Wordæ ulteriùs, vel tua Narda capit.
Nec mitrâ venerandus ades (uti præſule dignum)
Nec nivea innocuos velat aluta pedes.
Principis in morem, turmis ſtipatus & armis
Incedis, niveo conſpiciendus equo.
Et (tanquam comiti) tibi fulvæ inſignia clavæ
Præferri, pompâ te comitante, jubes.
Haud aliter, quàm ſi, non ut nunc patruus, ipſe
Germano frater ſed mihi jure fores.

Or-

Ornatuſque meis, (cornix Æſopica) plumis,
Oſtentas vires, ambitioſe, tuas.
Quo (Lymphate) ruis? ſacra te celebrare decebat:
A ſacris diſtant quàm procul arma tuis?
At vidua es patre orba, inquis: ſcio, non nego: quid
Tutelæne igitur credor egere tuæ? (tum?
Quid faceres, niſi, adhuc coleres dum ſacra, profanæ
Tutelæ tuus hic indiguiſſet apex?
Jam pupillares ætas mea tranſiit annos:
Hinc tutore mihi nil opus eſſe ſcias.
Utcq; ſit, haud patruo mihi opus Tutore: Brabantum
Malo ducem: nobis hic capiundus erit;
Vel patruo invito (faveat dum Roma) parentis
Germano genitus ſit licet ille meæ,
Nam quid agam potiùs genitore orbata, viroque:
Parte etiam regni jam viduata mei?
Expectemne, mihi dum te quærente maritum,
Contingat tædâ principe dignus Hymen?
Tene inquam, neptim quo non violentior alter
Jure thori, atque opibus deſpoliare ſuis?
Idque fuit, cur depoſitis mitrâque pedoque
Juncta tibi inceſtis Eliſabetha thoris.
Cujus & ipſe ſacro ſobolem de fonte levaras.
Quid facis? ah, non ſic uxor habenda tibi!
Connubii tabulas, dominam cum dote propinquis
Redde ſuis: Nemeſi vindice digna facis.
Nec vidua Antonî eſt Apicato digna marito:
Nec gener hoc cuiquam more parandus erat.
At tibi viſa parùm hæc, niſi noſtra in commoda pec-
ces,

In-

Insuper, ac neptis impedias thalamos;
Brabanto infensus, qui me defendere, quique
Flagitiis posset obvius ire tuis.
Vincla sed ambobus cognati sanguinis obstant.
Quid refert nova dum vincula nectat Hymen:
Et mea Romanus firmet sponsalia præsul?
Ultima quæ patris vox morientis erat.
Quæ placuere patri, non est mihi spernere honestum.
Invidiam thalamis detrahit ille meis.
Nec tanti mihi tæda, salus sed publica tanti:
Crimine quæ pessum se dolet ire tuo:
Tempore jam ex illo, postquam (auspice Sigismundo,)
Transiit in thalamos Elisabetha tuos.
Schismaticis dum consiliis, & Cæsare abutens,
Arbitrii Papam non finis esse sui.
Cæsare, ad imperii corpus, post fulmera patris,
Persuaso, sceptri res rediisse mei.
Scilicet Hollandi solii hunc non esse capacem
Sexum. Quid mirum? res agit ille tuas.
Quo, nisi uti patruo mea prædæ hæredia cedant:
Et patriæ nobis præripiantur opes:
Hic scopus est, acies in quem tua dirigit arcum,
O, ego tanta negat posse videre mala.
I nunc, & sceleri tutelæ obtendere velum
Perge tuo; & populo, non mihi verba dare,
Tunc, cui gladios cui tela intendis & ignes;
Huic, (rogo) vindiciis vis opus esse tuis?
Cujus in exitium curvis Jovis unguibus ales
Imminet, (impulsu concitus ille tuo;)

Pon-

Pontificem exterrens, rebus ne cauſa novandis,
Aſſenſum tædis commodet ille meis. (ſul.
Fruſtra; etenim haud ſegnis viduis ſuccurrere præ-
Dî melius! ſimilis non erit ille tui.
Tutelam affectas? quid, ſi cum infante puellâ
Res tibi, vel vidus deſipiente foret?
Tu tamen hoc aures fuco mulcere Batavas
Auſus & inſidias diſſimulare tuas.
Scilicet id fuerat, Leccæ cum nuper ad horam
Concilium indictum municipale mihi.
Teſtis, quæ Bellis urbs nomina ducit ab hortis:
Legati à populis huc coïere tribus,
Huc proceres quantũ eſt, cum nobilitate frequenti:
Viſus at hîc cauſæ nemo favere tuæ.
Excipe, jam ante tuis quæ pars obnoxia juſtis;
Excipe & Egmundos Arkelioſque tuos.
Sic Patrui ſic paſſa mei tutela repulſam:
(Gratia Dîs) juris ſic ego facta mei,
Legitima Hannoniæ à Batavis ſic reddita princeps
Auſpiciiſque meis res mea cœpta geri.
Nec ceſſare tamen placitum tibi: ſæva cupido
Obſtitit, & regni non moderatus amor.
Sic tibi Durdrechti patuerunt mœnia primum.
Perſonam fronti detrahit illa tuæ.
Hanc tua proſcriptis pietas patefecit aſylum,
Daunarat frater quos capite ante tuus.
Ille quidem capitis ſontes damnarat, at a te
Non tantum his noxæ gratia facta ſuæ,
Sed nova tecum etiam ſociatæ in fœdera dextræ;
Fœdera, fautores non habitura Deos.

Hei

Hei mihi, quid dignum ſcelere hoc & talibus auſis,
Aut tibi quid tantâ pro feritate precer?
Quid, niſi uti pergas? primo ut quoque tempore poſſis
Præmia pro meritis æqua referre tuis.
Perge, (uti cœpiſti) ſtrages cumulare tuorum:
Perge animum noſtris exatiare malis.
Nil moror: in ſuperos perjurus, perfidus in nos,
Impius, ingratus non potes eſſe diu.
Non potes, ultores homines, habitare, Deumque:
Impia qui pariter, tum pia facta videt.
Nec minùs ultores manes habiture paternos:
Hiſque ſimul pœnas & luiture mihi.
His inquam, quos vel perjuræ crimine linguæ,
Perfidiâ placuit vel violare tibi.
Intereà, (ſponſo dignas ex præſule) neptis
Delitias facias Cæſariana tibi.

RE-

RESPONSUM
JOHANNIS BAVARI
AD
JACOBAM.

MItto, JACOBA, potes mihi quam debere, ſalutem
Patruus, & quanquam non finis ipſa, tuus.
Fœmineos queſtus & verba minantia legi.
Iſta tui ſextus ſcilicet arma moves.
Stulta, quid inſanis? quis curatoris egentem
Te neget, hæc auſam ſcribere verba viris?
His ego terrerer, quem non Ardvenna rebellis
Terruit, excuſſo Moſa nec ipſe jugo,
Condruſonumque ferox acies, Eburoq; tumultus,
Contemptrixque necis Parviſiana manus? (tur.
Nunc tamen ecce tui Thuridres mea ſigna ſequun-
Tunc dubium Legiæ Præſul, an exul eram.
Exuleram certè. Trajecti mœnia teſtes,
Obſidio ſedes nobilitata meo.
Nec tamen extremis animi fiducia rebus
Defuit, aut ſociæ, quis erat uſus, opes.
Nam Nemetocernâ vênit mihi miles ab urbe,
Sequanicæque mihi concinuêre tubæ:
Nec miſerum fratrem pietas Gulielma reliquit.
Diſſimilis natæ quam fuit ille pater?
Non pudet, & fateor: nec enim benefacta meorum
Noſcere, more tuo, faſtus & ira negat.

Si

Sî tamen huic merito, vel si quæ plura fuerunt,
Gratia par factis nulla relata meis,
Umbra dabit veniam: quo mi pia jura vocabant,
Sanguinis oblatum munus obire vetor.
Sæpe mihi frater lacrimis ita dixit obortis:
Per proavos Boia nomina nata domo,
Per tibi quæ cano caput infulat velat amictu,
Per defensa mea Tungrica sacra manu,
Sit natæ tibi cura precor, rerumque mearum,
Cui cinis, & Batavis flebile funus ero:
Unica quæ nobis sceptri tam divitis hæres,
Quàm vereor tanta ut bene servet opes.
Nunc tamen, heu, vidua est! & tunc erit orba parente:
Sed vidua auxilio ne sit & orba tuo.
Audiat hoc cælum: Non armis commoda sector;
Quod mihi legatum vindico, cura tui est.
Quam bene sanctarum voluit prudentia legum,
Vivat ut arbitrio fœmina nulla suo!
Nam quota pars animi superest, ubi sola libido
Imperat, & pietas officiosa nocet? (tur.
Quid facerem? posco, quod jus dabat: arma movendebitus an sperni se patietur honos,
Aut apud agnatam plus me Brederoda valebit,
Contemptusque mei testis inultus ero?
At neque Dî voluere: Ferox tuus ille momordit
Pulveream multâ cæde cruentus humum.
Ille ferox jacet, Egmundis sua regna Vianam
Ausus, & Herculeis æquiparare meis.
Digna quidem auctor habes civilis præmia belli,

Et

Et tua jam tanti constitit ira tibi.
Tu tamen infælix, & adhuc oblita tuorum
Quatuor, heu, populis funera quanta paras!
Quæ scelus hoc olim non detestabitur ætas?
Fæmina tutorem ne ferat, arma tulit.
Sume colum, lanamque manu, muliebria nescis
Gesta, nec ad fusos, & tua fila redis?
Hæc te cura decet, non fines Marte tuendi,
Publica nec moles, imperiiq; labos.
Ille nec Augustam passus regnare, nec Adam:
Nunc Batavus leges audiet ergo tuas,
Zelandosq; regent, & duros Hannonas, inter
Pensa puellaris jura petenda chori?
Nonne truces populos, & quod vicinia bellum
Jam parat, & circum tanta pericla vides?
Accipe me socium, defensoremq; salutis,
Quæ sine me nunquam tuta futura tibi est:
Quid mihi te tumido patronæ nomine jactas,
Promissamq; refers voce, manuque fidem?
Sive cliens tibi sum, tua me sine jura tueri:
Sive tibi patruus, patris obire vicem.
Quid mihi perfidiæ non cessas fingere crimen,
Ingrataeq; reum proditionis agis?
At non talis eram, mea cùm victoria priscus
Iselsteiniacæ concidit urbis honor.
Area nunc, vestris priùs arx fuit æmula rebus,
Eg mundos nolim quod meminisse meos.
Tunc tibi præsidium, columen, tutela, receptus,
Exemplum fidei nobile solus eram.
Nunc ubi tot grates blandumque sonantia verba?

In Lethes tacitas an tulit auſter aquas?
An quia proſcriptæ ſum nobilitatis amator,
Invidiam nobis concitat ille favor?
Principis egregii laus eſt ſuccurrere lapſis,
Supplicibuſq; ſuis ferre libenter opem.
Exutæne bonis, & non aliena petentis
Perpeterer turbæ pondus abeſſe preci?
Non majoribus illud, avo nec Cæſare dignum,
Sævitia ingenio nec facit illa meo.
Exulibus favi, memor exul & ipſe fuiſſe,
Meq; mei quondam movit imago mali.
At te, quæ miſeris inſultas fronte ſuperbâ,
Maxima fortunæ vindicis ira manet.
Quid faceres, ſiquam meruiſſent crimine pœnam,
Cauſſa nec ærumnæ civica bella forent?
Non ita pacatum capiet diſcordia fineni,
Quæ toties noſtris tam malè ceſſit avis.
Crudelis ſoboles magis, an magis impia mater?
Crudelis ſoboles: impia mater erat.
Vos etenim Valachri portus, & littora teſtes,
Qua mare purpureis decolor ivit aquis.
Moſa peremptorum tantùm non ſtratus acervis
Viſus ad æquoreos tardior ire ſinus.
Quin ſenſêre ſinas & Delphica mœnia clades,
Worcomiumq; ſuas, Gorcomiumq; ſuas.
Hæc mala non ulli metuent me præſide cives:
Diſſidiis finem ponere culpa mea eſt.
Sive quis a Piſci, ſeu nomina traxit ab Hamo,
Ille, vel hic cura compare dignus erit.
Objicis & tædas, mulier, tua crimina nobis.

Ex animo, tædas tu ſceluseſſe putas?
O utinam; neque enim nunc deſolata marito
Lugeres vidui triſtia damna thori.
Amplexus miors atra tuos livente veneno
Abſtulit: ille ſuum concidit ante diem.
Nonne vides? Fato non ſunt tua gaudia cordi,
Funeſtaque venit cum face dirus Hymen.
Tu ſecura tamen patriæ connubia rurſus
Sollicitas, & te jam novus urit amor,
Inceſtoq; tuis certas imponere fulcris
Fædere, communis quem tibi jungit avus.
Regia progenies audax in bella Philippus
Antoni fuerat, Margaridiſq; parens.
Joanni pater eſt Antonius: at tibi mater
Margaris, & fratri fædere juncta meo.
Proxima quam ſeries, amitinaq; jungit origo,
Ducere fas illam Pontificale vetat.
An quia forma placet? quia te tenet improbus ar-
Cedent ſacra tuis jura cupidinibus? (dor,
Scilicet ut regnet Batavis Brabantus in arvis,
Indigenaſq; jugo gens peregrina premat?
Avertat Deus, & terrarum magnus in orbe
Curio divinas juſſus obire vices.
Signa canant potiùs, campis haſtata vagentur
Agmina: Durdrechti ſurgat in arma furor.
Herculidum ditio, & Wordenæ nobile caſtrum,
Et tu cum Goio milite Narda fave.
Fallor an Oceano demerſi conſcia Moſæ
Brila mihi, & famulis Rotrera cedit aquis?
Cedit: & hæc omnis comitem me ſponte ſalutat,

Submittitq; meis fascibus ora caput.
Est aliquid caussæ populos habuisse faventes:
Cæsaris affinem plus meruisse thorum.
Quod cognata negat, thalamus dabit. Ibimus ergo,
Ibimus, & Batavûm regna triumphus erunt.
At tu quæ nostram sprevisti perfida curam,
(Nam pudor est vilis jam tibi) quære virum.
Dos tibi sit, sanguis; lecto sacra carmina, diræ:
Tæda, rogus patriæ; sint rata vota precor.
Sint rata vota precor, facio quæ patruus auspex.
Bellona thalamum conciliante premas:
Conjugioq; tuo sis non semel ipsa superstes,
Oderis & pejùs quæ malè semper amas:
Tunc quoq; cum velles hæc irrita fœdera, durent,
Ne viduæ nomen jam viduata feras:
Et quia vir tibi re nunc est pretiosior omni,
Sis geminis uno tempore juncta viris:
Rursus &, ô, rursus, tua, teq; libidine perdas!
Et subitò sit amans hostis, & hostis amans.
Plura petis? diro peragas in carcere vitam,
Inque tuas clades, cum fugis inde, ruas.
Sit fortuna levis vultu semel usa benigno,
Sitque Deæ constans in tua damna fides.
Deniqve cum terras consumpseris, æquora tentes,
Sitque sali eventus, qui fuit ante soli.
Pauper, inops lateas, rerumque & honoris egena:
Umbra tui restes, & moriare diu:
Et tua plus solito ne non te principe possit
Terra queri, pelagi fluctibus arva natent.

Ipsa

Ipſa parens in te rerum natura rebellet,
Adjuvet & fati triſtia fila tui.
Si potes (ut ſummo claudatur epiſtola verbo)
Hæc ubi percipies vera, valere, vale.

HYEMIS
COMMODA, AD POTTEIUM.

CRede mihi, Pottei, prodeſt & frigus amanti:
Sunt quoque quæ nobis commoda præſtet hyems.
Ver Floræ proprium, Cereri ſacra dicitur æſtas,
Vendicat autumnum Baechus, Amorque gelu.
Ecquid adhuc dubitas? inter fera frigora ponti,
Æquoreaſque hyemes creditur orta Venus.
Scilicet expulſus fugit ad præcordia fervor,
Brumaq; vim calidi fomitis intus agit.
Inde Cupidineis agitantur pectora flammis
Acrius, atque ipſo frigore creſcit amor.
Cernis ut ipſe foci gravius crepet ardor, & ignis
Pugnet in obſeſſas ſpiritus ire vias?
Hæc veterum nos ſcita docent, tu conſule faſtos:
Si vacat, è faſtis certior eſſe potes.
Conveniunt ſoli genialia feſta Decembri:
Saturnalitios poſſidet ille jocos.
Novimus & Faunum, nutricem novimus Accam:
Ultimus eſt horum qui ſacra menſis habet.
Proximus eſt Jano, qui nulla veſte Lupercos

Aſpicit, inq; ipſo corpora nuda gelu.
Sunt etiam generis Romana Chariſtia ſacrum,
Cum coît ad ſocias turba propinqua dapes.
Unanimes pariterq; viri, pariterq; puellæ
Conveniunt, generis conciliante Deo.
Vina juvant, ſanguiſq; juvat: ferturque Cupido
Illo præcipuè lætus adeſſe die.
Quàm benè cognati ſub nomine nomen amantis
Delitet: affinem dilige, tuta via eſt.
Nulla poteſt cogi charos odiſſe propinquos:
Hunc timet affectum carpere mater anus.
Ecce quod hyberno ſpectatur tempore cœlum
Huc facit & quodvis ſidus amare docet.
Quis fuit Ægoceros, niſi Pan Syringis amator
Vrginis, unde ſuum fiſtula nomen habet.
Quid referam piſces, quorum hæc Venus, ille Cupi
Magna Syræ genti numnia, magna mihi. (do eſt,
Improbe quid tentas, Latonia dixit, Orion?
Pro pretio ſtellas improbus ille tenet.
Quis Cephei tuos, quis Myrtile neſcit amores,
Aut Ariadneæ ſplendida ſerta comæ?
Hæc quoque quæ ſuperûm ſublimis poſſidet axem
Sicca ſuum ſemper reſpicit urſa Jovem.
Juppiter Electramque polo, reliquaſque ſorores
Impoſuit: digna eſt res Jove, ſemper amat.
Nunc taurus trepidam fert per vada ſalſa puellam.
Nunc in Tyndarii conjuge ludit olor.
Hæc vos ſcire decet, qui diſcitis æthera totum,
Non hominum vanâ ſcribere fata manu
Dicite Chaldæi, roſeis cur vecta quadrigis

Tar-

Tardior hyberno tempore ſurgat Eos?
Memnonis illa ſuum mator complexa maritum
Dulcia productæ gaudia noctis amat:
Jam matutini præſertim frigora cœli
Dum timet, in tepidos & fugit uſq; ſinus.
Sæpe Deæ Phœbus, quid, ait, mea tempor perdis?
Jam dudum repetunt ſidera feſta diem.
Sæpè Aurora Deo, quid, ait, mea gaudia turbas?
Quære tibi Clymenen, me meus ignis habet.
Quid faceret, ſi jam Cephalo conjuncta jaceret,
Per quem Tithono non licet eſſe ſeni?
Quam juvat inſomnem ventos audire gementes?
Tutaque in anguſtro membra levare thoro,
Et dominam foviſſe ſinu, nocte ſuprema
Frigidus hybernas moverit Auſter aquas?
Fælices quibus iſta licent: mihi bruma dierum
Det bona; ſunt animi vota modeſta mei.
Me focus aſpiciat domineæ circundare tergo
Brachiolum, & furtim non referenda loqui:
Et prenſare manus & figere blanda labellis
Baſia, & in gremio ponere molle caput.
Cedite dicemus mala frigora: duplice flamma
Cingimus, hinc Veneris ſtat vir, & inde puer.
Tunc etiam noſter ſeſe fælicibus alis
Tollet, & ad cœli ſidera ſurget amor,
Cum mea lux glaciem mecum calcabit & ibit
Per vada nocturno contabulata gelu,
Quis putet? in glacie veros invenimus ignes.
Fervor in aſtris friore regnat aquis.
Quis juvenum primus ferrati vincla cothurni

Nexuit, & rapidis ocior ivit equis?
Quis docuit teneras iter hoc glaciale puellas,
Compoſuitque manus, compoſuitque pedes?
Lubrica ſulcatur ferro via, lubrica certè
Eſt via ab inſidiis parve Cupido tuis.
Illo Mercurius poſuit talaria viſo,
Plus Batavos ipſis faſſus habere Diis:
Ipſa quoq; ad ſollers ſtupuit Cytheræa repertum,
Scilicet & dotes juſſit adeſſe ſuas;
Dos Veneris tæda eſt, & acutum miſſile, turba
Spargere per glaciem quæ puerilis amat.
His aliquis tactus ſerò ſua vulnera ſenſit,
Vulnera nec ſcleis effugienda ſuis.
I puer, hæc docto mea carmina defer amico,
Me mea me glacies, remigiumq; vocant.

AD POTTEIUM
ELEGIA.

CArmina per legi domino te dig̃na locoq̃ue,
Qualia Lugduno mittere Muſa ſolet:
Quæ niſi ſollicito ſcirem dictata dolori,
Tranquilli poſſ. m credere vatis opus.
Sic etiam facili cecinit ſua triſtia verſu,
Pulſus ad Euxini Naſo ſiniſtra freti.
Sed tamen Arctoi gelido ſub frigore plauſtri
Nequitiæ pœnas pertulit ille ſuæ:
Te pietas & fata premunt crudelia, nec ſunt
Poſteriora tibi carmina, cauſa prior.
Nam finem ſibi damna negant, ſemperq́; ſequendo
Creſcit, & in cumulum proficit ipſe dolor.
Scilicet ut poſſis animo delere ſororem,
Eripienda tibi jam quoque mater erat?
Tu tamen his major fortunæ pectora regno
Subtrahis, atque animo præcipis ipſe tuo:
Triſte negans quicquid neſcit ratione caveri,
Nec mala confeſſus poſſe nocere bonis.
Mens fuit æquatâ tecum pietate parentem
Exanimem lachrymis condecorare meis.
Mens fuit & triſtes Elegos donare, ſed illud
Officium laudes eripuere tuæ.
Quis tibi det fletus, nec diſcat juſtiùs abs te
Fortiter ad charos poſſe dolere rogos:
Nec natum præferre viro, donataq́; ſanctis

Ma-

Manibus, hac ſaltem quà licet aſtra ſequi.
Otia qui quondam poſeras reperire Camænis,
Cum quateret matris viſcera dira lues,
Et te teſte mali jam deſperata jaceret,
Summaq́; votorum cum foret una mori,
Quanto nunc melius ſpernes lugere ſepultam,
Parte tenet patrium quæ meliore polum?
Crede mihi tunc cum tot morbis pervia mater
Languida vix aluit membra, cadaver erat.
Vivere jam cœpit cælo, terræque reliquit
Exuvias tantùm, ſed nihil illa ſui.
Nos miſeri gens flenda ſumus: lugere beatam
Invidiæ ſpeciem deſipiientis habet.
Nil opus eſt ſacris ſolatia promere libris,
Omnia quæ memori còndita mente tenes.
Humanæ ſiquid poterunt tamen addere curæ.
Conſilio ſit & huic quantulacunq́; fides.
Funereas moneo tædas mutare jugali,
Sanguinis ut thalamo damna repenſet amor.
Jam deſolatos reparet nova nupta penates.
Hæc ſoror, hæc conjux, pluſq́; erit una tibi.

EPIS-

EPISTOLA PALLADII AD THAUMANTIAM PATRI SUO NUBENTEM.

Sume, novercales ſed ſi priùs exuis iras.
Eſt hæc Palladii littera ſcripta manu.
Nec volo te falli: non eſt manus iſta mariti:
Spes tamen, heu memini, cum fuit iſta mihi.
Et fuerat fortaſſe tibi, niſi crimina tantùm
Perfidiæ fictus diſſimulavit amor. querelæ
Quid queror, aut quorſum? nec quid prodeſſe
Jam poſſint video, ſed tamen æqua queror.
Perdidimus vires odii, ſolamen amoris:
Perdidimus pariter teq; tuamq; fidem:
Omnia conſumpſi: levis eſt jactura querelæ,
Si cui nil præter verba perire poteſt.
Juro, tibi toties juratum numen Amoris,
Juro tuam vitam, vita, tuumq; caput,
Blandiitaſq; tui vultus, oculoſq; loquaces,
Et quicquid melius te meminiſſe putem.
Nec potui ſperare nefas, nec credere poſſum,
Sed videor ſomnis invigilare meis.
Ille recens luctus ſe non capit: omnia tento,
Indignor, dubito, deprecor, oro, queror.
Ah leve fœmineum ſemper genus! illáne quondam
Baſia dicta mihi qui ferat alter erit?
Atq; utinam quivis non tam mihi proximus alter:
In ſocio majus crimine crimen habes.

Si

Si libuit peccare tibi, sine patre licebat.
Invidiâ causam prægravat ille tuam.
Hoc mihi quod nostros simul incestatis amores
Hoc dolet, hæc iræ maxima causa meæ.
Si tamen, ô possim satis hoc odisse quod odi!
Quid faciam, in tanto vulnere læsus amo.
Ipse dabit veniam pater, aut peccavimus ambo.
Hoc ego rivali judice tutus ero.
Compare judicio placuit tua forma duobus:
Jure quidem melior causa prioris erat.
At nunc ille meos oculos, mea vota secutus,
Tantum degenerem non probat esse sibi.
Nil ego commisi, nisi quod constanter amavi:
Hæc quoque, si qua fuit, non mea culpa fuit:
Nam tua tam blandæ quem non cepisset imago,
Et teneri risus, aptaq; verba joco?
Quis non amplecti graciles desideret artus,
Et tam purpureis basia ferre genis?
Adde, quod ingenio cunctis prelata puellis
Hac quoque non stultis dote placere potes.
Fecit & hoc ut amem, quod me quoq; rebar amari:
Heu nimium juvenes credula turba sumus!
At quis non lachrymis oculisq; fatentibus ignem
Crederet, & verbis muneribusq; tuis?
Oscula non referam pressis hærentia labris,
Et niveum pectus, virgineosque sinus,
Pluraq; quæ vidi nondum bene visa parenti
Prætereo: tangi vulnera nostra negant.
Justior erroris fuit excusatio nostra,
Quod mihi non soli fit simulatus amor.

Con-

Conſcia ſcit genitrix quæ cum te ſæpe moneret
Complexus fugeres, alloquiumq́; meum,
Cautior aut ſaltem, ſi non inmitior eſſes,
Audiit hoc unum, non patienter amo.
Quo gemitu noſtras tuleris, qua fronte tabellas,
Scit ſoror, officiis fida miniſtra meis.
Me quoque fælicem chari dixere ſodales,
Et placui vulgi ſuſpicione mihi:
Nec tamen aſſenſi, leviter mea vota negavi.
Cumq́; alios vellem fallere, falſus eram.
Eſt mihi, plus auro ſpectandum nnunus an arte,
Quod demptum dextræ fert mea dextra tuæ?
Tu mihi (nam poteras demi prohibere) dediſti;
Tunc quoq́; cum finxi reddere, triſtis eras.
Fortè puellares inter mihi juncta choreas,
Auſa palàm pignus diſſimulare tuum,
Hoc, ais, unde tibi? ſpoliùm, non ambigo, charæ
Virginis, aut cupidæ munus amantis habes.
Hoc ego ſub vinclo ſocialia vincla recordor,
Illaq́; quæ tulerant brachia pacta mihi.
Nec minor aſſcriptas ſervat mihi cura tabellas,
Te fore pollicitas tempus in omne meam:
Has ego pro domina complector & oſcula jungo,
Has comites noſtrum ſemper habebit iter.
Hei mihi quòd pariter nequierunt verba teneri,
Voxq́; ſibi genitu teſtificata fidem!
Quate non alios juvenis ſperare lacertos,
Primaq́; jurabas gaudia ferre mihi:
Tradita quæ ventis & trans mare vecta Britannum
Tam procul, heu, nullo ſunt reditura die!

Crede

Crede mihi, conſtant nulli perjuria gratis.
Crede mihi, ultorem res habet iſta Deum.
Audio jam veſtros morbo flagrare penates,
Et prætentatum funere virus ali:
Quod metuo dicam: ſint omnia vana timori:
Perfidiæ pœnas exigit iſta lues.
Parcite formoſæ, fatales parcite flammæ:
Non ego ſum tanti; ſit metuiſſe ſatis.
Cui tamen heu! parco? quæ me furiavit amantem
Simplicitas nuper cui mea ludus erat.
Uſq̃ue adeone tuis igitur res digna triumphis
Figere de noſtro corde trophæa fuit?
At puer & certè rudis hæc ego miles ad arma,
Nullus & à tanta proditione metus.
Vix dum terna mihi quinquennia fecerat ætas;
Jamq; quid eſſet amans neſcius, iſtud eram:
Inſidiata mihi teneris tu protinùs annis,
Seu levis ille fuit, ſeu ſimulatus amor.
Perfida quid merui? tibi quod primordia flammæ
Læſaq̃ne non alio corda calore dedi?
Hei mihi cur unquam Tungrorum venimus urbem,
Conjugii feſtas concelebrare dapes?
Depoſitum fatale, meæ Thaumantia curæ
Credita, nec ſoluit nos ſociavit iter:
Hærebam lateri comes, & tibi noſtra vacabant
Lumina, te noſtræ ſuſtinuere manus.
Inde mali labes; in me ſine fraude Cupido
Interger, & præſens cum face venit Hymen.
At tibi Tiſiphone ſuccendit corda veneno
Impreſſitq; ſuas dira Megæra faces,

Pal

Pallida me macies, gemituſque è pectoris imo
Prodit, & injuſſæ quæ maduere genæ.
Ingenii nec cura mihi, ſed triſte veternum
Obſidet, & refidis pectora torpor habet.
Tu prohibes animo ſolitas evolvere leges,
Juraq; diſcentem ſub tua jura vocas.
Noctes atque dies tua me, tua ſemper imago
Opprimit: os nomen murmurat uſque tuum.
Tu quoque dicebas ſine me tibi rara venire
Somnia: purpureus tinxerat ora rubor.
Complexss etiam ſimiles, & proxima veris
Oſcula narrabas, ſpemque fidemq; thori:
Omnia quæ mentes poterant flexiſſe ſeniles,
Et puto non aliis ſuccubuiſſe patrem.
Dic age, id tandem? tibi me mutavit amanteu,
Dic age, diſſidii quæ tibi cauſa fuit?
An quia conjugii diſpar fortuna videtur,
Hic tibi qui fuerat pectore ceſſit amor?
At uec opes nec honos, generis nec gloria diſtat:
Tota ſed æquali pondera lance ſedent.
Sed tua quæ levitas nato præferre parentem
Non dubitat, juvenem poſtpoſuiſſe ſeni.
Me certe terrere domus tamen omina veſtræ
Debuerant, cæcus ni vetuiſſet amor.
Neſcio quæ totam gentem ſcelerata libido
Exagitat: furiis hi placuere lares.
Nam cui non audita ſoror, funeſtaq; raptus
Crimina & infauſtæ ſæva pericla fugæ:
Inde novum ſemper ſcelus & trucis auſa mariti,
Illaque certatum pejor an ille feret?

Feci

Fecimus exemplum cunctis memorabile sæclis;
Affines isti dum juvat esse domo:
Pugna patri natoq; fuit, communia cum quo
Proscriptus generi nomina ferret Arabs.
Hos igitur propter genitor certavit amores,
Amplexusq; sui maluit esse suos.
Nec tamen hunc culpo (quis enim culparet amantem?)
Debuerat quanquam non aliena sequi;
Aut quasvis potius quam nati quærere tædas,
Et si non aliis parcere velle mihi:
Tu magis una nocens, quæ, si modò vera feruntur
Diceris ipsa meum sollicitâsse patrem.
Expertus didici quæ sint quibus uteris artes,
Et quibus illecebris concilietur amor.
Non ego, non fueram satis in tua vulnera solus:
Pergis, & ex tota gente tributa petis.
Gratulor inventum qui me felicior esset,
Nec quoscunque tibi displicuisse viros.
An non ipse tibi, sed opes, & luxus, & illa
Marmora surgentis grata fuere domus?
Et quod contiguos despectans culmine fontes
Invidiæ nimiâ mole laborat opus?
Qui matri properatus honos tibi cessit in usum:
Illa tibi fecit, proh dolor! illa locum.
Sic mihi succesisset genitor, Thaumantia matri:
Ut viduus fierem, scilicet, orbus eram.
Consequor heu quantũ genitricis morte dolorem!
In nece materna plus mihi matre perit.
Me malefidus amor privignum fecit amantem,

Et

Et faciet patrem, quem potuisset avum:
Nec pridem sperat nurus jam diceris uxor:
Pro chara fratres tu mihi prole dabis:
Cumque puer nostra reptabit parvulus aulâ,
Audiet, hic patri debuit esse nepos.
Hæc ego si ferrem saxis & cautibus essem
Durior, hybernâ quas mare tundit aquâ.
Nec volo, nec possum: men' ut præsente paternos
Tu nova nupta premas & patiente thoros?
Injiciam nec jure manum? nec fœdere noctem
Evincam? pulchros involet ille sinus?
Ergo novercalis nos pars aliquantula regni
Imperium veteris triste feremus heræ?
Ibimus atque Istri potius sulcabimus amnem.
Non erit ingenio sævior ille tuo.
Nec metuo, quanquã metuo quoq; tela, nec undas:
Dum te non videam cuncta pericla placent.
Tum si fortè tuas continget nuntius aures
Ossa peregrino nostra jacere solo:
Fac genitor jam morte mea securus amorum
Gaudeat: hac illi nubere dote potes.
Si me vita tamen cupiet servare dolori
Hæc mandata tui nuper amantis habe:
Me rogo, si qua manent veteris vestigia flammæ,
Quantum per thalami jura licebit ames.
Nec volo te Phædram: satis est odisse novercâ
Parcius: heu voti sors miseranda mei!
Cum senis in thalamos fueris deducta mariti,
Et vacuâ vidui parte recepta thori,
Sic rogo, sed leviter, prior est ubi noster amator.

Qui me jam poterat sic habuisse sibi?
Sic te semper amet novus ille maritus, & illum,
Heu, melius quam me tu quoque semper ames:
Sic quoq; non fingas, qui non benè fingitur, ignem,
Nec tuus hoc ipso more vacillet amor.
Sic mihi des fratres similes mihi, dispare fato:
Sic mihi sit de te, sed benè fida soror,
Deficio: madue re genæ: stant vertice crines:
Exanimi gelidus concutit ossa tremor.
Hæc quoqua scripta vides confusi signa doloris,
Litteráque affectus exprimit illa meos.
Da veniam; dictavit amor; facit ille, quod ipsa
Fortè parùm metuit libera charta loqui.
Plura velim, sed plura vetat reverentia patris,
Irrita spes, animi fax vetus, ira recens.
Rectius abrumpam: vox finiat una tabellas,
Discessusque mei sit tibi summa. *Vale.*

In Pascha, qui natalis vigesimus tertius.

VEra dei soboles, homines quem credimus una
Nobiscumq; hominem, cumq; parente deum
Nos modò, qui tristes sub iniquo judice pœnas
Luxibus, & nigrum te moriente diem,
(Seu puduit solem domino pereunte videri,
Seu fuerat nostri criminis ille color)
Oramus, jam parte tui dignare triumphi,
Dum novus inferno victor ab hoste redis.
Mors sequitur captiva: jacent disrupta sepulchri

Vin-

Vincula: fidereæ jam patuere fores.
Ungere quid Chriſtum mulierbris turba parabat?
Illum, ſi neſcis unxerat ante Deus.
Thura quid hic facient & quos affertis odores?
Suffimen patri gratius ipſe fuit.
Quæritur in tumulo vitæ, luciſque repertor:
Hoc peccata loco condita noſtra jacent.
At quem vos clauſum tam parva ſede putatis,
Non mare, non tellus, non polus ipſe capit.
Surgit mane novum, dum pulchrior ille reſurgit:
Et cum lucis hero lux reparanda venit.
Scilicet ut mortem tenebris ſignaverat æther,
Sic comes in vitam debuit eſſe dies.
Aſpicis ut primo radient convexa ſereno,
Floribus ut teneris luxurietur humus.
En Chriſtus pariter, pariterq; renaſcitur annus;
Auctori plaudunt tempora læta ſuo.
Tum roſa quæ pratis latè viridantibus ardet,
Forſitan innocui ſigna cruoris habet.
Me quoq; cum domino ſimul & cum floribus ortum
Cur ego non iſta gratulor eſſe die?
Iſacidæ Phariâ domiti ſub lege jacebant,
Ipſaq; libertas ſub pede regis erat,
Qui poſſet veteris patriæ ſperare quietem,
Et Cananæa procul paſcua, nemo fuit.
Iſta dies Moſen juſtas animavit ad iras,
Cum raperet feſtas, Azyma ſacra, dapes.
Fortes ite viri, quas nunc tener occupat agnus
Quas mox conficient, quantaq; bella manus!
Exitium video regi quam triſte parari,

Purpureâ vobis cùm mare ſtabit aquâ?
Nil deſperandi ſed nobis auctor Ieſus
Certior: exanimum qui modò corpus erat.
Frigida membra crucem referunt; quæ vulnera mater
Contigit, hoſtili vulnera facta manu.
Quid tibi tunc animi dicam pia virgo fuiſſe,
Infœlix, ſub humum cum tuus iret amor?
Quo non ille ſenex turpavit vulpere canos,
Qui reus aligero teſte peractus erat?
Tertia lux omnem detergit corde dolorem,
Triſtitiæ veteri nec ſinit eſſe locum.
Cuſtodes trepident, plebes pia gaudeat: ipſe,
Ipſe remotitus pectore ſaxa venit.
Hoc jubar, hoc alba juvenes in veſte loquuntur,
Quos bonus etherea miſit ab arce pater.
Sic quoque diſiectis, quæ nunc eſt forma recurret
Oſſibus, & cineres vita ſecunda manet:
Debemuſque nihil letho, niſi temporis uſum:
Altera pars noſtri reſtat, & iſta redit:
Qualis cinnameo Phœnix juveneſcere buſto
Creditur, in terris unica ſemper avis:
In veterem cuncti mundo flagrante figuram
Ibimus, ætherea gens reparata tuba:
Tunc cùm juſtitiæ medius veniæque ſedebit
Arbiter, in clara præmia nube ferens:
Conſumptiſque ſimul terris & fluctibus, ignis
In ſe conſtituet fata ſuprema ſibi;
Æterni quæ prima dies erit, ultima mundi:
Fœlicem nobis hanc Deus eſſe velit.

Detque

Detque prius mentes quam corpora noſtra renaſci,
Et ſtet pro vita poſteriore prior.
Non aliud puræ ſpondent myſteria lymphæ,
Terque ſacer pueri fuſus in ora latex.
Quanquam etenim magnis vitiorum immergimur undis.
Per Chriſtum vitiis libera turba ſumus.
Hæc ubi ſic repeto, tùm me quoque veris imago
Immemorem veris non ſinit eſſe mei.
Quam modò cœpta ruit, quã mox abitura juventus?
Hei mihi, quot noctes, quot periere dies?
Appoſuit geminos luſtris mihi quatuor orbes
Per biſſena regens ſidera Phœbus equos.
Annum qui ſequitur cum primo flore genarum
Hunc tibi ſumme parens, & tibi Chriſte dico.
Sanctior adveniat quam retrò volvitur ætas,
Vindicet ex illa tempora plura labor.
At tu natalis, noſtrorum prime dierum,
Da veniam quod te non colo, ſacra colo:
Non vacat a tantis in te deſcendere curis:
Plus aliquid vitâ lux dedit iſta mihi.
Ille meas habeat, qui me quoque poſſidet, horas:
Scilicet ille dedit te quoque poſſe frui;
Biſque ſuum fecit, cum me produxit in oras
Luminis, & pretium cum fuit ipſe mei.
Concelebrent alii genialis fercula menſæ
Quos juvat, & ſecum nata Falerna bibant:
Carminaque ingeminent lepidîs applauſa choreis:
Nos trahit antiquæ religionis iter.
Nec jejuna tamen læti ſolemnia ſacri

Ducimus, aut epulis gaudia noſtra carent.
Frangimus arcanum Chriſti ſub imagine corpus.
Hæ reparant animos, feſſaq; corda dapes.
Nec tunc cùm paſtus ſenis in caſtra diebus
Depluit, Hebræis dulcior ille fuit.
Inde ſalutiferi libantur ſanguinis hauſtus,
Et ſe ant noſtram pocula ſacra ſitim.
Tradidit hos ritus humanis dedita noxis
Victima, jam pœnas certa ſubire ſuas.
At pia poſteritas morem ſervamus avitum,
Juſſa, piatricem commemorare necem.
Carmina nec deſunt gratam teſtantia mentem,
Cum junctæ feriunt ſidera ſumma preces.
Hæc mihi, nam ſatis eſt ſuperet, pater alme, voluptas,
Et meus auſpiciis talibus annus eat.

DE SUSANNA.

CUm decus Hebraidum Suſanna, pudoris imago,
Supplicii peteret jam moritura locum,
Ante Deus vatis juvenis quàm proderet ore
Conjuratorum perfida furta ſenum:
Non poterat niveas (ſtringunt quia vincula) palmas,
Lumina ſidereo ſuſtulit illa polo,
Lumina quæ cunctas poterant inflectere mentes.
Tam rutilum flagrant, tam juvenile micant.
Illa quidem lachrymas retinet, tamen uſq; retentæ

Pro-

Prorumpunt, quali fons ſalit altus aqua:
Et poterant pariter pugnantia bina videri,
Mirus honos animi, mirus in ore pudor:
Non pallor faciem vicinâ morte notavit:
Perpetuò teneræ ſed rubuere genæ:
Integra mens ſcelerum letho nil mota futuro
Duntaxat famæ triſtia damna timet.
Venerat ad lapides: (ea pœna parata jacebat)
Flet populus: cunctis flentibus illa refert,
Vos primùm, Proceres, laudo, quos inclita genti
Iſacidûm poſuit reddere jura Deus:
Quod paribus pœnis hominum delicta piatis,
Legifer ut Moſes, ut Deus ipſe jubet.
At melius, ſceleris quamvis ego pura, peribo,
Securum poſthac quàm ſcelus ulla ferat,
Quæ violans promiſſa Deo, promiſſa marito,
Exuit infami fœdus adulterio.
Hoc igitur noſtras crimen quoque perſonat urbes,
Hócne piam gentem, ſepoſitamque Deo,
Polluat ut totam pariter cum corpore mentem,
Quæ ferat Abramum fœmina neptis avum?
Non his ſufficiunt lapides, non horridus enſis,
Non crux, uſturi non fera membra rogi,
Non ſacri latices, mœchas qui crimine damnant,
Aut timidos purgant ſuſpicione viros.
Spernere ſiqua Deum potuit, ſupponere prolem,
Fallere conjugium, commaculare domum,
Quattuor ut poſſit culparum ſolvere pœnas,
Æquo jure quater debuit illa mori.
Nunc vos huc properate duo, faciantque cruentæ,

Perfida fecerunt quod priùs ora, manus.
Exatiat truces insonti sanguine motus:
Vos ictus primi, vulnera prima vocant.
Sic castas tetigisse licet: spes improba vobis
Quam male promisit, sic potienda datur.
Nam neque vos unquam nec quicquid ubique virorum est
Sivit ad hæc aliter membra venire fides.
Ut libet hanc frontem, malas, & labra ferite:
Imprimis oculus vestra sed ira petat:
Hi sunt obscænos vestris qui sensibus æstus
Nuper & illicitas inseruere faces.
Quantumvis populus, quantumvis curia vobis
Credit, habet testes & mea causa suos:
Stat Deus hinc, stat mens nullius conscia culpæ,
Et jurant istud crimen abesse mihi.
Tu mihi vir salve, vitæ lux unica nostræ,
Speque mihi, donec spes super ulla fuit.
O utinam saltem supremos ferre liceret
Amplexus, & post oscula pauca mori!
Arceat hæc salrem nobis opprobria cœlum,
Ut vincant animum crimina falsa tuum.
Si benè te novi, quam tantum semper amasti
Credit in hac nullum mens bene fida nefas.
Nunc tibi, nunc animo communia vota repone,
Et pariter cœlum quæ petiêre preces.
Pende, quod obsequium, reverentia quanta mariti,
Ut tutata tuam sit mea cura domum,
Excubiæ semper geminæ mea corda tegebant,
Hinc pietas, illinc connubialis amor.

Noctes

Noctes atque dies animum ſervantibus iſtis,
Dic vititis flammis quis locus eſſe poteſt?
Crede, tua ut vixit, tua ſic Suſanna peribit:
Jamque mihi poſthac non adeunde vale.
Sed precor hoc unum: tumulum concede peremtæ,
Et verſus, niſi ſeram quod juvet, adde duos.
Hoſpes iſte gradum: jacet iſto fœmina buſto,
Quam dicit judex, vir negat eſſe ream.

HUGONIS GROTII

FARRAGINIS

LIBER PRIMUS.

PAULO CHOARTO
BUZANUALIO.

SI ſupereſt patriæ noſtræq; tuæq; vacanti
Dicere quod poſſis, Magne Choarte, tuum,
Temporis illius fas ſit mihi ſumere partem,
Audacem bonitas quem tua nota facit.
Quanquam ſollicitant ſapientes undiq; chartæ,
Exactoq; ſubit digna labore quies,
Non minus & tua ſunt aliorum ſeria rebus
Otia, deſcendas ad mea dona precor.
Quod reliquo reliquum eſt, hoc da mihi: lude legendo,
Inſpice: judicii res erit iſta loco:
Nec metuam nequis nimiùm mea carmina damnet,
Si modo ſunt oculos promeritura tuos.
Ipſa tibi credet, cui ſe ſuaq; omnia credit
Gallia, plùs nugas quàm nihil eſſe meas.
Altior ille hominum vitiis liberq; Thuani
Spiritus, & nullo qui fuit antè minor,
Menſaq; Caſauboni Totum complexa, videbunt
Cum venia verſus te præeunte meos.
Dictamen his oro, tantum rudis orſa juventæ,
Et vix ingenio pubere nata dari.
Nec tamen hoc ipſos Muſis ſacravimus annos,
Aut adeò his ſtudiis terra Batava favet:
Abreptos alias nos impetus egit in artes,
Cum quibus Aonio fœdera nulla choro.
Acceſſere graves curæ juſtique dolores,

Queis

Queîs ſubigi robur poſſe virile putem.
Arma inter patriæ pelaguſq; & frigora natum,
Et quem fata ſolo deteriora premunt,
Hunc ſiquis fieri credit potuiſſe poëtam,
Saltem non durus carmina noſtra leget.

COMASTES.

Ex Theocrito, verſus verſui redditus.

IBo meam viſens Amaryllida, monte capellæ,
Monte vagæ paſcunt, & agit mihi Tityrus illas:
Tytire, quo nullus potior mihi, paſce capellas,
Et potum paſtas age Tityre, & inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.
O Amarylli decens quin hoc, ut nuper, ad antrum
Me tranſverſa tueris, amatorémque ſalutas?
An tibi nunc ſimus videor, promiſſaque longum
Eſt odio tibi barba? mori me denique coges.
Aurea mala decem tibi nunc, qua carpta volebas
Arbore, carpta fero: cras altera rurſus habebis.
Cerne quibus macerer mœroribus: ô mihi tantum
Si ſit apem fieri, atq; tuum penetrare ſub antrum
Per filicemq; hederamq; quibus redimita refulges!
Nunc ſcio quid ſit amor: gravis & Deus: ille leænæ
Uberibus nemorum propter querceta pependit;
Qui mihi nunc imis flagrans procul oſſibus hæret.

Nigra

Nigra ſuperciliis, gratum quæ Nympha tueris,
Tota lapis, circum me plectere, ut oſcula ſumas,
Oſcula Vana quidem, ſed in his quoq; multa volu-
Carpere me facies in centum frusta corollam: (ptas.
Hanc Amarylli tibi ſervo: nanq; ipſe plicavi
Errantes hederas, apiiq; frequentis odorem.
Hei mihi quanta miſer patior mala! tu nihil audis?
Ibo tamen, ſaliamq; iſtas, ſine veſte, ſub undas,
Olpis ubi longa piſcatur arundine thynnos;
Et ſi non moriar, at te mala noſtra juvabunt.
Nuper enim, memini, fignis rimabar amorem,
Infælix folium ſtrepitus non edidit ullos,
Sponte ſed in teneris poſitum mihi marcuit ulnis.
Sed nec anus cribro me vaticinata fefellit,
Cum legeret ſpicas, & diceret, omnis in illam
Perditus incumbis, quæ te faſtidit amantem.
At tibi cum geminis ſervatur capra capellis,
Quæ ſibi fuſca dari Memnonis Erithacis orat:
Et dabo: nam ludos faciunt tibi munera noſtra.
En mihi nunc oculus dexter ſalit: an precor illam
Aſpiciam? cantabo jacens ſub tegmine pinus;
Fors erit, ut videat quoq; me: nam ferrea non eſt.
Hippomenes fulvis rapidam Schœneida pomis
Diſtulit, & curſu celer inſtitit: at bona virgo
Ut videt, ut perit, ut totam gravis occupat ardor.
Egit & ipſe boves Amythaone natus ab Othry
In Pylon: at jacuit charum complexa Biantem
Pulchra futura parens laudabilis Alphefiboæ.
Et formoſus oves propter juga pavit Adonis,
Quo ſuccenſa Venus traxit per membra furorem,

Mor-

Mortuus à teneris nec ſecubat ille papillis.
Fœlix Jaſion, fœlix ſopor Endymionis.
His equidem invideo, ſi vera, puella, fatebor:
Nam bona tanta dari credant qui poſſe profani?
Jam doleo caput: at nihil hoc tibi: carmina ſiſtam:
Hic nunc exanimis collabar, & eſca luporum:
Dulcius hoc omni credo tibi melle futurum.

ITER

CURRUS VELIFERI.

MIra canam, ſed viſa mihi, ſed cognita multis,
Et niſi viſa, mihi non habitura fidem.
Quod patet occiduas Batavæ telluris in oras
Eſt latus, & Lateris pars ea nomen habet:
Nos à cæruleis ubi dividit unda Britannis,
Et prætexta maris fluctibus arva jacent.
Hîc pater Oceanus fluentes lambit arenas,
Jamq; vagas laxat, jamq; coërcet aquas.
Ipſe ſibi poſuit fines Neptunus, & intra
Aggeris agnati mœnia ſævit hyems.
Proxima ſunt Hagæ Sceverinia littora noſtræ,
Æquoreis dives piſcibus ille locus.
Hinc ſi Pettemum, Zypæq; novalia pergas
Quærere, bis ſeptem millia pandet iter:
Millia quæ totidem vix Iphiclus ambulet horis,

Aut

Aut Ladas celeri notus ab arte pedum.
Hæc Curru volitanda fuit via: ſedimus omnes,
Ante oculos cælum, littora, pontus erant.
Ut ſuſpenſa ſuis tumuerunt carbaſa ventis,
Ut Pharus, ut naves, ut Sceverina perit.
Et velut indignans, quòd non ſua pondera vectet,
Neſcio qúo ſtrepitu murmuris aura ſonat.
Non aliter mugire ſolet, cùm mittitur arcu
Gnoſſia Sauromatæ torta ſagitta manu:
Aut cum Naſſovius Rheni bellator ad undas
Fulminat, & ferrum ſulphuris æſtus agit.
At ſimul avecti primas ſuperavimus iras
Flaminis, & certâ cæpimus ire viâ,
Æquoreos inter fremitus, ventoſque relictos,
Senſimus in rapidis frigora nulla rotis.
Amiſſos tepidi fruſtrà quæſivimus auſtros,
Vela noti celeres non potuëre ſequi.
Talis erat, quocunque cito raperemur ab axe,
Qualis in æſtivo langueat aura jugo.
Orbita vix umbram ſimulat, niſi littore molli
Si quando celerem tardat arena fugam.
Tunc & pulvereæ nubes, Veneriſque creatrix
Spuma procelloſis imbribus ora ferit.
Tunc pluit & conchas & miſtum littore pontum
Proximus eſt Lybicis Syrtibus ille labos.
Priſca vetus ſervat Cattorum nomina pagus,
Indicio referens poſteritatis avos.
Huc nemore Hercynio miſſos veniſſe colonos
Diſcimus; hinc Batavi gens animoſa ſumus.
Hic Caii turris fuit, hîc extructa Severo

Horrea: nunc ingens omnia pontus habet.
Quid lapides periisse querar? periistis & amnes,
Ostia nec Rheni cernimus esse super.
Navigat hàc Currus, quà naves antè solebant,
Continuatque pari tramite littus iter.
Hinc ad Nordovicum fines, & Dousica regna
Pergimus; ô magni patria vatis ave!
Respicere à tergo Santfordica templa volebam:
Dum moror, à tergo jam mihi Vicus erat.
Egmundæ cineres, quibus incunabula debet
Relligio, & magnis regibus orta domus,
Vos quoque præteriit votis velocibus arbor:
Credibile est ipsos obstupuisse Deos.
Sic celer avectas quantumlibet ante carinas
Currus, & æquoreas effugiebat aves.
Credimus exemplo tumidi latrare Pelori
Monstra: canes Batavũ non minùs æquor habet.
Quæ Siculis Scylla est, nobis Honsbusca vocatur:
Nomen naufragiis nobile nauta timet.
Hîc formidatum Silvæ spumantis in auras
It caput: æquoreis illa resistit aquis.
Terrarum damnis Nereus alimenta profundi
Quærit, ut in nostrâ luxurietur humo.
Non alibi Batavos propiora pericula tangunt:
Pro nullo facimus tam pia vota loco.
Structa manu moles tumidas nisi frangeret undas,
Quod Pyrrhæ fuerat tempore, terra foret.
Nunc quoq; cùm saxis, & quercubus unda dometur.
Prostratæ quercus, ipsaque saxa jacent.
Sed nemus usque recens surgit redivivaque rupes:

Sem-

Semper in his rauci gurgitis ira perit.
Siſtimur hîc: rumpitque viam tranſverſus ab undis,
Qui Pettema ſecat littora montis obex.
Littora Bajano quæ nil ceſſura Lucrino,
Hoc unum debent Silva Canina tibi.
Hæc propè ſicca jacet fraudato Zypa profundo,
Experta Oceani ſæpè, ſoliſque vices.
Hîc, ubi ſquammigerum Proteus pecus egit in algâ,
Nunc viret in ſegetes ingenioſus ager.
Marſacium pelagus, colleſque binominis Ogæ
Non procul, & Flævi triſte furentis aquæ.
Nos hoc omne latus geminis confecimus horis,
Tantillum eſt ſpatii quod ferus horret Iber.

ODE
IN FILIUM
CASPARIS EUSEMII
AD AVUM
JANUM DOUSAM.

DOnate magnis parve parentibus
Puer futuri gloria ſæculi,
Seu Niénordo diguns hæres
Et patriis imitator actis,
Caſtris petendæ natus adoreæ
Paras Ibero funera, & ultimas
Gades & Hiſpanum furorem
Pectore adhuc tenero laceſſis,
Te vagientem littore in ultimo
Veſper tremiſcet, te Tagus aurifer:
Annoſque creſcentis juventæ
Heſperiæ numerare matres
Diſcent paventes: quantus adeſt equis
Viriſque ſudor, cum celeres fuga
Cervos, & acrem feſſus aprum
Præcipiti ſuperare curſu
Vires & ævi robora fortior
Vertes in hoſtem: ſive Helicon placet
Phœbus & regnata Douſæ

Pierii

Pierii juga ſacra montis,
I perge fœlix: non alium ſibi
Præponat olim Pindarus & Maro,
Magnoque mens vicina cœlo
Mœonidæ, faciliſque Naſo:
Cedet jocoſi Muſa Propertii,
Cedet Tibulli; non tibi Bilbilis
Certabit, aut Verona docti
Efferet ingenium Catulli,
Si docta paucis carmina verſibus
Amabis apto claudere cum joco.
Sin te ſibi quondam dicabit
Romulei nova laus theatri
Plauti ſepultos è Stygio ſales
Regno reduces, & pede compari
Implebis aut ſoccum Terentî,
Nobilis aut Senecæ cothurnum.
Te Douſa noſtræ geſta Bataviæ
Nunquamque viſi carmen avunculi,
Suoſque balbutire faſtos
Audiat ipſe ſenex nepotem.

TRAGOEDIA
HEINSII.

QUis ille tanto pulpitum motu quatit,
Et insolenti tundit orchestram pede?
Quanquam furentem motibus fallax tegit
Persona vultum, fæxque detonantia
Furatur ora, non lates Heinsi tamen:
Te certus index prodis; augustum jubar
Dispellit aræ nubilum caliginis:
Centumque noctes luce perrumpit sua.
At nos parentis vana terræ pondera
Frustrà tenebris indies victricibus
Luctamur: omnes ludit incassum labor:
Ut ille parvus ales abreptum fuga,
Et navigantem vasta inanis æquora
Sequi parentem sperat, & pennas quatit,
Auraque plausu captat, affectans iter,
Strepitque: tandem pronus nidum cadit.
Tu Dædaleis ocyor volatibus
Poëta cœli scindis alatus vias,
Plebemque, & ipsos plebis obtutus procul
Post te relinquis. Jam Sophoclen præteris,
Euripidenque fultus ala remige:
Seque auctor olim triplicis Promethei
Victum fatetur, quique Cassandram dedit
Cæco furentem carminum volumine,
Nec hos, nec omnes cæteros Jonici

Fa-

Faſtus theatri, longa quos nobis dies
Invidit, æviq́ue impotens injuria
Procul tueri terga ſectantes tua
Contentus, ultra tendis & cœlo natas
Sublimiori, deq́ue ſummo vertice
Priſcum Latinæ deſpicis ſcenæ decus;
Choragiumq́; præter Annæi volas.
O cygne Flander, me ſimul tecum rape
Per candicantis cærulas æthræ vias
Ignava quanquam torpidum moles premit,
Et ſurgere ultrò pondere obſeſſum vetat,
Tuâ levatus quolibet dextrâ ſequar,
Supraque nubes ibo, quas craſſus vapor
In nos adurget; deligam ſpectaculo
Propinquiores ſiderum metæ foros,
Ubi ſerena ſemper, & purus dies.
Hic priſca cernam provocantem ſæcula
Prodire noſtri temporis Tragœdiam:
Non hanc Jephthæ quæ triumphales manus
Cæde immerentis inquinavit filiæ:
Regiſvé menſis ora Baptiſtæ dedit,
Sed Heinſianam, nata quæ ſerò licèt,
Retrò tot annos laude prævertit novâ.
Judex ſedebit Douſâ, judex Scaliger,
Hæres paterno deſtinatus muneri.
Heroa noſtris hunc, & hunc fælix Deus
Servavit annis, juſta ne ſæclo rudi
Noſtris deeſſent vatibus præconia.
Vox una binis: victa Gandæ Corduba.
Applaudit omnis maximi circi chorus.

Formæ micantem celsioris lumine
Miratur ire magnus Alcides ducem,
Arausioque cedit, at nulli prius,
Doletque rursùm regis Hispani scelus.
Incedit alto parte ab Eoa poli
Princeps cothurno: nam tremit Vesper gradum,
Et sentit hostem. Nunquid Atride pudet?
Bis quinque Troja messibus constat tibi,
Huic unus annus plùs decem Trojis dedit.
Hoc par, sceleſtâ fraude quod victor cadis.
Vidit Mycena per scelus cæsum ducem,
Vidêre Delphi Patria ô quanto mades
Cruore! Non hoc eluat Rhenus nefas,
Non Mosa vasto pronus incumbens mari,
Non qui propinquus menstruo motu tumens
Neptunus agris parcit Hollandis pater,
Seseque arenis arcet, atque hostes salo.
Cerno Loïsa syrma, Talis Hectoris
Conjux, parensque: talis Alcmene fuit,
Amphytrionis uxor, & nurus prior.
Oenis autem casta sanctæ conjugis
Veretur ora, tollere & vultum simul
Formidat, omnis quæ sui sexus cohors
Transgressa leges. Noxium Æetæ genus,
Ledæque proles, & noverca Virbii,
Materque Orestis, & viri mater sui,
Et ipsa Juno. Stirpis antiquæ decus
Materna parvum ducit Henricum manus.
Alludit illi magnus Argivûm metus
Futurus Hector, Fata si vitam darent.

Allu-

Alludit Hyllus, & coronati patris
Phocæa proles. Jam puer Philisthenis,
Jam meta Trojæ Pyrrhus expectat parem,
Pæantiusque dira Cocyti vada,
Et æstuantes igne permisto lacus
Hispana Erynnis linquit, humanus sitim
Cui sedat unus sanguis: hoc illi merum est,
Hæc pocla monstro, cerno pro tædis rogos,
Cerno secures. Ipsa ad aspectum soror
Horret Megæra: defluit flagrum manu,
Fugitque tortis anguis implexus comis.
At ille magni parricida Principis
Pone, hic scelestum perfidus volvit gradum
Fuit Thyestes impia factus dape
Natis sepulchrum. se gregem Theseus nova
Castum per agros filium sparsit nece:
Patrem cecidit, mistus est matri Oedipus:
Sed inscientes: primus hic sibi placet,
Gaudetque quanto nullus erravit malo.
Quicunque famæ punctus antiquæ nota
Crudelis audis patruus, frater, parens,
Ægisthe, quique semper arentes aquas,
Semperque captas arboris fætæ fugas,
Gaudete vestra majus absolvit scelus.
Inventus hic est, cujus unus patriam
Trajecit ictus: quis Dii tantum nefas
Ausus jubere? Non Lycus: Neuter Creon,
Non hoc Ulysses, sævus in parvos quoque
Et in puellas: Ipse nec fluxâ fide
Amans Jason: Aurei sed velleris

Pos-

Poſſeſſor alter. Ecquis immite hoc ſacrum
Aut cæcus augur aut ferus Calchas docet?
Vidéſne? pulchram raſa Libertas comam,
Et pileata turpe proculcat jugum:
Sed pectus eheu ſaucium, vulnus gerit!
Quod ante Princeps: Patriæ raptum patrem
Seſéque luget. Ora commendat dolor,
Decetque luctus. Eurytum ſic filia
Cum lachrimaret, & parentales rogos,
Sibique lapſum patrii regni decus;
Sic cùm doleret vera ſe quondam nimis
Cantaſſe Phœbus, ſtaret & jam Pergami
Supra ruinas, & cadaver regium
Sub his ſepultum, Troïco flagrans rogo;
Tamen placebat. Talis Electre fuit
Cæſo parente: Nata talis Oedipi
Cæco parente. Si quis eſt ſenſus ſuper,
Curis nec umbras exuit mortalibus
Donata Divis manibus fælicitas,
Reſtatque, quod non atra Lethe ſorbeat,
Salve Batavis dux Arauſiade tuis,
Ultore nato, vate fœlix Heinſio.

GRUTERI
INSCRIPTIONES.

ORbis ſupremi pignus, æterni ſator,
Immenſe ſerpens, ripa quem Nili colit
Squammas virentem ſemper, & tortos ſinus,
Qui volvis agmen ſimplici flexum via,
Tui relapſus in notas veſtigii,
Certis & hæres pervicax exordiis,
Voluminumque lubricis anfractibus
In os reductam prodigus caudam voras,
Tui triumphans pandit æratas fores
Gruterus antri: propter, annoſo ſitu,
Quæ ſola creſcit temporis diſpendio,
Repit Vetuſtas ipſa conſumptrix ſui,
Trahique gaudet. Ille demorſos tibi
Repoſcit annos, quæque luſtrorum parens
Spelunca ſervat ſæcla decurrentibus
Reddenda ſæclis ducit in lucem manu,
Ævoq; priſco donat amiſſum diem.
Quicquid ſuperbus ambit aſtrorum chorus,
Et illa ſignis picta teſtudo poli;
Quicquid creatum ſiderum princeps Deus
Victrice noctis Phœbus illuſtrat face;
Fatale vulnus, annorum vices;
Tempuſq; cuncta perdit, & primùm perit.

Tam

Tam pulchra rerum forma res eſt unius
Dies diei, dumque feſtinat mori
Occidit ætas, unda momenti rapax
Nunquam manentis, quicquid occurrit, gravis
Trahit fluenti mole, nec parcit ſibi.
Exciſa rupi ſaxa cano gurgite
Ferocientis pulſa nequicquam ſali,
Quæ non voravit fluctus, abſorbent dies.
Venis notatum marmor, & commercii
Mortalis aurum pignus, & gemmæ, ſatas
Quaſcunque conchâ littus Eoum vomit,
Duruſque terræ partus inventum neci
Lethale ferrum deteruntur ſeculis:
Vitamque cœli docta quam rectrix manus
Infudit æri, temporum tollit mora.
Quid iſta flemus parva, cum tota ſolo
Æquentur urbes! Heu Quirites patriam
Efferte: Roma funus eſt tantum ſui.
Urbiſque ſeptem quæ ſedens in montibus
Sublimis orbi jura ſubjecto dabat,
Illinc dici ſparſus, hinc noctis domum
Tangit, nec ipſa clauſus Europâ, cinis.
In omne mundi ſelatus lapſu gravi
Ruina fudit. Tuque Graii ſanguinis
Altrix, & omnis magna doctrinæ parens,
Olim tuorum terra fælix ſpiritu,
Quam nulla reſtas! Dira fatorum lues,
Si nil profani, quamlibet magnum, tui
Ferale virus effugit contagii,
Et deliburas peſte Plutonis manus,

Sal-

Saltem ſepulchris parce. Sacras Manium
Sedes, & illud ſiquid eſt, quod mortuis
Datur ſuperſtes eſſe, quod vivi colunt,
Lex univerſi terret, & rurſum mori.
Virgo triformis orbis immenſi novis
Ditata prædis ſemper, & rerum malo,
Quid impotenter in tuas ſævis opes?
Quid buſta, cippos, & graves victoriæ
Teſtes columnas, & trophæorum ſtruem
Deles, nec orcum liberas orci metu?
Umbræ ſilentes, vulgus inferni Jovis,
Quibus quietem ſpondet æternam palus
Jurata Divis, hic quod amittant habent:
Poſtquàm fuerunt, indices perdunt quibus
Fuiſſe conſtet: inſtat & mors nomini.
Fas eſt profectò, fas tamen Divos queri
Minus minores: Inferis non eſt grave
Pati ſupernis numinum turmis idem.
Rex ipſe Divûm fulminis diri potens
Et circinantis tota cæli civitas
Injurioſa prorutas ævi pede
Deſpectat ædes triſtis. Ingentes moræ
Cedunt coloſſi. Sol ſuos annos timet,
Et Luna menſes, templa decreſcunt ſitu.
Et ille ſacris æmulus regum labos,
Impendiiſque ſtructa moles publicis,
Cenſus beati ſola, durando perit.
Nam ſive lata ſubjicit ſaxum baſi
Acuminato pyramis faſtigio
Tactura cœlum, ſive pons longus domat

Super

Superbientes amnis objectus vias
Agris timendi, sive jussu Principis,
Palatiorum surgit excelsum decus,
Altumq; jactant tecta culmen barbaris
Suffulta pilis, in suum finem ruunt.
Quicquid profundis destinatur sæculis,
Hæredibusque posthumus inscribitur,
Mox literarum lancinatis ductibus,
Vocumque membris sponte dissimulantibus
Antiquitatis vindices perdit notas,
At tu supremum stirpis antiquæ jubar,
Alumne cœli, Cæsaris magni genus,
Qui das vetusta post futuris sæcula,
Bataviæque gentis Eöæ sonos,
Polumq; terris, teque nobis, dum licet
Succurre mundi Scaliger damno. Tuum
Te tempus audit. Te decet lustris dare
Leges & annis. Ille fælici manu
Ferventis ævi raptus ex incendio
Thesaurus, orbis naufragi lectæ tuâ
Dextrâ tabellæ, parque Velseri labos,
Perosa dudùm clausta privati laris
Ibunt in auras, regna nec post hac ferent
Nocturna, seque mancipabunt publico.
Novo parentum maximorum fœtui
Gruterus almam primus alluxit facem,
Industriæque munus obstetriciæ
Promisit: ille tot virorum nomina
Invidit orco, totque laudes cœlitum,
Postliminiique juri luce reddidit

Custos

Cuſtos inertis antè Cocyti canis
Cogente magno vidit Alcide diem,
Miratus ore triplici ſolem novum:
Vicarioque functa letho Theſſala
Vitæ recepit lumen impenſum viro.
Blandum ſonante Ditis infenſas lyrâ
Demulſit aures, conjugem qui perditam
Reduxit Orpheus, & reductam perdidit.
Tenace mortis impeditum compede
Ars Æſculapî vindicavit Virbium,
Et abſoluto jam colus penſo ſemel
Novata nentes fila laſſârunt Deas.
Plus ille fecit, qui tot acti temporis
Res delitere non ſinit merſas, Styge;
Per quem ſenectam nulla moles priſtini
Perſentit ævi, nec datum Lethes aquis
Opus caduco regium ſumptu perit:
Et mortuorum (quis putet?) manes ſuis
Vivunt ſepulchris: ſint ut hæc communia,
Gruterus ipſos ſolus æternat Deos.
Et ſacra ſervat. Eſt & hæc laus propria:
Vicêre plures antè legem Tartari,
Pro ſe nec unus; quoſque vivos tranſtulit,
Omnes revexit morte confectos Charon.
At hic perenne nomen omni ſæculo,
Quod Dîs & umbris reddit, hoc ſervat ſibi.

GRA-

GRATULATIO AD DOUSAM.

GRatulor, ô Batavi, lux admiranda ſenatus
Catdici, Nortgæq; potens, quod reddere noſtri
Digna tuis proceres ſciverunt prænia faſtis:
Quod Dea quæ tardo mergi vicina Boote
Signa tenet, Douſaque Themis ſe faſſa minorem
Cauſarum ſtrepitu fælices liberat aures,
Emeritumque ſenem ſervat majoribus actis.
Scilicet agnovit ſibi patria chariùs ipſi
Temporibus nihil eſſe tui: nec enim illa perire
Paſſa marotorum ſtudiis, rixaque forenſi,
Diffiſſoque die toties, & murmure inani,
Aut te difficiles inter caneſcere lites.
Attamen in dubiis ſiquando rebus egeſtas
Extremam ſibi quærit opem, te Douſa repoſcent
Judicia, atque tuo pendebit ab ore Senatus:
Tuque tribunalis ſpes ultima, ſacraque vaſto
Anchora in Oceanô ſtabis, cûm turbida ponto
Surget hyems, triſteſque furent immitè procellæ.
Ad tua confugiet tum demùm oracula diſcors
Curia, tu quoties ſententia diſſidet ipſis
Judicibus venies judex, punctoque ſub uno
Res erit, & ſciſſo priùs in contraria fluctu,
Te domino diſcet vento cui pareat æquor.
Fortunate ſenex, non te ſublime ſedenti
Cauſarum rectore forum clamoribus emptis
Mugiet, aut trepidi vendent perjuria teſtes:

Non

Non genua attinget, tibi ſordida turba reorum
Non tabulæ aut hæres, non jam tua tempora perdet
Circumſcripta dolis pueri malè puberis ætas:
Non veterum leges, non interdicta Quiritum
Subridebit tibi Douſa diem: non illa malorum
Sarcina: vindiciæ pro libertate dabuntur:
Noſter eris. Fælix tandem ſucceſſit Olympo
Lucifer & Douſæ Douſam dedit: ite labores.
Fortunate ſenex, tu jam tabularia priſcæ
Dona manus, & tu tot in illis ſæcula volves
Non alii ſervanda viro: tibi credita ſoli
Tot patriæ ſecreta tuæ, teſteſque papyri.
Tu canis & Floros Didricum genus, & Gulielmos
Jam tum ſæpè bono nomen fatale Batavo:
Tu canis Auguſtum comitem, domitoſque rebelles
Cum Flandris Friſios, Wiltaq; ab origine gentem:
Tu Velſi facinus, longeque abeuntibus annis,
Hannonas & Bajos, maternaque bella nefandis
Decertata odiis: hinc ſeditionibus actum
Vulgus & ultrices Furias, populiſque timendam
Finitimis verſam mox in ſua viſcera dextram.
Cernis ut ad ſolis radios, lucemque recentem
Diffugiat nocturna cohors, clarumque recuſent
Monſtra diem, & nebulæ turpes in inane recedant:
Aurorâ veniente tuâ: moleſque Gigantum
Centaurique abeant & fabula priſca Chimeræ
Scyllaque nec ſe auſint manifeſto credere cœlo.
Ecce triumphali te falſis credulus error
Invectum ſequitur curru, & te judice primum
Carceribus damnata levis mendacia vulgi.

At tibi ſunt comites, antiqui temporis ætas
Jam numero donata ſuo & veracibus actis,
Monſtratiq; annes, & Flævus & altera Rheni.
Oſtia & Auſoniis celebrata Batavia chartis,
Oceanuſq; parens, defenſæ fortiter urbis
Qui Lugdunenſis tecum partitur honorem.
Sic melior nunc te poſcit labor: aut ubi cogi
Tempus erit proceres, geminuſque vocabitur ordo
Concilium in magnum, patriæ cui commoda curæ,
Tu quoque primores inter fulgebis & inter
Cognatos Equites ſpectataq; pectora bello
Antiqua de gente nepos: Douſæq; ſedentis
Conſiliis vincatur Iber qui Marte ſolebat:
Aut exercebit Batavi te cura Lycæi:
Aut tu Nordovicem populum, ſobolemq; vetuſtam
Catthorum imperio moderaberis uſus avito:
Sepoſituſq; tui quacunque ſub arbore regni,
Urbanis procul à curis, fremituq; togatæ
Gentis Apollineâ redimitus tempora lauru
Dulcia præcipiti concedes otia vitæ.
Ilicet accurrent comites ad gaudia Muſæ
A puero tibi nota cohors: aqua Pegaſis ultro
Affluet, & totis Helicon migrabit ab antris:
Temporis intereà partem ſervare memento
Heinſiadæ, Grotioq; tuis: tibi Douſa laboris
Parvi primitiæ, tibi ſe tener impetus ævi
Devovet, & quicquid perituris ludimus horis,
Conatuſque leves. at tu creſcentibus auſis
Mitis ades, calidam nec dedignare juventam.
Impleat ingenuis ſic ille nepotibus aulam

Stepp°

Steppo tuus; multos ſic vivere poſſit in annos
Conjugis & magni totidem numerare triumphos
Chara patris ſoboles formoſi mater Juli:
Sic ſocerum digno faciat te Jana marito.

IN SYMBOLUM SCULTETI,

Viciſſe voluptatem voluptas maxima.

PArs melior noſtri divinæ lucis imago
Mens alto cognata polo, & cæleſtibus auris,
Poſtquam corporeos artus moribundaq; membra
Induit & tenebris circumdata corporis atri
Exilium vitæ, peregrinaq; regna ſubivit,
Ingenti pelago rerumq; involvitur undis
Naufraga: nunc raucæ circumſonat ira Maleæ,
Nunc Scyllæ rabies, nunc impacata Charybdis,
Et quicquid timuit victæ poſt tempora Troiæ
Carmine Mœonio multum cantatus Ulyſſes.
Ignea namque animi vix excandeſcit in iram
Indomitas imitata feras, dirumque furorem
Combibit, & cæcos vindictæ colligit ignes.
Tunc igitur Ciconum pugnas, tunc cæde cruentos
Infames patimur Læſtrigonas, Antiphatemque
Tunc & nos Siculo mandit Polyphemus in antro.
Illa quidem gravis eſt, gravior tamen altera peſtis,

Quæ juvat, & dulci ſcabiem prurigine velat:
Scilicet hæc avido Lotos guſtata palato
Optatos patriæ prohibet contingere fines:
Hæc eadem quanquam forma placitura Calypſo
Contextâ tabulis fuerat fugienda carinâ.
Hæc eadem Circe molles effæminat artus,
Excantatq́; virum, mox & ſub imagine porci
Cogit in immundo grunnire Elpenora cœno.
At quibus ingenii ratio moderatur habenas,
Empuſaſq́; leves cohibet, Proteiq́; figuras,
Nos neque Trinacriâ nullo cuſtode vagantes,
Titanis prædamur equos, nec fraude ſolutis
Utribus adverſo complemus inania vento:
Claudimus at ſurdas Sirenum cantibus aures,
Et fruimur, contra pellacis pocla veneni,
Non intellecto ſuperorum munere moly.
Illud Hymetteâ tinctum dulcedine virus,
Illecebraſque animi, rabidæq́; cupidinis æſtum
Vincimus, & magno perrumpimus aſtra triumpho.
Per luſus alii, fucataq́; gaudia tendunt
Ad Phlegetontæi flammantes ignis arenas,
Cocytiq́; vadum, celebrataq́; tartara pœnis.
Nos Styge, & inferni ſuperato limine Ditis
Victores tandem in ſuperas evadimus auras,
Tranquillæque Ithacæ cæleſtis ſede potimur,
Prima voluptatem quibus eſt viciſſe voluptas.

DE

DE PATRIA.

QUæ te digna canam ſanctum & venerabile nomen
Patria? vincis enim laudum faſtigia totos
Virtutum complexa choros: tibi copia fundit
Ruris opes, orbeſq; novos trans æquora pandit
Arcano natura ſinu; miramur olivæ
Munera victrices inter tibi ſerpere laurus:
Tu decus armorum, tu pignora certa triumphi
Naſſavios ſortita duces: hinc aurea mala
Heſperidumq; hortos tibi myſtica tradit Eleuſis.
Sic Latium ſua pila dedit, ſed juncta maniplo,
Impoſuit cui ſancta pares concordia nexus.
Stat virtus comes, & ſuperi ſtat conſcia mundi
Relligio, non quæ ritu bacchata profano,
Simplice ſed cultu cœli meritura favorem.
Te quoque venturos audax irrumpere caſus
Tarda gradu ſequitur prudentia, tutaque bello,
Sed belli ſecura quies, reverentia caſti
Juris, & alma fides, & quanquam auguſta poteſtas,
Blanda tamen, tua tota cohors. Genſne ulla reperta
Quæ victos ſervire vetet? tu legibus æquas (eſt,
Quos ſuperas bello, regnataq; pectora donas
Jure ſui. Pars prima boni quo naſcimur omnes
Libertas & in hoſte placet. Conſtantia magni
Quanta animi, quod te nimiũ non proſpera tollunt,
Non adverſa premunt: quod, major clade reſurgis
Cum fatis ſævire vacat? viret ardua qualis

Palma ſub irriguam Jordanis conſita ripam,
Pondera fælices multum torquentia ramos
Indignata ſequi. Veteres tibi reddit Athenas
Ingeniis redivivus honos: non ulla tot artes
Præſtat humus: noſterque fidem tibi ſacrat Apollo.

DE ITINERE SVO PER RES PROLATAS.

AMans quietis lene dum vadum Lingæ,
Æſtuque jam non turgidas peto ripas,
Et otioſum mitis oppidum Buræ,
Vidi Camænis ſacra tecta Lugdunum,
Veteriſque Rheni ſtagna, cujus antiquum
Caput Batavo littus invidet ponto,
Et ubi Quiritum ſigna fixit Alphenus,
Arcemque Wordæ, Præſulis donum Boïi.
Faces Enyo jecit unde civiles:
Et Didericis longa bella Trajectum,
Antiſtitales ut retunderent faſtus.
Mox ut Sicambros proximavimus fines.
Ultraque Buram liniti pedem Geldro
Inferre juvit, illud, illud apparet
Batavo durum, quæ tot urbium princeps
Fuit, ſed olim. Nunc ubi pares Romæ
Quæramus arces, ambituſque murorum,
Et plura Divûm templa quinquies denis?

O Let

O Lecca dives, tuque non procul Mosa,
Fluviique nostri Vahalis alterum cornu,
A voce fontis cujus unda desciscit,
Amnes beati, Naiadumque fælices
Salvete ripæ consciæ vetustatis:
Vos cùm frequento liber omnibus curis,
Vobisque repeto testibus senes annos
Solutiorque, doctiorque, bis vivo.

IN CARMINA I. MEURSII.

HActenus ila vacans alienis cura libellis,
Et persanato vulnere nota manus,
Definit antiquis horas donare papyris,
Et cupit à versu nomen habere suo:
Nuper & in vulgum sapientibus edita chartis
Hoc sibi, qua pergat, Gloria fecit iter.
Præses ab Arnulpho dium genus accipe Meursi
Carmina, natali carmina digna domo.
Accipe Veenhusi, quantum majoribus arma,
Civiles tantum cui tribuere togæ,
Battiadæ nemus, & Nasonis sacra renati,
Quo dominum donat munere verna liber,
Ipse movet celeres vitæ formator Jambus

Ad tranquilla ſui judicis ora pedes,
Spirat adhuc priſcos Jani nova charta labores,
Et veteris meriti pagina teſtis adeſt.
Cum trimetros miror tragicâ gravitate, videtur
Ipſe mihi Lycophron, ſed ſine nube, loqui.
Nec Plauti lepor ille deeſt, nec digna Catone
Scita, nec à Siculo quæ ſene Muſa venit.
Nec ſacra Arnobii cum majeſtate vetuſtas,
Nec quicquid Macrobî docta papyrus habet.
O elegia, meo nil conceſſura Tibullo!
O quibus æquatur Bilbilis ipſa, joci!
O Graiæ veteris ſæcli decus heroïnæ!
Quis ſe, quis vobis poſtulet eſſe parem!
Quod legeret Ceyx, ſi jam ſupereſſet, haberet;
Mittitur Alcyones litera ſcripta manu.
Gnoſſis ad Ægiden pelago jubet ire querelam,
Littoreas inter ſola relicta feras.
Nec numeros Naſonis amat, nec verba Catulli;
Jane, tuo poſthac eligit ore loqui.
Procris adulterio nimiùm tentata mariti
Mittit ab Actæis ſcripta legenda jugis.
Mileti ſoboles inceſtum ſignat amorem,
Germano pluſquàm debet amica ſoror.
Myrrha parens fratris, patris uxor ſuccuba matris,
Poſt tantum potuit crimen habere preces.
Proderet ut patrii Niſeis fata capilli,
Hoſtilis miſeram præcipitavit amor.
Cætera quæ toto fulgent miracula libro
Quid repetam? præſens omnia numen habent.

Sci-

Scilicet in versu Phœbus micat, ipsáque, Meursi,
Gaudet in amplexus Musa venire tuos.
Quemque canis crater, erat hic Aganippidos undæ,
Quæque arbor meruit carmina, laurus erat.

AD GERNANDUM.

SAncte Nicer, Rheni Nymphis gratissimus ho-
Si quando tumidis laberis auctus aquis, (spes
Jam cornu majore tuas ascendere ripas,
Jam decet æstivam dissimulare sitim.
Ille tuus, tuus ille puer Permessidе lympha
Potus, & æthereo nectare plenus adest.
Gernandi venerare diem; da serta capillis,
Albaque purpureis lilia mista rosis:
Qualia crescenti tribuit Penëus Achilli,
Thessalicis quateret cum juga fœta feri
Qualia Castalius quoque fons Pythone perempto
Fertur Apollineis imposuisse comis.
Da frondes ederæ, da laurus virginis umbram:
Convenit Aöniis illa vel illa choris:
Da pingues oleas vigilatæ præmia noctis:
Palladias artes Palladis arbor amat.
Da quodcunque solet Latios ornare triumphos:
Ille triumphato victor ab hoste redit.
Ille tuis quoties posuit vestigia ripis,
Lentius attonitas currere vidit aquas:
Audiit Orphæâ quiddam testudine majus,

Et

Et ſtetit ad doctos mobilis unda ſonos.
Dum nunc Cecropii repetit commenta magiſtri,
Porticus & quicquid, Gymnaſiumque docent;
Scitaque nodoſo multùm ſudata Lycæo,
In quibus & magnus pallet Ariſtoteles:
Monſtra vel errorum domat, Ariique furorem,
Subductuſque ſolo celſior aſtra petit.
En quoties meruit victrices dona coronæ.
Hei potuit tantum cur ſemel illa dari?
At tu magne puer (neque enim puer eſſe recuſas,
Ingenio quamvis anticipante ſenem)
Qui jam Socraticos malepubes præcipis annos,
Et canis potuit quod ſatis eſſe ſapis,
Inclytus his cœptis quibus & finire fuiſſet
Gloria, conſpicui perge parentis iter.
Hunc tamen interea tibi quem donavimus auſum,
Ex animo pretium dantis habere puta.
Inferiora tuis Epinicia ſume trophæis:
Nam qui digna dares ipſe, ſed unus eras.
Artifices naſci tecum non poſſumus omnes:
Hoc eſt naturæ ſe ſuperantis opus.

ANA-

ANACREONTICUM AD HEINSIUM.

MEdulla amorîs Heinſi,
Et corculum Cytheres,
Robuſtiorque blandi
Anacreontis ætas,
Quid grande per theatrum
Gravi ſtrepis cothurno,
Arauſiique cædem
Sceluſque Celtiberum
Mandas tragœdus ævi
Sequentis ultioni?
Quid iſta tam ſuperba,
Quid iſta digna cantas
Promiſſiore barbâ,
Horrentibus capillis
Supercilîque faſtu?
Jam pone, pone laurum,
Et impedi capillos
Semper virente myrto
Roſaque ſemper uda,
Humore quem ſerenæ
Noctis reliquit aura,

Incen-

Incende corda vates,
Vini calentis hauſtu,
Narde caput perunge,
Lanuginiſque floreni;
Lanuginis tenellæ,
Quam Reſſa ſemihulcis
Lambitque, alitque labris,
Dulcique amoris igni,
Et halitu Sabæo
Priore cinnamomo,
Pubem fovet genarum.
Feroculum poëtam,
Et arma jam ſonantem
Te blandulis ocellis,
Tenellulis papillis,
Rubellulis labellis,
Et oſculo integello
Roſſilla baſiatum
Abducet in triumphum.
Deus, Deus triumpho
(Nam te vocant Jacchum
Et Liberum bimatrem)
Fave tuo poëtæ,
Qui victor eſt poëta,
Sed victus eſt amator.
Iô, Iô, triumphe.
At ille, victus ille
Furet, furet, furetque
Muſis, Amore, Baccho.

IN FILIUM
GUILIELMI MARTINII.

GAude præcipiti quiſquis das gaudia vitæ,
Et quamvis ſerò quos juvat eſſe patres,
Tuque hominum officiis nondum defuncta ſenectus:
Vindice. Martinio cauſa probata tua eſt
Hanc celebret vates redeat ſi Tejus horam,
Purpureis miſcens lilia cana roſis:
Ipſa ſuos verſus Peligni Muſa recantet:
Fortè ſenex miles, fortè ſenilis amor.
Tu quoque Martinio, neque te debere negabis,
Mæonide debes: Zoïlus ecce tacet,
Neſtora nec vidit, dum tertia vivitur ætas,
Virgineo lateri conſeruiſſe latus.
Nec populuu tardo Prianı de ſemine natum,
Hectore vix unâ prole probante virum.
Plùs igitur vernante valent lanugine cani,
Ultima nec vitæ tempora perdit hyems,
Atque aliquid tandem perituris imput at annis,
Et negat hæc ætas dedidiciſſe marem.
Non minùs Anchiſes potuit quàm pulcher Adonis,
Tithonus Cephali ſæpè peregit opus.
Hunc etiam laudat gravitas cenſoria morem,
(Quid cum Sileno, cum Satyriſve mihi?)
Ipſe Cato vetulis ſit quanta potentia nervis
Exemplo dignum credidit eſſe ſuo.

Quam

Quam bene Martinii ſunt juncta vocabula Marti,
Et Veneris conjux quam bene nomen habet!
Prœlia ſunt illis, ſed amorum prœlia cordi,
Qualia Gradivus, qualia Cypris amat.
Hinc deſperatæ tandem tumuere papillæ.
Totque annis menſes plus valuere novem.
Flere puellares noli jam mater honores,
Ereptæ pretium virginitatis habes.
Pœnitet exacti tam longum cælibis ævi,
Et cuperes iſtos anticipaſſe thoros.
Ecce voluptates & gaudia prodidit index,
Nec Paphios luſus diſſimulare licet.
Hoc teneri fletus, infantiaque ora loquuntur,
Lucinaque tuus ſignificatur hymen.
Fortunate ſenex tot demum meſſibus actis,
Ergone ſementis jam tibi tempus erat?
Tu tamen Herculeum potuiſti ſolvere nodum?
Tune igitur nomen dulce parentis habes?
Jam migrat in cunas melioris poſthumus ævi
Filius; hunc nuper nox vigilata dedit,
Servatumque diu latus & non prodiga virtus,
Et ſine progenie non voluiſſe mori.
Gratulor hæredem parvum tibi ſerpere natum,
Gignere quem libuit, quem genuiſſe juvat.
At quantam ſobolem ſegnis tibi perdidit ætas!
Jam poteras proavus, qui potes eſſe pater.

HUGONIS GROTII

FARRAGINIS

LIBER SECUNDUS.

EPITAPHIUM FRANCISCI JUNII.

QUanquam nec veteris Mauſoli ſaxa, nec audax
Pyramidum Pharius ſurgit in aſtra labos,
Hoc tumulo plus rege jacet: tam nobile marmor
Eoæ quondam non habuiſtis opes.
Ille diu toti nomen venerabile terræ
Junius ex tota mortuus illud habet:
Non qui Tarquinios Tarpeia depulit arce:
Non qui Cæſareo ſanguine tinxit humum.
Mitius ingenium fuit huic, cui candida virtus,
Cui placuit ſanctæ pacis amica quies,
Sed tamen hunc etiam duri metuere tyranni.
Hoc quoque libertas vindice tuta fuit.
Ille triumphato toties errore, quadrigis
Invectus docuit relligionis iter.
Victa ſuperſtitio divinæ præmia laurus
Et pietas illo præſide læta dedit:
Orba parente domus, pubes ſtudioſa magiſtro
Quod dolet & lachrymat, ne putet eſſe ſuum,
Privati non ſunt in tanto funere queſtus:

Humani generis publica cura perit.
Callachryment gentes, & fletus fletibus orbis
Miſceat: ad cunctos pertinet ille dolor.
Gallia ut ereptum dignè lachrymaret alumnum,
Contulit huc undas ipſe Garumna ſuas:
Hoſpitis exequiæ triſtem traxere Lemanum,
Cui Rhodanus ſociâ ſponte cucurrit aquâ.
Nec tantum tenui lachrymat Germania Nicro,
Contentúſve ſuo gurgite Moſa fuit:
In Rhenum fluxere ſimul, quem maxima luctus
Damna tenent ipſa proximitate mali:
Atque utinam poſſet Cattorum lirtore rupto
In pelagus lachrymas exonerare ſuas.
Impendit totam vicina Britannia Tethyn,
Sarmaticæq; procul tabuit unda nivis.
Sufficiunt amnes? an cœlo poſcimus imbrem?
Nil nimis eſt, & plus imputat ille polo.
Hunc meritò Lethe meminiſſes ipſa dolorem,
Et ſua mors Stygiis crimina fleret aquis.

ANA-

ANAPÆSTI IN MORBUM FRATRIS FRANCISCI GROTII, EX QUO OBIIT.

THemidis gremio nata Tonanti,
Legis & æqui veneranda parens,
Cui contiguus face vicina
Versat senior plaustra Bootes,
Tibi si sobolem prisca dederunt
Sæcula somnum, pariterq; quies
Ab utroq; venit, tibi bella silent,
Ponit rabies violenta minas,
Et compositas tranquilla tenent,
Otia mentes, nec feralis
Populos in se mergit Enyo:
Premit indomitos ille furores
Membraque longo jactata die
Lenis placida sub pace fovet,
Vigilesque animi decoquit æstus:
Et quod parili lege coërcet
Genus humanum, redditq; sibi,
Genitricis habet:
Tibi perpetuos si nostra domus
Servit in usus, tibi si Grotii

Gens ſacra ſumus; tua ſi quondam
Cecini parvus munera vates,
Et præcipiens nucibus poſitis
Orſa ſenectæ, ludente trocho
Gente coæva, cœpi Latias
Pectore leges, tibi prima dedi
Tempora nondum puberis ævi:
Tibi ſi fratris cura diurnas
Partita vices, nunc pulvereo
Docilis circumducere campo,
Et nunc miniopingere leges,
Miſcens tereti jura cylindro
Didicit numeros lanceſque tuas;
Et jam poterat (memini certè
Mens iſta fuit)
In Socraticas ire palæſtras;
Pactiſque ſuas reddere leges.
At nunc (ô vis invida fati)
Tenet obſeſſum pectus Stygio
Membra veneno depaſta lues,
Et cæca vorat flamma medullas,
Neque depoſitos vita ſuperſtes
Suſtinet artus: jacet ignavum
Thalamo pondus, nullaque in illo
Species reſtat priſtina vultus.
Decus hoc oris, decus hoc periit,
Indolis olim geniique notæ:
Pallor turpis ſedet & macies,
Lougamque ſibi lumina mortem
Lapſa minantur. Novies roſcis

Re-

Rediit bigis aurora polo;
Novies tenebræ rapuere diem,
Ex quo virus ferale mali
Ciet assiduos corde tumultus:
Cætera torpent languore gravi,
Mens una ferro concita motu
Nescit placidam ferre quietem.
Propè consumpto corpore demens
In sè morbus perdidit iras,
Vis lædendi lædendo perit.
Consule damnis, studiisque tuis
Astræa fave: non iste ferox
Ense reperto, sociasque trahens
In bella manus, polluit olim
Sincera tui sæcla metalli.
At nec rupto fœdere rerum
Pelago terræ mutavit opes,
Purus morum, certaque fide,
Metuens luxus & pacis amans,
Multum veteri servat ab auro.
Quanquam auxilium medicina negat,
Quodque supremum miseris, vix jam
Sperare licet, si fortè tamen,
Si respiciat nos alma Salus,
Et placato numine Pæan
Ægrum melius servet alumnum,
Unumque caput tribuat Musis,
Mitique favens Panacæa gradu
Comitem secum ducat hygiam;
Præcipe Somno jure parentis

Veniat facilis, fessoque malo
Mulceat artus & Cimmerio
Genitum saxo nocturna ferat
Virga papaver, tingatque levi
Tempora succo: quantum ex illo
Furata dies, tantum requies
Blanda reponat. Pellat tumidos
Pectoris æstus, & vesanos
Animi fluctus, sopor ut reddat
Mite serenum: vires illi
Reparare datum, soliique licet
Vincere duræ tela sororis.
Dormi dormi frater, & acris
Saltem sensum lucrare mali.
Quamcunque feret tranquilla quies,
Hæc supplicijs hora peribit
Pars cruciatus vigilare fuit,
Leviusque dolent quos torpor habet,
Preme securo lumina somno,
Totumque oculis expelle diem;
Et cum certæ nuncia lucis
Cristas iterum suberiget ales,
Artus nullo torpore graves
Exue somno.
Non interea turbet pavidum
Pectus imago: non vanus aget
Subdola Morpheus simulachra virûm:
Non in species eat exanimes
Lætus inani Phantasus umbrâ:
Non horribiles imitata feras

Variet

Variet fallax ora Phobetor:
Sed non vaga mens operata sibi
Repetat solidos pristina cursus.
Sin vis animi negat irrequies
Intus cæcam ducere noctem,
Tu monstrificos averte metus
Dea Melinoe; certa salutis
Faciles præstent omnia somni;
Jubeat meliùs sperare sopor:
Aut insolito vehat axe diem,
Cinctusque coma radiante caput
Sol Hesperiis surgat ab undis
Sacer aut aris Epidaure tuis
Medicas serpens offerat herbas.
Aut radenti tempora ferro
Verticis altus decrescat honos,
Messique cadat silva capilli.
Videat lætam sua vota Deo
Ferre sororem videat matrem,
Fratresque duos.
Tantum miseri fugiat natum
Patris imago, qui festinæ
Tristia mœrens fata senectæ,
Hoc præcipuum mœroris habet.
Nos, nos socios habuisse mali,
Nec se tantum doluisse sibi.
Satis hæc sanos lugere satis,
Satis hæc totos meminisse dies.
Quos non ludos fortuna facis?
Prensis excelsos humilesque levas;

Penſas totidem dona rapinis,
Propriumque nihil te dante fuit.
Non tam pelagi malè certa fides.
Tunc cùm primum tranquilla tum ent
Æquora ab imis commota vadis,
Pacemque ſali rumpit ſubitis
Nubibus Auſter.
Nos onus ipſum nominis urget,
Nimio conſtat titulus Magni,
Nec in invidiam durare ſuam
Fortuna finit quodcunque beat,
Nomine tanto mortale genus
Quanquam ſeriem temporis acti
Longa vetuſtas repetat Magni
Meruiſſe notam, nemo à fatis
Impunè tulit.
Dederat domita priùs Aurora
Procul Oceani viſere fines
Macetûm regi, perque triumphos
In naturæ currere fines:
Sed victori famulata diu
Fortuna, gravem diſtulit ictum.
Medio in curſu ſortis amicæ
Jacuit juvenis fraude ſuorum.
Flevit Babylon, mirata nefas,
Tantum levibus licuiſſe Diis.
Alter populos vincere Eoos
Parili tenuit qui lege datum,
Fælix Latii cura ſenatus
Per maturos vectus honores

Poſt

Poſtquàm lauri decus æquoreis
Quæſivit aquis, Phariumque tulit
Gentibus annum, contra ſocerum
Stare tyrannum ſanctis patriæ
Juſſus in armis in Pharſaliæ
Fata cucurrit, mox Lagæam,
Mandante nefas puero, truncus
Preſſit arenam.
Quid enim memorem tam crudeles
Conſtantini, Carolique neces,
Quibus in ſummum, quamlibet ævo
Vergente diem, cùm ſponte ſuâ
Jam deleri ſtamina poſſent,
Rupere tamen fila ſorores,
Et ut in vitam conqueſta nihil
Licuiſſe ſibi, facilem mortis
Violenta vicem fata negârunt.
Nos privati quos nec gladii
Metuere duces, nec rectores
Vidit populus jura ferentes,
Solaque faciunt nomina Magnos,
Et ſiquid tu Muſa dediſti,
Premimur nunquam cedente malo,
Totoque ſali mergimur æſtu.
Tu quoque nimiùm clade recenti,
Oneras noſtram Franciſce domum,
Ut jam pelagus puppe bibentes
Decimi fluctus quatit unda rates.
Heu Cornetti quondam proceres!
Heu gens titulis Adrichema potens!

Bello

Belloque ferax, Hemskercka virûm,
Grotiiique parens nominis Agnes.
Quorum pœnitet esse nepotes,
Dum sic humiles fortuna premit.
Vindexque Deus quo decidimus
Sanguinis claro degener ortu?
Sed quid veterum meminisse juvat?
Pone ex animo genus antiquum
Magnosque patres clara juventus,
Tandemque tuis succumbe malis.
Gravat hic luctum, nimiumque sua
Favet ærumnæ, prius exactos
Qui dedicit segniter annos,
Nondum docilis nova fata pati,
Miserumque gerit corde ferocl.
Tamen in lachrymis etiam lachrymæ
Solamen habent. Sæpè dolorem
Satiâsse juvat, nec turpe mihi
Sic heu longas miserum, miserum,
Tecum, frater, fallere noctes!

IN

IN MORTEM INFANTIS MARTINII.

POstquàm marito ſcripta, poſtquàm cœlibi,
Poſtquàm parenti, dentur orbo carmina.
Matri ſuperſtes ille, conjugii brevis
Unæ reliquiæ, patris heu mœſti dolor!
Solatiumque triſte maternæ necis
Illum reliquit, hanc ſecutus mortuam.
Valete myrtus, & diu gratæ mihi
Lauri corollæ: rurſus ad taxum vocor.
Jactura non te, Martini, ſimplex premit:
Duo ſunt in uno funera, effertur ſimul
Puerque raptus, raptaque in puero tibi
Pars magna matris: quippè dum viduum patre
Dediſcis, animo ceſſit invito dolor,
Vultumque in iſto ſpeque maternæ indolis
Seſe fefellit nunc bona primùm fide
Cunas inanes luget, & viduum thorum,
Ubi ille fletus, atque vagitus rudes,
Nec ſemper iræ, ſæpè feſtivus lepor,
Tenerique riſus, & vacillanti ſono
Imitata primùm verba? ſolliciti patris
Periere vota, ſed ſimul periit timor.
Si non paternæ culmen hoc ſapientiæ
Docili juventâ vincet & caſtos thoro

Servabit

Servabit annos, nec favore Principum,
Secundus ipsis, in flagranti gratiâ
Tenebit aulam, dulce nec senium patris
Affinitate glorioſus nobili
Sequetur hæres: ac nec illius manum
Patria vocabit preſſa dominatu gravi,
Bonumque civem publicæ in partem ſuæ
Rapient ruinæ: non in exilium procul
Jugum gravatus ibit, aut ſortis ſuæ
Suſpecta habebit commoda, aut metuet mala,
Falſumque fragilis neſciet vitæ bonum.
Omnes eódem pergimus, vita omnibus
Data pro miſeriis longa, pro curſu brevis.
Feſſos labore ſola mors donat rudi.
Nulli minoris conſtat abſolvi malis.
At hic beatus qui nec ærumnas tulit,
Nec illecebras allubeſcentis mali
Vivendo ſenſit, nec pavens mortem puer
In innocentis cecidit ævi limine.
Nos flenda turba, noſque perpetui ſumus
Materia luctus, flere fælices cave,
Quisquis malignâ liber invidentiâ.
Aliena non vis damna cum quæſtu tuo.
Præmiſſus hic eſt, non tibi amiſſus ſenex,
Et multa lucrifecit à fato mala,
Certè ſenectam & damna maternæ necis,
Et patre adempto lachrymas, quas accipit.

AD

AD GERNANDUM

BEatus ille qui fugaces actibus
Reprendit annos, seque dante longiùs
Quàm fata dederunt vixit, impubes senex,
Non hunc jacentem publicanus temporis
Semisse vitæ spoliat ignavus sopor,
Non hic amori, non gulæ, non Libero,
Prostituit horas, durus exactor sui.
Non hunc juventæ dulce torpedo malum
Effæminavit, otiúmve degener.
Non ille morem gessit unquam moribus,
Sed quod negavit sæculo, vitæ dedit:
Pretiumque verum tempori dixit suo,
Auarus ævi, sed laboris prodigus:
Rarum est in orbe canus ingenio puer,
Annos seniles qui repræsentat sibi.
Gernande talem te colit Germania,
Paterque Rhenus. Omnis est in fænore
Dies, & ejus nulla pars quæstu vacat.
Sic tota ratio constat ut pereat nihil.
Linguas in ipsis doctus incunabulis,
Quas poscit usus, exuisti infantiam:
Reptasti ad artes inde properatus puer,
Et imbibisti quicquid est sapientiæ
Cum lacte primo: Quid Deus, quis sidera
Limes sequatur, qui rotent mortalia
Quantiq; casus, unde tam certas vices
Causæ revolvant, septa quæ virtutibus.

Veri

Veri quis index. Nunc ad æqui regulam
Legesq; domito Roma quos orbi tulit
Acclivis ævi prima vertis tempora:
Sic usque major crescе, quem te mox virum
Nicer videbit, quæ senecta te manet,
Cujus senectam præcipit puertia.

IN NUPTIAS D. DE KESSEL.

MUlciberum Batavis nuper sudare caminis
Viderat, ingenii more miserta Venus.
Incudis gemitus reddebat voce Pyracmon:
Et Brontes quantum follis anhelus erat,
Forcipe jam posita, pictus fuligine vultum,
Orabat Steropes otia parva Deum.
At regina Paphi viduas quid ducere noctes
Cogeret, & studii quæ nova causa rogat?
Ignipotens classem quæ flandrica vinceret arva,
Narrat, & in pelago mille fuisse rates;
Mox benè mutatas Ostendæ collibus urbes,
Et Valachris nullos jam supereſſe metus.
Kesselium nosti (quis enim celebratior?) inquit,
Quo duce non unâ clade fugatus Iber
Præcipuè tunc cùm Nassavia castra reliquit
Respiciens Clusam captaq; rostra Ligur.
Illi vulnificum nostra fornace metallum
Liquitur, & jusso se tenet orbe chalybs.
Quo ruat in turmas trepidum quo fulminet ho-
Cedat ut Hesperio massa recocta Tago. (stem,

Scis

Scis Batavis ſervare Deos, cœliq; favorem
Totius Hornanum promeruiſſe genus.
At Dea ſubridens, nil ultrà novimus, inquit,
Boxteliæque tenet me quoque cura domus:
Trajecti teneris radiat prælata puellis
Meria Zavetemi ſanguinis illa decus,
Qualis ubi niveos perſtringit purpura vultus,
Miratur ſimiles Gratia læta roſas.
Hanc amat, hanc toto ſuſpirat pectore ſecum:
Et genus eſt certè formaq; digna peti:
Quid properas adeò conjux tua munera flammis
Urere? cui properas uritur ille magis.
Arma prius pereant & nomina vana triumphi,
Et ſiquid virtus Martia laudis habet,
Quam rapiant hoſtes, melius quæ dantur amicæ,
Tempora nec bellis eſt inimicus amor.
Fortior Alcides in tauros ibat & angues
A Megara quoties venerat ille ſua.
Promeruit noctes Pellæi regis Amazon:
Hac dominam tetigit qua tulit arma manu.
Quid vetat hunc etiam fælici fœdere jungi?
I puer & facibus pectora junge tuis.
Ne tamen hunc illis conjux, precor, inſtrue telis:
Nil opus eſt: undis tela miniſtrat Amor.

EPIS-

EPISTOLA JOCOSA AD HENRICUM DELMANHORSTIUM cum Medicinæ Doctor crearetur.

BAccardus ad me quem ſecundis litteris
Miſiſſe ſcribis, ille non comparuit.
Sed frater ipſo cognitus vultu mihi
Pergrato amicas tetigit aures nuntio:
Laborioſo nempe te Coi ſenis
Curſu peracto juſta meritum præmia
Promiſſa doctis Æſculapî filiis.
Namque ipſa quanquam ſufficit ſcientia,
Sibiq; ſatis eſt; attamen meritò juvat
Tot eruditis conſequi ſuffragiis
Mentis peritæ vera teſtimonia.
Sed quando jam te ſcire morborum mala
Simul & medelas voce conſtat publica:
Eſt cur ſalubris artis experientiam
A te vetuſtæ jure amicitiæ petam.
Paſſim in Batavis, hic ſed Hagæ maximè,
Quædam vagatur natio mortalium;
Quam neſcio quis triſtis exagitat furor,
Sive ira Divûm eſt, litigare ut geſtiant
Semper: nec ipſis poſſe rixari ſat eſt,
Sed quoſdam & alios ære conducunt ſuo
Homines togatos, non quidem per ſe malos,

Sed

Sed negare ſuſtinent nummis nihil,
Clamore pro ſe quos dies totos jubent.
Nullum quietis eſt minus patiens malum.
Curſare videas pallidos circum fora,
Circum tribunal, judicis nunc ad domum,
Nunc ad patroni. Si quis eſt uſquam lapis
Magno Galeno notus, aut Arabum libris,
Si qua eſt in hortis herba Lugdunenſibus,
Quæ pellere iſtam poſſit ex animo luem,
Operum hoc tuorum crede; me certe tuum
Valde bearis; namque nonnihil & mihi
Genus hoc moleſtum eſt; quod niſi talis cohors
A me fugaret illa Muſarum ſacra
Dilecta quondam, non canendis laudibus
Tuis, Amice, defuiſſet hæc manus.
Quam me juvaret dicere ingenti ſono!
Qualem mariti fixa telis filium
Puella dederit oſcinis nigris rea,
Qui mox beatæ cultus Epidauro Deus
Æquaret arte, vinceret barba patrem,
Quoties docere Pelei puerum volens,
Inferre natum, non mederi vulnera,
Iratus imam torſerit caudam ſenex.
Argolica quanti fecerunt Machaonem
Fratrémque caſtra, maxime ſi quis Phrygum.
Senſiſſet arcus. Quomodo multis diu
Collecta templis ligna voti nuntia,
Et mentis ægrè ſomnia artem fecerint:
Quæ Græcia profecta, mox Latium, ſuam

Catone fruſtra prædicante braſſicam,
Morbis replevit; inde Nabathæos procul
Inter magiſtros hæſit ejus dignitas
Donec ſub Arcto fulva quærens vellera
Exorta gens eſt, quæ ſalem, quæ ſulphura,
Majæque ſobolem voce barbarica ſonans,
Incerta fecit cuncta, quæ bona fide
Crediderat orbis. Hæc ego atque alia inſuper
Eram paratus dicere haud humili pede,
Tuumque nomen ferre in æthereas domos,
Animo capaci dona qui complecteris
Utriuſque Phœbi, carmine atque herbis potens,
Noſtriſque Batavis Junium præſtas novum.
Sed illa nunc me jurgia infælicia
Liteſque revocant; ergo quod ſolum licet,
Pia vota peragam. Proſpere cedat dies
Tibi hic & ægris imperaturis tibi,
Quos inter eſto ſicui melius vacat;
Mihi nunc quidem non otium eſt: quare tibi
Debere quidvis malo, quam ſanam cutem.
Alios valentes igitur ut facias, vale.
Dabantur Hagæ poſtero idus Julias.
Roſſa poëtam, quæſo, Taciti interpretem,
Et Martialis editorem Lentulum
Pro me ſalutes, qui velim in dapibus tuis
Rhenenſe nectar more majorum bibant.

EPI-

EPITHALAMIUM POTTEII.

I.

TU jam purpureo ſola cubans thoro
Pictum languidulis ſubter odoribus
Oſtrum, pulchra, jaces, non tibi gemmei
Cultus virgineas impediunt comas:
Non cervice fluens divitiis tibi
Structum barbaricis ſyrma trahunt pedes:
Non ſuras cohibent vincula liberas.
Sed qualem docuit ſæpè recens dies
Materno tepidam ſurgere de ſinu,
Nulla veſte lates: ſola ſed invidis
Non incluſa micant ora tapetibus.
Qualis puniceum roſcida cum jubar
Denſa nube parens Memnonis extulit,
Cedunt aſtra polo, nec facie minor
Audet turba choros duce Pleiadum:
Wachmannæ teneras lumine ſic novo
Perfudêre genas, aut pudor, aut amor,
Aut utrumque ſimul; jam tibi palpitat
Pectus ſub teneris molle papillulis,
Et jam nuda ſibi virginitas timet,
Nec multum lacrymis fidit inermibus.
Sed jam pone metus. Ducimus en tuum,
Potteium juvenes ducimus, & decem

Intacto teneræ corpore virgines,
Flos lectus Batava pube, parem quibus
Spondent vota diem. Define fletuum,
Ne mox ille ſuis ſorbeat oſculis
Humentes lachrymis ſimplicibus genas.

II

Hic, hic eſt, tuus ille, noſter ille,
Qui totus nimio liqueſcit igne,
Et quanquam tacitus ſunque cælans
Jam non diſſimulat ſuos amores.
At nos illud iter novum novumque
Mirati ſumus inſcii ſodales
Quid ſub mœnibus Amſtelis lateret,
Et quali cuperet perire forma:
Dum te callidus ille & unus unam
Ridentem videt, & videt loquentem,
Et fulgentibus imminens ocellis
Haurit tot Veneres, Cupidineſque:
Dum tu ſaucia molliore flamma
Docto pendula murmurantis ore
Omnes pectore combibis ſuſurros.
Index, cordis & artifex amoris
Tantum ſi placuit loquela, crede,
Blandi plus ſapit oſculum mariti.

III.

Ad te profit vertiſſe preces
O fælices experta thoros
Non ignoto ſanguine mater!

Nam

Nam te virgo respicit unam,
Et tibi fletus imputat istos.
Miseram, miseram solare parens
Dic non tales instare metus.
Tibi commendat sua vota gener,
Dominamque velis placare rogat.
Te namque suis facilem sensit
Persæpè malis: tu sueta viro
Flectere duræ sensa puellæ.
Noras etenim quam virtutum
Fœcunda foret Potteia domus:
Quibus ingenium moribus olim
Pia firmarit cura parentum,
Ne securos minus auderet
Sæclum contra tollere vultus,
Quo non ullum metuente nefas
Heu virtuti jam rarus honos.
At nec desunt exempla tamen
Judicis æqui, nam vera boni
Bona respectant. Vos non tantum
Res ampla domi divite censu,
(Qui nunc mos est vendere tædas,
Postquam cœpit nomen amoris,
Excors vitium mentis avaræ)
Nec maturi gravitas multum
Sobria vultus, quanquam merces
Hæc virgineæ debita formæ,
Quantum juvit sincera fides
Rigidique capax pectus honesti,
Sanctæque animi provida cura,

Et doctrinis ſatiata quies.
Non hic noſtræ more juventæ
It furtivas quærere noctes:
Non alterius fœdera turbat:
In pacta ſibi gaudia venit.
Quare ſolio propiore ſedens
Cum pulvinar geniale premes,
Summaque figes oſcula natæ,
Age dic Mariæ mater in aurum:
Jam cedendum de parte thori,
Contrahe paulum juvenile latus,
Et ſic ſpatio breviore jace;
Debes genero nea nata locum,

IIII.

Candida tranſmiſſo Phœbe rutilantis Olympi
Culmine præcipitat bigas, cæloque cadenti
Invehitur centum ſtellæ, centum aurea circum
Sidera, languidulis quæ luminibus ſcintillant,
Quæ veſtros procul ex alto ſpeculantur amores,
Et prius æthereo nolunt decedere curſu,
Quam vos compoſitos ſupremo nocte relinquant
Sed nunc ite procul gens imperioſa puellæ,
Et pueri procul ite, vacet nova nupta marito.
Claude marite fores, & dum deponis amictus,
Baſiolis ſolare moras: tua tempora currunt.
Fœlix, quæ patrios curvo de littore fundis
Oceano regina ſinus, urbs totius orbis
Hoſpita, quam donis Oriens ſupremus adorat:
Non quia mille tuæ volitant ſuper æquora puppes,

Non

Non quia cærulea frontem redimita tiara
Mittit odoriferas tibi decolor India meſſes:
Sed quia non alibi formarum tanta ſuperbit
Gloria; vincit enim prælato corpore, vincit,
Oppida tu quantum tantum Wachmanna puellas.
Fœlix illa etiam, juga quam ſurgentia denſis
Collibus & virides occultant undique ſilvæ,
Libertas tua ſancta domus, non mœnibus ullis,
Sed genio defenſa loci, ubi currus, & arma
Sunt ducis, & quo non audita ſub axe trophæa?
Hic etenim legum ſtudiis operata juventus
In patriæ decus, & promiſſos creſcit honores.
Hic Potteius erat, ſimiles cum degeret inter
Lætus amicitias, alternaque tempora vitæ,
Nunc illi veneranda domus, caſtique penates,
Nunc immite forum molli diſponeret ævo:
Quem roſea toties in virgine ſuſpirantem
Deprendit tacitis nox evigilata tenebris.
At tu, quam circum ſinuoſo flumine ludunt
Scaldis, & illabens piſcoſas, Moſa paludes,
Infœlix, fœlix ne magis, placidiſſima tellus,
Belgarum princeps, dum pax & jura manebant,
Unde viro domus & cunabula prima puellæ?
Sed tamen hæc olim. Pietatem cedere poſtquam
Juſſit Iber, tituluſque fugæ fuit inclita virtus,
Omnes, nec querimur, fecit fortuna Batavos.

V.

Age jam beate conjux,
Tibi Gratiæ, Venuſque,

Tibi nam favent Amores)
Simul in tuum cubile
Rapido ferere saltu,
Simul illa vela pandes
Tua sub quibus quiescit,
Cave frigus æstuantem
Grave vulneret puellam.
Adhibe tuos lepores,
Tenerúmque circumactæ
Rape basium puellæ.
Resonent labella contra
Resonantibus labellis.
Neque tu genas omitte
Juvenile purpurantes.
Quid enim genas omittas,
Modo quas madere flet u
Tuus ille jussit ignis?
Neque flammeos ocellos.
Quid enim reos amoris
Patiare nunc inultos?
Niveos sed in lacertos
Et eburna colla fusus
Pete suaviis vicissim
Oculos, genas, & ora,
Bibat igneos odores,
Bibat halitus pudicos,
Et in ore jam natantem
Animam trahat medullis.
Sed & ipsa mox fideli
Tepefacta cordis æstro

Referat

Referat ſubinde longas
Tibi baſiationes:
Sed & oraſſem hiulcis
Tibi vellicet labellis,
Imitata lene murmur
Ab amantibus columbis.
Sed & inter oſculandum
Supereſt, marite, quiddam
Meliuſque dulciuſque.
Digiti ſciunt procaces
Quid agant apud papillas,
Ubi lacteas ſorores
Spatio brevi diremptas
Premit horridum cacumen
Referens roſæ pudorem.
Scit & illa quid paretur.
Gemina repente palma
Geminum prehendit uber.
Negat ecce pernegatque,
Neget uſque pernegetque:
Ita nuptiale fœdus
Perhibet: licet negare,
Licet & negata ferre.

V I.

Neſcio quis ſubito ſonus auribus
Accidit: an fælix crepuit thorus?
Agnoſco tua ſacrã potens Amor,
Orgiaque & thyaſos Amathuntidis.
En etiam noctem ſine lumine,

Qua-

Quales ad tenebras olim Venus
In complexibus hæsit Adonidis.
O placidæ pacis certamina!
Tu quoque furtivis ô lectule
Conscie delitiis, & jurgia,
Totque voluptatis præludia!
Fœlix purpureis quæ vos tulit
Aurea curriculis pernicior
Hora boni veniens gremio Jovis.
At tu, tanta manent quem gaudia,
Ne metuas audire ferus, ferus.
Impacata licet de sæviat
Oraque formosis notet unguibus,
In tua jura venis; casti pete
Corporis exuvias tibi nam tibi
Devictus spolium debet pudor.
Altera procedent mox tempora,
Suave micans tremulo cum lumine
Vitibi pro tali grates aget,
Et vinci voluisse fatebitur.
Interea flos dulcis, & abdita
Virginitas lustris bene quattuor,
Heu subito moribunda, *vale, vale.*

VII.

Jam fatiscentes amore
Conjuges beatuli,
Dum pavent artus anhelis
Languidi singultibus,
Et fragrans odore casto

Dulce ſudat lectulus,
Sic amate, ſic jacete.
Nox, marite, nox tibi
Invidet, poſſis amantem
Ne videre conjugem,
Quæ ſtupens ſe neſcit, ipſa,
Zonulæque conſcia
Inter amplexus ſolutæ
Pallidum quiddam rubens,
Molle ſecretum fatetur:
Jam recomponit latus,
Jam caput pulchrum ſupinat,
Imminens ſemper tibi,
Teque ſemper irretortis
Vulnerans obtutibns.
Talis in gemmante prato
Quæ ſerenum fulgurat,
Luſus aureæ parentis
Et Cupidinum roſa,
Educata rore noctis
Oſculiſque Naïadum.
Solis ad comas tepentes
Ipſa defluit comis,
Inque luteum papaver,
Inque violas funditur:
Quantus ignis in medullis!
Quantus ardor vocibus!
Quanta baſiis voluptas!
At quis ore blandulo,
Uduliſque te labellis,

Bella,

Bella, jussit ludere!
O puella, nunc & uxor,
Sive Potteium finis
Lacteo pendere collo,
Seu virili subditum
Læve cervici jubetur
Brachium livescere,
Seu tuus dulcem maritum
Dulcis expectat sinus,
Sive mutuis placebit
Implicari vinculis,
Sicut indivulsa lentæ
Vitis hæret populo,
Quisquis est, qi vos juvabit
Nexus, astringat fidem,
Et vicissim conjugales
Pectus expiret faces,
Donec halitus remissos
Gratus invadat sopor.

VIII.

Candidis charum juvenem lacertis
Comprimens dormi, nova nupta, dormi:
Dumq; respiras placidam quietem
Pars tibi curæ melior diurnæ
Cœrulis somni revehatur alis.
Jamque marcenti tibi cor resultet
Gaudio primam metuente noctem:
Jamque luctantem gremio repellas,
Dum pudor sævus sua quærit arma,

Nec

Nec satis totum patitur maritum.
Torqueant illum simili sub umbra
Vana non fictæ simulachra flammæ.
Nunc in amplexus ruat, & labellis
Ponte in alternos patulis hiatus
Osculi captet liquidi saporem.
Nunc manu castos fugientis artus
Prendat & dulci metuat rapinæ.
Inter has curas, animique lusus
Transeat majus spatium diei.
Ille nec cristas ubi tollet ales
Nuntio cantu teneri soporis
Otium rumpat, mediusve Titan
Turbet occlusos radiis ocellos.
Nec prius tergat geminas puella
Luminum gemmas, tunicamq; poscat,
Vera quam summæ cadet hora lucis
Mixta fulgori dubio tenebras,
Cum jugo Phœbus petit exoluto
Barbaras Gades, nitidumque vesper
Ordinat Lunæ redeuntis agmen.
Nec tamen surgat, nisi discat ante,
Visa nudatis melior papillis,
Quid virum monstret, faciatque matrem.

IN

IN NATALEM PATRIS.

NOn ego quantumvis nimia prope mole laborum
Impedior veteres ſemel interviſere Muſas,
Dulcibus & ſtudiis viridem exercere juventam,
Luce tua ſileam, genitor; concedite leges,
Prima piæ ſoboli lex eſt placuiſſe parenti.
At te nunc variis jactatum ſæpe procellis,
Sortis & omnigenæ memorem, declivior ætas
Accipit, atque actis utinam fælicior annis.
En erit ut quondam poſt tot ſua crimina, canos
Erubeat fortuna tuos? quanquam horrida mentem
Cura premit, placidamq; negat commiſſa quietem
Aula ducis, tamen hæc mecum ſolatia ſume,
Quæ te ſola juvant luſtris plus quattuor, ex quo
Formaſti teneras primo mihi tempore voces,
Errorem diſcentis amans; tum protinus artes
Ingenuas, quantum hæc ætas permiſit & ultra,
Exhauſi duce te. Teſtor mea gaudia, famam,
Et quas nunc etiam non poſſum odiſſe Camænas,
Septenaſque artes, & ſidera teſtor Arati,
Faſque ſacrum, totaq; Deam tellure fugatam,
Si quid in orbe meum legitur, patris omnia, patris
Lector habes: didici quo ſolo audere magiſtro,
Et veniam ſperare tuam. Quam ſpernere longas
Dulce dapes, mentemq;, animi nõ mergere Baccho,

Nec

Nec juvenum noviſſe choros, ſed ſæpè tenebras
Furari ſtudiis, & nocte extendere vitam
Monſtravit genitor, dum corda inconſcia culpæ
Avertit ſæclo, laudiſque inflammat amore.
Plus hoc (ipſa dabit veniam natura fatenti)
Quam genuiſſe fuit nam vitam & luminis auras
Non ſemel ille dedit, per quem ſupereſſe ſepulchro
Poſſumus, & noſtri memores ſperare nepotes.
O ſaltem liceat, ſi non perſolvere grates,
(Quod divinę opis eſt, hominum inſuperabile votis)
Certe aliquos fructus & dona rependere tantis
Muneribus! Satis ergo pater, ſatis ergo voluptas
Illa tibi, cum vel Lybici trans vaſta profundi
Æquora, mecũ una Batavûm ad miracula Gangem
Proſpicis attonitum ſepteno ſe ore ferentem
Taprobanem contra, (totus fugit undique mœſto
Puppe Tagi populus, veniunt ad fœdera reges)
Vel cum res patriæ: patriæq; extrema tuentum
Mauritium & multum ſudantem in littore Flandro
Me ſcriptore videt: nec vis Cornelia fallit,
Nec Criſpi te ſenſa brevis: juvat addere leges
Militiamque fori. Noſtras tua dextera palmas
Computat, & ſimiles jubet exorare triumphos.
Accipe & hæc quæ parva fero; quæ vota dicabo?
Quaſve preces? redeat gaudenti ſæpius iſte
Lucifer, & trina videat te prole beatum,
Conjugioque hilarem. Me me tibi fata reſervent
Dum placeo, & patriæ poſſum prodeſſe mereri;
Sic matri ſe nata probet, moreſque pudicos
Accipiat: ſic ille puer præſtantior annis

In

In tua se moveat vestigia, nec mihi cedat,
Acta sed à tergo longe fraterna relinquat.
Audi hæc Omnipotens, puramq; ante omnia mentē.
Et cœli promitte fores, tum cætera firma.

IN
JOHANNIS MEURSII
DE LUXU ROM.
LIBRUM.

QUa fleri fortunæ nimius favor, impete quanto
In se victa suo pondere, magna ruant,
Invida fatorum majora exempla potestas
Queis dare non potuit, dat tibi charta brevis.
Quid priùs hic mirer? quo gens tua, Romule, venit
A Tatii stipula, fictilibusque Numæ?
Suspensi dubia fluitant in veste Quirites:
Frangit odoratas Martia turba comas.
Luxus opes sequitur, civilis buccina belli,
Inque dies gliscens in sua damna furor.
Quid referam, ne non turbent patrimonia mensæ,
Quæsitas hominum non sine morte dapes:
Servorum totas acies, privataque regna:
Crystallum, gemmas, citrea, marmor, ebur:
Intra tecta lacus, & supra culmina silvas,
Inclusumque domo quicquid ubique fuit?

Fer-

Ferrea Romanus tunc ſæcula vixit in auro,
Non jam Saturni, nec Jovis ille memor.
Non erat hic populus cui priſca Palilia ſæpè
Quærendos dederant inter aratra duces.
Hæres Pergamidûm, ſector Carthaginis hic eſt,
Et cui vectigal ſola rapina fuit.
Quid miramur opes, magnum quas moribus iſtis
Perdere flagitium, quærere majus erat?
Orbis enim, non urbis erant; quid denique tantùm
Si dives mundo paupere Roma fuit?
Illa quidem dives: ſed qui comprendere Romam
Ingenio potuit, ditior ille mihi.
Quædam corporibus tribuit Deus, omnia menti:
Hac homines facti conditione ſumus.
Si meus in Româ totum dat Meurſius orbem,
Non orbem, non tè maxima Roma velim.

IN
JUSTI LIPSII
OBITUM.

SIquid adhuc hominis civilia bella relinquunt,
Et vinci officiis hoſtis ab hoſte poteſt,
Orantem Batavum tandem, Brabante, videbis
Ille ferox, ſupplex incipit eſſe tuus,
Nec ſunt improba vota: brevis mora poſcitur armis.

Quæ tutum veſtro limite ſiſtat iter.
Sic olim laceri venturus ad Hectoris artus,
Dorica non timuit caſtra ſubire pater.
Pone metum, ferrumq; ſimul: veniemus inermes:
Et tantum lachrymas agmina noſtra ferent.
Servat ubi doctos cineres, monimentaque Lipſi
Viventis nuper notus ab ore locus,
Flebimus immixti pariter, ſolumque manebit
Certamen tangat quos magis iſte dolor.
Hicne jaces Lipſi? clamabimus hoc tibi præſtat
Patria, tot chartis vivere juſſa tuis?
At Rheni in ripa vacuus morbiſque maliſque
Plenus honore, tuus denique totus eras.
Cur male ſperaſti de libertate Batavâ?
Cur tibi vilis, opus, noſtra juventa, tuum?
Debita Lugduno ſaltem fuit iſta ſepulchri
Gloria: non alibi ſanctior umbra foret.
Quo mihi centenis ſplendentia templa trophæis,
Hoc de me ſpolium ſi meus hoſtis habet?
At vos, ſi gravius quid dictum, ignoſcite Belgæ.
Non ſunt hæc odii verba, ſed invidiæ.

IN

IN FEVDA
CORN. NEOSTADII.

GLoria Gymnaſii quondam, nunc magna ſena-
tus
Portio, conſpicuum nomen utraque togâ,
Jura paludicolæ domino maris edita donas,
Oberti veteres auſus inire vias.
Ille dat Inſubribus, tu noſtris Feuda Batavis,
Indelibati grande laboris opus;
Tu ſucceſſorum morientia jura, diuque
Oblitas leges, priſcáque pacta refers:
In quorum exitium jamdudum proficit ætas.
Res patriæ quantas parva papyrus habet!
Te mores voluere ducem: tibi credidit uſus,
Et ſolita hæc jurat, quæ placuere tibi.
Hæc docuiſſe puto Themis, aut didiciſſe fatetur.
Nam prius oraclis nil habet illa tuis.
Aſtrææ genius, ſæcli lux hujus, & acti,
Juris honos, patriæ dextera, norma fori,
Perge Neoſtadi tabulas proſcribere, rectè
De plano poſſint omnibus unde legi.
Quod Romæ bis quinque viri, Spartæq; Lycurgus,
Cecropiiſque Solon, tu potes eſſe tuis.
Vive diu tantum, nec ſit tibi viſere manes:
Tu Batavis Minos & Rhadamanthus eris.

IN OBSERVATIONES FEVDALES CORNELII NEOSTADII.

REs eſt laboris plena, nutantis levi
Momenta cauſa, pendulas inter vices,
Trepidæque lancis ſemper alternans onus
Libræ ſubacto ponderare examine,
Æquata dubiis jura partitum reis.
Et hoc, & hoc plus tu Neoſtadi facis,
Priſcos Batavæ qui labores curiæ
Inſperſaque actis judicum ſuffragia
Cenſore libro promis, & cauſæ ſtatum,
Summamque litis, atque controverſiæ
Apices ſagaci deprehendis ſpiritu.
Res judicatæ plurimùm debent tibi,
Quas erogati reſtitutor ſæculi
Diſcis, doceſque: latiùs quanquam tuum
Patet tribunal, ſepta nec novit forum.
Et auctor ille veritatis calculus
Toto vagatur orbis auditorio,
Archiva noſtra pnblico juſſus dare,
Sententiamque ferre de ſententiis.

HUGONIS GROTII

FARRAGINIS

LIBER TERTIUS.

PARAGINIS

LIBER TERTIUS.

ANAPÆSTI
IN MORTEM BEZÆ.

O Quæ viridis margine ripæ
Puri propter ſtagna Lemanni
Urbs parva ſedes, parva, ſed altis
Ingens animis, fœlix nuper
Vel ad invidiam totius orbis
Dum Beza fuit, quis te tanto
Decore orbatam mœrere vetet?
Non trux hoſtis, ſolitus quanquàm
Tacitos etiam ferro vultus
Flammaque ſequi, lachrymas auſit
Damnare tuas.
Nulla quieſcant lumina fletus:
Imbre genarum lacus exundet,
Nec jam fluvio memor antiquam
Servare fidem ſibi turbatum
Miſceat amnem, Rhodanuſque celer
Pelago ſalſas inferat undas.
Humida tundant ora lacerti:
Crebro manuum verbere diſcant,
Pectora ſævum ferre dolorem.
Gemitu vago mugiat aër,
Cui nimboſum rigidus ſubdit
Jura cacumen, gelidiſque ſonans
Alpibus Echo nubes inter

Canaſque nives, tantum planctus,
Tantùm Bezæ nomine reddat,
Nos intereà, quos tam longè
Situs axis habet, tetigit veſter
Dolor, Allobroges: quantum cui non
Funus licet hoc dixiſſe ſuum?
Bezam Batavi, gens nota ſalo,
Notaque bello, Bezam remis,
Ipſis Bezam planginus armis;
Totidem fletus, totidem gemitus
Noſtris veſtros cumulare juvat:
Vento triſtes reddente ſonos
Fremit Arctoum littus & ingens
Regia Nereî.
Luge Bezam ſacrata cohors,
Quæ mortales inter plus quàm,
Mortale ſapis: templaque ſoli
Poſſeſſa deo, quibus effigies
Verba magiſtri. jacet illa jacet,
Cujus peragi publica ſacris
Vota Camænis audiet ætas
Ultima, & orbi quæ ventura eſt
Suprema dies. At tu juſtas
Agnoſce dei vindicis iras:
Gens flagitiis immerſa tuis.
Non in pœnas jam ſufficiunt
Bàrbarus hoſtis, quæque agnatum
Sitiens acies bina cruorem
Patriam telis utriſque petit,
Non jam morbi ſatis in vulgus

Vili

Vili tantum ſtrage furentes:
Non ſubductis frugibus anni
Fecere famem: nova tela placent?
Tota Bezæ morte ferimur.
Quis ſollicitis poſthac populis
Reſponſa dabit? cujus verum
Fortius unquam charta loquetur?
Quod cor virtus ſincera leget,
Quod nunc pietas dabit exemplum,
Specimenque ſui? cujus vitæ
Contra ſeclum ſigna ſequemur?
Ne pugnacis rabies animi
Sibi doctrinæ poſcat honorem;
Ne quæſiti nubila vultus
Gravitas morum caſta vocentur:
Mala ne ſpeciem mentita boni
Cum divinis humana trahant.
Cecidit toti flebilis orbi,
Qui modò vivens, in ſe totum
Traxerat orbem. Silet os illud,
Quo ſperaſti Gallia ſolo
Te poſſe loqui.
Cecidit, cecidit dux ſæpè ducum,
Rector populi, cujus in omnes
Magna poteſtas ſine faſce fuit:
Cujus ſapiens labor antiquos
Reſpicit annos, virtus noſtros,
Fama ſequentes.
At tu ſalve, ſummumque vale
Venerande parens: vis nos certè,

Vis insano parcere luctu:
Imperiosum sed te contra est
Desiderium pertriste tui,
Solumque hoc est quod fas nobis
Esse putemus cum Beza vetet.
Quicquid in omni nimium luctu est
Tibi Beza parum est, unusque modus
Nullum lachrymis noviſſe modum.
Gaudet semet satiare dolor,
Nec solamen potuisse pati.
Quanquam longi fessa laboris
Prope ab humani metis spatii,
Qua vira stetit, quanquam cernens
Ut melioris reliquum sæcli
Te posteritas tua mirata est:
Et vix olim quanta sepulto
Contigit ulli, non in mortem
Dilata tuam gloria, verum
Tibi te monstrans comes annorum
Fida cucurrit: tamen heu nobis
Immaturo funere raptus
Beza videris! quid enim mirum est
Hunc, quem quondam sua cum legeret
Nunquam juvenem credidit ætas,
Etiam nobis nunquam credi
Potuisse senem?

IN EVSEBIUM
JOSEPHI SCALIGERI.

QUod per ſcripta tuos putamus annos,
Et quod nunc ubi te ſenem repente,
Qualem credidimus diu, videmus,
Nondum priſtina penſa depreeatus,
Libro, Scaliger, explicas in uno
Unquam quod fuit, & fuit quod uſquam,
Hoc pro munere quid tibi precemur,
Ingens gloria maximi parentis,
Quem Verona ſuum videns nepotem
Juſtas ſideribus remittit iras?
Unum difficile eſt, tibi quod opto,
Tandem tempora digna conſequaris,
Et gratos homines, piumque ſæclum.
Quod ni flagitiis fugata noſtris
Totum gratia demigraſſet orbem,
Cantarent populi, quibus vetuſtos
Verus digeris ordinator annos,
Laudes quiſque ſua tuas loquela,
Sed quam diſcere te docente debent.
Te gens totius inquilina mundi
Judæi colerent, tibi ſacrata
Lævis carmina ſcriberent figuris:
Nino te pariter Semiramique
Præferret Babylon: Pharos ſuperbas
De te Pyramidas loqui juberet

Non

Non ignobiliùm notis ferarum:
Te cultor Libani, celerque Medus,
Te tortis niger Æthiops capillis
Æternum celebraret, & beatæ
Frugis messor Arabs: magique Persæ
Cum Mithra tua facta compararent.
Nam quid cum Latio loquar Pelasgos,
Quos jam demeritus puer fuisti?
Sed quamvis fidei bonæ tot ista
Fiant nomina, debitorque mundus
Quærat solvere quicquid imputasti,
Nunquam non remanebit obligatus;
Tantùm posteritas nec ulla reddet,
Quin acceperit amplius vetustas.

AD
SCALIGERUM.

PRoles vera ducum, & ducibus majoris Juli,
Digne cui haud tantum Scoppius invideat:
Nobile sed quicquid, sed doctum quicquid ubique est,
Doctrinæ princeps, nobilitatis honos:
Téne hi qui Latiæ vendunt mendacia turbæ
Fraudatum tantæ gentis honore volunt?
Aut potiùs tanto fraudatam nomine gentem,
Per quod nobilior nobilitate sua est?
Nam poteras fieri magni tu sanguinis auctor,
Ni tibi per tantos stemma veniret avos!
Teque sibi proavum, quem nunc habuere nepotem,
Ma-

Maſtini cupiant, belligeriqúe Canes:
Et quocunque Atheſis quondam rectore ſuperbit,
Conditaque Brenni mœnia militibus.
Nunc aliter viſum ſuperis, illuſtris ut in te
Gens per tota decem ſæcula proficeret.
Non puduit claros poſt ſævo Marte tyrannos
Edere divinum Cæſaris ingenium:
Nec ſtetit hac fini, nec ſpes fuit ultima Cæſar;
Quin vires iterum eſt auſa novare ſuas.
Poſt te fœcundos ſed deſiit illa labores:
Ut quo jam majus gignere nil poterat.

BONO NIHIL MALI.

EXilia, morbos, damna, pauperiem, probrum
Mala quiſquis arbitratur, ipſe eſt non bonus.
Namque illa facili turbine obveniunt foris,
Aut ſortis inconſtantia, aut motu levi
Popularis aura, nemo quæ ſapiens timet,
Cum nec timore, nec dolore digna ſint.
Mala quiſquis egit, patitur: artificem in ſuum
Iſthæc redundant, quaque naſcuntur manent.
Sceleſtus accuſator inſonti reo
Multò eſt miſerior, carnifex intus ſuus
Quem talionis lege damnat conſcium,

Fu-

Furiæque torquent. Quicquid agites, hoc time,
Nec aude in alios ipse quod nolis pati.
Culpam sequetur pœna; culpa ipsa est satis
Pœnæ, superque Séne qui suffragia
Prius empta vendunt, serviuntque opibus suis
Putent beatos? sunt mali; hoc quantum est malum!
Sunt alia forte, quæ putes incommoda:
Hæc fugere, si qua liceat, haud dissuadeo,
Dum prima maneat cura, sapienter, pie,
Probéque vitæ currere hoc stadium brevis.
Quin illa ab aliis quæ venire dicimus,
Plerunque nostræ potius insipientiæ
Sunt imputanda. Rarus est amor sui,
Cum nemo amantem se sui non æstimet
Et æstimetur. Regna non regnum modo,
Provinciæque proximam provinciam
Bello lacessunt, vir virum, domus domum.
Homo ipse summus semper est hostis sibi.
Quid, stulte, vitas castra, mare, turbas, forum?
Nescis, ubi omnis summa sit periculi:
Si vis tibi cavere, te primùm cave.

IN

IN NUPTIAS
JOHANNNIS MILANDRI,
Domini de Poederoye,
ET
MARIÆ HOHENLOIÆ.

SIderei vultus & candida virginis ora,
Mille petita procis, mille negata procis:
Luminaque Eöis æquale nitentia gemmis,
Et quicquid Mariæ dulce Milander amat.
Dum ſtupet ad veſtræ populus miracula formæ,
Votaque, ſed meritis inferiora, facit.
Gratulor ipſe meo, decus hoc quod contigit ævo.
Non eſt quod placeant ſæcula priſca ſibi.
Hanc benè ſi Phrygia ſpectaſſet paſtor in Ida,
Juſſiſſet victas tres ſimul ire Deas.
Quin poſſes Paridi, poſſes ignoſcere Trojæ,
Talem Ledæus ſi genuiſſet olor.
Hanc ſi vidiſſet male diſſimulantes Achilles,
Nunc etiam virgo Deidamia fores.
Hæc Tyriam Lybico fundaſſet littore gentem,
Roma potens Teucros non numeraret avos.
Gratulor & ſponſo: quid enim fælicius illo,

Cui ſe

Cujus in amplexus tam bona forma venit?
Ille, diu magni dum Principis arma ſecutus
Commodat imperiis conſiliiſque fidem,
Longa quidem caſtris metitur, heriſque triumphis
Tempora, continuo factus honore ſenex:
Sed nunc en niveis iterum juveneſcit in ulnis,
Præteritoſque dies non putat iſſe ſibi.
Gemmantes oculi, roſeiſque impreſſa labellis
Oſcula quid poſſunt, virgineique ſinus?
A domina recipit, domino quos imputat annos:
Nunc fruitur vitâ, qua priùs uſus erat.

IN MORTEM JACOBI ARMINII.

SCrutator altæ veritatis Armini,
Sublime pectus, anima fœta doctrinæ,
Solertiæque perſpicacis exemplum,
Tu nunc ademptus ſæculo tenebroſo
Et ſemicæcæ palpitantium turbæ
Claros beatæ lucis incolis campos:
Et, ſive multùm debuit tibi verum,
Seu parte in aliqua, more gentis humanæ,
Et neſcientis multa ſorte naturæ,
Te cepit error (judicent, quibus ſacri
Juris poteſtas, viſque tanta noſcendi)
Certè ſuperni codicis frequens lector,

In

In verba certè non adactus humana
Labi timentis, nec rebellis in seſe
Fers teſte cœlo conſcientiæ laudem.
Ibi ſatur quietè, gaudii plenus,
Quæſitæ quondam diſcis, & vides, quanta
Involvat homines inſcientiæ nubes:
Quàm nîl ſit illud, quod vocamus hic ſcire,
Quo nos ſuperbi tollimus caput cælo,
Calcamus alios, invicemque calcamur.
Hinc tanta bella ſæviunt magiſtrorum,
Hinc odia plebis: interim fugit longè,
Nec ſe videndam dimicantibus præbet
Amica ſanctæ ſancta Veritas Pacis.
Unde iſta rabies & libido pugnandi
Inſedit animos? cur placet Deus belli
Materia? quo tot ſtudia, tot novæ partes?
An hoſtis atra nocte peſtilens Chriſti
Inſperſit agro ſemen? an furor pugnax
Mortalitatis, ingeniique corrupti
Alimenta quævis ſumit, & Dei cauſæ
Permiſcet hominem? curioſus an mundus
Dum nil latere patitur, & ſequi gaudet
Sciri negata, jure ſentit hanc pœnam?
Ut illa quondam, dum viam parat cœlo,
Structrix ſuperbæ molis inſolens turba
In mille linguas abiit, atque aberranti
Sermone priſcum vocis exuit fœdus.
Heu quid paramus? lectus orbe de toto
Grex ille parvus lancinamur heu fœdè
Iterumque & iterum, ſcindimurq; diſcordes,

Ridente Turcâ, nec dolente Judæo.
Fælix remota factionibus vulgi
Religio ſimplex, arte non laborata:
Quæ morte Chriſti certa dilui culpas,
Hic ſpem, fidemque ponit, & dari credit
Gratis ſalutem, promerentibus pœnam:
Sanctique amore lene munus exercens
Non curat altum ſapere, nec nimis quærit,
An lege certa veniat omne venturum:
Exoris alorum quomodo malum nolit,
Velitq; Rector: ſumma quatenus cauſa
Potente nutu velle temperet noſtrum.
Fælix & ille, quiſquis ambitu liber,
Nec vana captans lucra, nec leves plauſus,
Cæleſtiores excitatus ad curas
In aſtra tendit, & Deum ſtudet noſſe,
Qua ſe ipſe pandit, ambulatque ſuſpenſis
Periculoſas greſſibus per ambages,
Non mentientis fila perſequens libri:
Cui charitate temperata libertas
Certat manere diſſidentibus concors:
Piæque purus æquitatis affectus
Damnatus aliis, ipſe nimium damnat:
Modeſtiæque limitem premens, donat
Nunc verba vero, nunc ſilentium paci.
Hæc ſæpè populo teſte, ſæpè privatim,
Hæc ipſa fato jam propinquus, Armini,
Adhuc monebas, cum laboribus vitæ,
Longis fatiſcens, ſæculique pertæſus
Faſtidioſi, pertinacis, ingrati,

Indi-

Indigniore parte fractus, & languens,
Meliore sospes, illa millibus multis
Monstrata per te regna totus arderes.
Et nunc paterno sidus additum templo
Deum precaris, det gregi suo lucem
Hic quanta satis est, hac det esse contentum:
Det non loquentes sua reperta doctores:
Det consonantes semper omnium linguas,
Aut corda saltem: præpotente vi flammæ
Caliginosas litium fulget sordes:
Ut spiret unum tota civitas Christi,
Vitamque terris approbet, fidem cælo.

IN PASCHA

ANNO CIↃIↃCXII.

NATALEM

TRICESIMUM.

CHriste tui quondam testis de morte triumphi,
In lucem reduci quæ tibi prima fuit,
Hæc quoque nascentem me tot post sæcula vidit
Sancta piis, semper, bis mihi sancta dies:
Scilicet ut nequeam, geminato munere, donec
Sum memor ipse mei, non memor esse tui.
Olim, quindecimum cum sol mihi conderet annū,
Ostendit mihi ver Gallia, vere meo.
Contigimus dextram, qua nulla potentior armis,

Quæ quòd regnabat debuit ipſa ſibi.
Nunc bis quindecimum luces mihi noctibus æquans
Phryxeæ Phæbus vellera luſtrat ovis:
Nataliſque meus me ditibus aſpicit arvis,
Quæ Tameſis puro vitreus amne rigat,
Vidimus hic illum, qui regno maximus, unus
Eſt regum regno celſior ipſe ſuo:
Qui poſtquàm terris datus eſt, ſapientia vera
Privatum poſthac ſe decus eſſe negat.
Hactenùs iſta; latet ſors indeprenſa futuri:
Scit, qui ſollicitum me vetat eſſe, Deus.
Duc Genitor me magne: ſequar quocunq; vocabor,
Seu tu læta mihi, ſeu mihi dura paras.
Siſtis in hac vita? maneo, parteſque tuebor
Quas dederis; revocas optime? promptus eo.
Poſt reges viſos da regum cernere regem,
Natalemque mihi, ſed ſine nocte, diem.

APOLOGUS.

CUm vis aperta non opinaret ſatis
In oves avito Marte graſſantes lupos,
Tum fortè ſenior unus illorum gregis,
Cui dens edendo fractus, & niveum caput,
Dixiſſe fertur nobilem ſententiam:
Parùm profectò ſapimus, ô fratres lupi,
Votoque noſtro noſtra ſimplicitas obeſt.
Quod non dedêre bella, pax nobis dabit,
Sed ficta, ſed mentita: non ſemper leo

Se-

Sequendus & profeſſus irarum furor:
Sed eſt quod & docere nos vulpes queat.
Non hæc in odia nos leves cauſæ ferunt,
Patreſque noſtros. Scilicet ſtultum pecus,
Iners, inerme, villus & caulæ tegent:
Nos Martialis turba, bellipotens genus
Semper trememus frigidum noctis Jovem,
Nudi per alta teſqua palantes loca.
Tum paſcet illos gramen & centum novis
Nominibus herbæ, dira nos anget fames:
Cum ſit vel ipſo jure quod cunctis ſemel
Natura dixit, præda majoris minor.
Sed quid juvabit arma nos juſtiſſimis
Cepiſſe cauſis, ſi tegunt cuſtodiæ
Hoſtem, nec ullus patuit ad pugnam locus?
Fraude eſt agendum; fraude Trojani jacent,
Et plus peregit una nox annis decem.
Hæc ille fatus concionem flexerat.
Quanquam fuere qui negarent hæc ſatis
Pro decore gentis eſſe: majores ſuos
Virtute decertaſſe, non cautis dolis.
Ergo ad bidentes mittitur legatio,
Quam cum videret ſuſpicax ovium cohors,
Trepidare primò: ferro quin retrò pedem.
Sed conſpicatæ protinùs caduceum,
Audire ſtatuunt, quid lupi portant novi.
Hi ſic profantur: ſi tot armorum mala,
Inopia, clades, ſanguis, ante oculos forent,
Cum ſæpè præceps ira quàm ratio magis
Decreta dictat, viverent pacatius

Homines feræque, nec neceſſe nunc foret,
Ut nos, feroces ante, pacem & fœdera
Peteremus ultro. Sapere ſed primum fuit:
Primo negato pœnitere eſt proximum.
Per magna dedimus damna (quis verum neget?)
Tulimuſque non minora. Sed fideliter
Expectorare priſtinas injurias
Salubre victis, inclytum victoribus.
Sic quæ fuere bella, ſic tandem omnia
Habuere finem. lege non alia datur
Pax alma, magnum maximum munus poli:
Per quam vireſcunt arva, creſcunt mænia,
Enavigantur maria, pingueſcunt greges.
Si par tenet vos cura, ſi ſunt otia
Tranquilla cordi, coëat ut paci fides
Securitaſque robur accipiat ſuum,
Illos prius fugate, qui pacem fugant,
Sævi tubicines Martis oricrepos canes.
His eſſe vobis fœderatos dum placet,
Qui nos quiete publicam ingreſſos viam
Non perſciendis allatrant convitiis,
Serentur odia ſemper ex odiis nova.
Hæc prima belli cauſa, nunc pacis mora eſt.
Poſt hæc recedunt, pariter ut deliberent,
Oves quid è republica ſumma foret.
Sedere dicunt arietes ſententiam,
Nec mater agni vetula, nec vervex filet.
Vox una cunctis; maximum pacis bonum:
Suſpecta merito bella: nec mirum canes
Hoc nolle, rabies quos & infælicitas

Alie na paſcat : eſnrituros citu
Si ſedeat ovibus & lupis concordia.
Sed hoc nec æquum, nec Diis gratum, in metu
Vitam perenni trahere ſollicitas oves,
Et centies perire ne pereant Canes.
Fit pax latrantum pervetuſto fœderi
Renuntiatur, addito capital fore,
Ovile propter ſi videretur canis.
Sed infideles ſanguinarii lupi
Simul remotos eſſe cuſtodes vident,
Mox quibus nox pervigil, ſagax odor,
Et clamor index, per tenebras irruunt
Non ante viſi ſtabula. tum capiunt oves,
Captas trucidant, quamlibet fas & fidem
Fruſtra vocantes; una dum crudeliter
Laceratur artus, ô canes, inquit, canes,
O fida turba, melius hoc quanto fuit
Vos alere, partiriſque vobiſcum metus,
Quam hic ſub umbra credulæ pacis trahi!

In Lexicum vetus Germanicum ABRAHAMI MYLII.

O Patria ſalve lingua, quam ſuam fecit
Nec humilis unquàm, nec ſuperba Libertas,
Quam non ſubactis civibus dedit victor,
Nec adulteravit inquilina contages,
Sed caſta, ſed pudica, ſed tui juris,
Germana priſcæ fortitudinis proles:
Lingua imperare nata, quæ citos mentis
Senſus adæquas non minùs brevi voce:
Cujus retentâ parte, tot triumphatæ
Adhuc fatentur arma Teutonum gentes,
Franci potentis præda ditior Gallus,
Et Longobardo victus Inſuber mollis,
Gothiſque regnum nundinator Hiſpanus,
Legeſque paſſus Angloſaxonum Brito.
Quid ſemibelgas ſemibarbaros Tauros,
Perſaſque referam noſtra verba conantes?
Nec nos parentum gloria minor ſanguis,
Invicta turba Martis atque Neptuni,
Quibus magiſtris civis ater Auroræ
Canat Batavum voce tinnula carmen,
Dum ſuavè olentes carpit impiger meſſes.
Nunc eruditum ſume Milii donum,
Arcana luſtrans qui tuæ vetuſtatis

Poſt

Post multa reddit sæcla desitos cultus:
Quales habebas, antequàm rudes Belgæ
Duro Camænas miscuere Mavorti.
Trucem parentum verba præferunt vitam,
Et bellicosum masculæ sonant voces.
His allocutus gentis inclitæ Patres,
Obductus ora crinibus, tuens torvum,
Pulsura dominos sumpsit arma Civilis.

IN BRONCHORSTII FEVDA.

NArratam lachrymis madere ripam,
Deplorant quibus axe devolutum
Aurigam temerarium sorores,
Olim Brennus atrox subegit armis,
Ausus limitibus novis Comatos
Alpes ulteriùs locare Gallos.
Senſit mox Latias Padus secures
Mundi portio parva servientis.
Postquam Romuleas fovere vires
Pertæsum Superos, & in minutas
Partes dissililt superba moles,
Hîc regnum posuit simulque nomen
Hirsuto ferus ore Langobardus,
Duri Martia Teutonis propago.

Accepti

Accepti domino jubente ritus,
Et Germanica jura pro Latinis
Ergo in prælia militum ducumque
Conjurata manus; donus & agri,
Acti non leve præmium laboris
Venturi pariter fuere pignus.
Hæc Bronchorstius, explicata paucis,
Virtutis rigidæ magistra jura,
Ut nostram docuit diu juventam
In sancta Batavæ domo Minerva,
Sic nunc dat populis videnda cunctis,
Famæ judicium nec erubescit.
Qui priscum legis anxius Solonem,
Et scriptas hominum cruore leges,
Et quæ mascula scita præstiterunt
Securos sine mœnibus Laconas,
Et bis quinque viris reperta quondam,
Sed bis sex tabulis notata verba,
Hæc si discere non perinde curas,
Mirator nimius prioris ævi,
Extorri vagus eruditione,
Quæris dulcia, profutura nescis.

PA-

PASCHA

ANNI CIↃIↃ CXIV.

qui natalis mihi XCXI.

ÆTerno ſoboles coæva Patri,
Humani generis piamen unum,
Quem certamine redditum cruento
Victorem necis horridæ ſalutat
Feſto carmine Chriſtiana plebes,
Ver pulchrum quoties refulget orbi,
Et noctis ſpatium diebus æquat
Nulla parte ſui minuta Phœbe:
Te ſupplex veneror, reuſque voti,
Poſt bis Paſchata quindecim peracta
Unum cum ſuper additum recepti,
Has pro thure preces ad aſtra mitto.
Da fractum veteres dolere culpas,
Da vitare novas ſagace cura.
Da de tramite lubrico juventæ
Egreſſum pede firmiore niti:
Da mentem ſolidam, virile pectus:
Sit pax conjugio: meam parentes
Laudent, me pietas juvet meorum.
Res detur nec inops, nec invidenda,
Olim qua placide fruatur in ſpes
Non magnas nimis educata proles
Unum te dominum profeſſa conſtet
Libertas patriæ; neceſſe fuſo
Nec ſit ſanguine jus ſuum tueri.
Da nobis ſacra pura, da magiſtros

Veri

Véri ſollicitos ſimulque pacis,
Concordem populum, pium ſenatum.
Quòd ſi noſtra manus tibi miniſtra
Ulla in parte placet, nihil recuſo:
Sed dum te valeam juvante clavum
Rectum per medios tenere fluctus:
Dum non ambitio leveſque plauſus,
Non fulvi ſitis inquies metalli,
Sed me pro patria ſalute cogat
Forti cura jugum ſubireque collo.
Solves emeritum, redemptor orbis,
Cum viſum tibi: tunc Pharo relicta,
Agni ſanguine tinctus innocentis,
Ibo vivere, gente cum piorum,
Sincera Azyma, Paſcha ſempiternum.

HUGONIS GROTII

EPIGRAMMATUM

LIBER PRIMUS.

IN IMAGINEM
Principis Henrici Naſſavii.

NAſſavium ſpecta juvenem, quem longa vetuſtas
Majorum ſanctis donat imaginibus:
Nam quid Naſſaviis ſpectat Germania majus?
Aut Coligniacis Gallia nobilius?
Gallia maternum, patrium Germania priſca
Suppeditat clarum nobilitate genus.
Belgica, quæ media eſt, juvenem miratur avitis
Laudibus Heroum degenerare nihil.
Sic ætatis adhuc in limine puberis audet
Pro patriâ Fratrem relligione ſequi.
Qui videt Henricum, ſub imagine frontis eadem
Maternum magno cum patre cernit avum.

In imagines equeſtres.

COrnipedem ut brevibus deceat compeſcere habenis,
Spumanti aut frænum laxius ore dare,
Et modo per campum curvo contendere gyro,
Et modo directis leniter ire viis:
Quis gladiis uſus,, quâ lancea parte minetur,
Vulnera quæ ſubito deſtinet igne globus:
Gelnius hæc pariter, quam Mavors ferreus ipſe,
Dicet in ære tibi tutius, & melius.

In imaginem Hagæ.

HAga ego, (fama tuas etenim mea contigit aures)
Qua non est toto lætior Orbe locus:
Me sacra prudentum celebrant suffragia Patrum,
Hesperias toties fortiter ulta minas:
Me lites dubiæ, venerandaque Jura Senatus,
Me gemini celebrat causidicina fori.
Mauritiique ducis sedes, cui machina Mundi
Ad famam sedes non satis ampla patet.
Omnia quæ ne me corrumpant fata merentur,
Novissent meritum si tamen illa sequi!
Nunc ego contemptrix superantis cætera Fati
Geiniacâ vivo perpetuata manu.

In imaginem Vanitatis.

OHominum amentes mentes, nec inaniũ inanes,
Quæ miseræ miserè dum pereunt, pereunt.

In imaginem equi capti in prælio ad Neoportam.

PArs ego Flandriaci non contẽnenda Triumphi,
Præda fui, fierem ne fugientis, equus.

In eadem numerale.

HUnc dedit Austriaco tellus Hispana creatrix,
Victoriique dedit Flandria Mauritio.

In

In Orationem Nicolai Kinſchotii.

CHara bono ſoboles non inficianda parenti
Ingenio certum teſtificata Patrem:
Quid tibi dicemus, duo qui miracula jungis,
Singula quæ poſſent exuperare fidem?
Dicis enim primo ſub limine puberis ævi,
Quæ poterant ipſos condecorare ſenes.
Talis erat Cicero, tua nunc juvenilibus annis
Quem nocturna terit, quemq; diurna manus:
Qui conjuncta togæ Demoſthenis arma virili
Cum caperet, primo tempore magnus erat.
Sed non Mauritii laudes ætate ſub iſta
Dixerat, hæc uni gloria parta tibi eſt.
Mira quidem res eſt Naturæ vincere leges:
Plus tantum meritâ laude beare ducem. (vens
Quis non attonitus legat hæc, ſtupeatq; revol-
Tam benè, tam juvenem dicere tam gravia?
Nam nec quid melius potuiſſet Principe dici,
Nec melius quiſquam dicere Kinſchotio.

AD PRÆSIDEM VEENHUSIUM.

PUlpita, Veenhuſi, Tragico quaſſata cothurno
Pluraq;, quæ tenuis ſacra papyrus habet,
Accipe, & heu meritos teſtantia Carmina luctus!

Conjugii cineres qua ſacrat Ara tui.
Ne facies oculos rurbaret prima legentes
Hanc habet extremo pagina mæſta loco.

AD PALUDANUM
de ejus Admirandis

THeſaurus Orbis, Totius compendium,
Arca univerſi, ſacra Naturæ penus,
Templumq; Mundi, Panos hîc ſacrarium eſt,
Cœli quod inſtar, unico penetralium
Claudit receſſu, quicquid aër parturit,
Edaxq; flamma nutrit, aut fœcundior
Vis circulantis obſtetricatur ſali.
Puerperæque fertilis Terræ labos.
Verum fatebor, ô Paludane, Iſidos
Magnæ ſacerdos magne Myſte, ſingulis
Mens victa hebeſcit; quod ſimul miracula
Sunt cuncta, cunctis majus hoc miraculum eſt.

In imaginem
GORLÆI.

GOrlæus hic eſtære ſculptus, æs cui,
Argentum & aurum, Roma quod vel Græcia
Signavit unqam gemmaque, & charus lapis
Olim vetuſtis deſtinatus annulis
Perennitatis gratiam debent ſuæ.
Nunc experitur, an metalla à ſæculis

Qui

Qui vindicata tempori noſtro dedit,
Ipſum futuris dent metalla ſæculis.

AD MYLANDRUM, pro Tragœdia.

INclyte, quo ſeſe domino Proderoia, Mylander
Jactat & Arquelios vix putat eſſe pares:
Conſcius arcani dum tu ſociuſque laborum
Non tremis invicti Principis arma ſequi;
Nos Tragico nova cura pedes vincire cothurno
Cepit, & ô utinam ſyrmate digna loqui.
Adami ſcelus infœlix, epulaſque rebelles,
Exiliumque ſacris ſcripſimus hauſta libris.
Hæc Grotii cape dona precor: ſed fronte ſerena,
Qualia magnanimi ſunt ducis ora tibi.

In adventum NICOLAI KINSCHOTII.

INter conſpicuos, Kinſchoti, prime ſodales
Gratulor ad patrium te rediiſſe Larem.
Gratulor incolumem quod te Germania miſit,
Et Batavo Rheni reddidit unda ſolo.
Eſt tamen, eſt unus ſuper hîc dolor: integra carpi
Gaudia fatorum turbidus ordo vetat.
Nam prius amiſſa (tulerant ſic vota ſororum)
Matre, peregrino triſtis ab orbe redis,
Sed reor, aut ratio vitæ, morumq; magiſtra,
Aut potuit luctum vincere longa dies.
Dicis & ipſe tibi: jam me præſente peribat,
Cumq; mori dicta eſt deſiit illa mori.

DE EPISTOLA
Scripta Jacobæ nomine.

LIterа Durdrechthum dominæ perarata Jacobæ
Venerat: hanc Patruo ſcripſerat illa ſuo.
Quàm citò perlatum Durdrechthi a mœnibus Hagam
Reſponſum Patrui triſte, Jacoba, legit!
Illas Nordovicum moderatrix dextra tabellas
Scripſerat: hæ Grotii ſunt juvenantis opus:
Has excuſàri ſatis eſt ex tempore luſas:
Illas ingenii tollit & artis honos:
Naſoniq; ſuo non par ſatis iſte Sabinus:
At quis ſe douſæ poſtulet eſſe parem?

AD HEINSIUM.

GOrdunis lux magna tuis, ô carmine poſthac,
Te quoq; cum ſuperes, non habiture parem,
Heinſiade, quem Syrma decet, quem juncta cothurno
Sceptra Poëtarum principe ſumpta manu: (no
Legimus Auriacum, Libertatemq; Batavam,
Hic ubi Mauritiam ſaucia poſcit opem.
Leginus & Mores, & amicum munus Jambos,
Hic ubi nulla meâ pagina laude vacat.
Gratia magna tibi eſt: alienæ munere famæ,
Lectoriſq; tui credulitate fruar.
Scilicet eſſe aliquid Grotium peregrina putabit
Tur-

Turba, nec ignoto jam licet esse mihi.
Sed qui tanta meæ leget hic præconia Musæ,
Quàm vereor, Musam ne legat ille meam.

In albo Heremitii.

ACcipe Heremiti deductum Carmen ab illo,
Partem aliquam Libri quem cupis esse tui.
Carmine cùm fœdus nobis sociale jungetur,
Certius haud potuit pignus habere fides.
Affectu pariles sumus: at tu carmine major:
Et meus hoc ipsò plus tibi debet amor.

De officio Advocati.

QUi sancta sumis arma civilis togæ,
Cui se reorum capita, fortunæ, decus
Tutanda credunt, nomini præsta fidem
Juris sacerdos ipse dic causam tibi,
Litemq; durus arbiter præjudica.
Voto clientum jura metiri time,
Nec quod colorem patitur, id justum puta:
Peccet necesse est sæpè, qui numquam negat.

Epitaphium uxoris Martinii.

MArtinio conjux Veenhusia nupta marito,
Præside germano nobilitata soror,

Heu nimium ſeros Lucinæ paſſa dolores!
Non potui decimam condere Olympiadem.
Hæc tamen in tumulum mecum ſolatia porto,
Quod potui ſummum mater obire diem.
Claudere quæ partus aliis ſolet, inchoat ætas,
Atque eadem vitam claudit iniqua mihi.
Parcite tam longum thalamos differre puellæ,
Ventilet infœlix ne Libitina faces.
Morte dedi vitam: natales funere conſtant:
Virq; meus tanti non putat eſſe patrem.

AD RUDOLPHUM IMP. florum picturæ dedicatio.

NOn tibi Mars tantum favet, invictiſſime ductor
Quem toties hoſtem barbara ſigna tremunt:
Plebs quoque te ſperûm donis veneratur, & illud
A Zephyri munus conjuge, Cæſar, habes.
Ver Dea perpetuum Batavo præſcripſit Apelli,
Prataque pictrici vivere juſſa manu.
Annuus Alcinoi decor eſt, & Adonidos hortis,
Nec Pharias animat longior aura roſas.
Priſca Semiramios jactat Pomona labores:
Alta tamen tecti culmina ſcandit hyems.
Quo tibi fluxus honos? Auguſtum ſerta Triumphum,
In quæ temporibus nil licet, iſta decent.

AD

AD JOHANNEM OLDENBARNEVELDIUM,

Hollandiæ Advocatum.

NEptuno veterum commisit fama Minervam:
Lis erat Actæi de ditione soli.
Rex Maris indoluit, quod equus cessisset olivæ,
Versaque in exitium judicis ira fuit.
Consiliis victus damnat Deus Atthida lævis.
Quid faciat Pallas? sunt rata facta Deûm.
Succurrit tamen illa malo, jussitque beatos
Eventus stulte quamlibet orsa sequi.
Non ita res Batavûm sub te viget, optime rector,
Successus fœlix jura nec error habet.
At tua fortunam nobis sapientia donat,
Certaq; ab eventu scita probare licet.
In te cælicolas compromisisse videmus:
Qui rixæ fieres arbiter, unus eras.
Pro Batavis patruo certat Tritonia regnis:
Nec quadrupes pretium litis, & arbor erant,
Dotabat Batavos dominus Maris æquore toto:
Consiliis Pallas, belligeraq; manu,
Inde tridens, hinc ægis erat. Sententia fertur,
Non Paridos qualis, Tiresiæve fuit.
Æquavit censura Deos tua, prime Batavûm.
Hinc patriæ utilitas, hinc tibi partus honos.
Nos quoq; sancta tuæ colimus qui castra Minervæ

Te duce, tutelæ pars aliquanta ſumns.
Accipe devotum tibi pectus & accipe Muſas.
Has etiam comites Pallas habere ſolet.

Ad Cornelium Mylium de Epithalamio.

SPonſe (tuæ quid enim refram præconia laudis?
Hoc potiùs nomen poſtulat iſta dies:)
Sponſe, diem canit iſta tuæ non conſcia noctis
Pagina: nos thalami fiſtimur ante fores.
Sacra profanamus nec Cypridos Orgia verbis,
Illa tibi & dominæ mox celebranda tuæ.
Non mea defenſum tenebris tacitoq́;cubilis
Limine ſecretum Muſa movebit opus.
Quæ claudenda putas ego nec dicenda putavi:
Hæc dominæ poſſunt abſq́;rubore legi.
Parcere virgineo virgo ſtudet ipſa pudori,
Abſtinet & ſolitis noſtra Thalia jocis.
Gens rudis, ac auris caſtæ damnata Batavi
Non ſatis audemus verba Latina loqui.
Scripta verecundo donamus ſeria cultu:
Miſſa tibi, ſocero deniq́; miſſa tuo.
Feſcenina procul diſcede licentia linguæ:
Hîc teneram frontem ſemper habere decet.

Ad Monavium, de ejus ſcito, Ipſe faciet.

IPſe, ſoles, Faciet, ſtudiis exculte Monavi,
Dicere: quid ſignet vos precor iſta refer.
An mihi Pythagoræ repetis commenta renati,
Et te diſcipulum ſecta Crotonis habet:

Juſſa

Juſſa quibus longi finire filentia luſtri
Hæ ſolitæ voces, Ipſe ait, Ipſe negat?
Non reor, & nulli te juraviſſe magiſtro
Servitii impatiens mens animoſa docet.
Deinde quid eſt Faciet? nam ſi facere hoc facis eſſe
Concilio ad finem ducere quæq; ſuum,
Ipſéne ad huc faciet? cujus prudentia major
Quàm tua? quem pluris Principis aula facit?
Si facere eſt aliquid venturis tradere ſæclis,
Et dare quod cupiat poſthuma fama ſequi,
Quis potuit melius de poſteritate mereri,
Si dignam credas quæ tua ſcripta legat?
Si facere appellat victuros condere verſus
Græcia, tu dici jure Poëta potes.
Si facere eſt, ſacra ferre Deo, rituſq; probatos,
Gratius eſt illi nîl pietate tua.
Ergo quid eſt illud? Fieri quodcunq; vocatur
Reſpice, quando precor fiet, & ipſe, quis eſt?
Nemo unquam faciet, quod tu facis ipſe, Monavi:
Ipſe quid eſt Faciet dicere? Tute facis.

Epitaphium Johannis Lunghii.

IOhannes ſitus hic properatâ Lunghius umbrâ,
Magnanimi Cimbrum ſanguinis ille genus:
Tota cui luſtris non addita quatuor æſtas.
Quid tibi cum tanta Mars erat invidia?
Oſtendæ fraterna ferens heu ſigna ſuperſtes
Cruribus amiſſis non fuit ipſe diu.

Vulnere ſed'miſſo periit, non cominus armis,
Et pro quo jacuit nunc jacet ecce ſolo.

AD
JANUM GROTENHUSIUM.

ERgóne ad huc trepidus tantum, nunquàm ne caleſces?
Teque levi ſemper vulnere ſtringet Amor?
Omnia qui lædit, cur in te deficit arcus,
Cur Phare træ vires non habuere ſuas?
Tu cui formoſas fas ſit mutare puellas,
Et transferre faces pectoris unus eris?
Securus poteris tu cernere, Jane, quod optas,
Nec tanget loro te Cytherea ſuo?
Migret ad Aſtræam potius vel Pallada cæſtus,
Quæ Veneri elapſum ſub ſua jura tenent.
Transfuga caſtrorum, nec nomine dignus amantis
Cur tibi jus tanti dicere poſſe fuit?
Scilicet, ut laſſum cum te tua roſtra remittunt,
Turbaret ſomnos nulla puella tuos.
Privato, ſatis eſt, viduos donavimus annos.
Hactenus indultum, dum tibi ſalva quies.
Quæ nunc eſt ratio, qua poſſis lente tueri,
Quod toties audes perdere, quicquid amas?
Odiſti curas? domus eſt minor urbe tuenda.
Eſſe cupis liber? jam famulare foro.
Quantillum fuerat partiri æqualiter horas.
Quæq; die pateris jurgia, nocte pati?

DE

DE MELETEMATIS BARLICOMII.

SAlve pietas, ſacraq; Muſa Barlicomi,
Salve meritis inclyta (nam decus benignum
Præſens tibi dat gloria, non in anteceſſum,
Sed continuans præmia ſæculo ſequenti)
Te non Helicon edidit aut gemella rupes,
Et ſi quid adhuc fabula dat vetus Poëtis:
Sed cælifero vertice mons ſacer Sionis.
Non Pegaſeis labra rigas canora rivis,
Sed poſcis aquæ munera fonte de perenni,
Unde ætherio pectora perluuntur imbri,
Pignuſque poli mens bibit entheos furores.
Si Relligio maxima, magna laus Poëtæ,
Quid majus erit dicere vate Chriſtino?
Nam res pietas quaſlibet erudita vincit:
Res nulla pia rarior eruditione eſt.

ERUDITA IGNORANTIA

QUi curioſus poſtulat totum ſuæ
Patere menti, ferre qui non ſufficit
Mediocritatis conſcienentiam ſuæ,
Judex iniquus æſtimator eſt malus
Suique naturæq;: nam rerum parens,
Libanda tantum quæ venit mortalibus,
Nos ſcire pauca, multa mirari jubet.
Hic primus error auctor eſt pejoribus:
Nam qui fateri nil poteſt incognitum,

Falſo

Falso necesse est placet ignorantiam,
Umbrasque inanes captet inter nubila
Imaginosæ adulter Ixion Deæ.
Magis quiescet animus, errabit minùs,
Contentus eruditione parabili,
Nec quæret illam, siqua quærentem fugit.
Nescires quædam magna pars Sapientiæ est.

In librum suum de Moribus Atheniensium, Romanorum, Batavorum.

MArtia gens semper Batavûm, nec inhospita Musis,
Et cui compertum nil prius esse fide,
Scribimus hic Mores, quibus ipsas vincis Athenas,
Et tibi se cupiat Dardana Roma parem.
Vos urbis dominæ socios, fratresque Quiritum,
Et libertati pectora sacra colo:
Frænator pelagi populus, spes una Philippi
Et metus, Europæ lumen, & Orbis amor:
Ultima Taprobane quem jam veneratur & Indi:
Cui socias Regum dextera nectit opes:
Sacra tibi, Genioq; tuo, Gentiq; Batavûm
Hæc fero: tu fælix ad mea vota veni.
Siquid id est, Batavi Batavo celebrantur honores,
Et sum materiæ pars quotacunq; meæ.
Civilem Batavi, vestrumq; legetis Erasmum.
Vester hic ingenio maximus, ille manu:
Atque alios quibus aut victorum præmia laurus,

Aut

Aut ederæ rutilas implicuere comas.
Patria da veniam, quod non numeramur in illis,
Qui poterunt nomen ferre ſub aſtra tuum.
Mars mihi diſplicuit: Muſæ placuere: ſibiq;
Hoc levis anguſtum gloria fecit iter.
Eſt tamen, eſt aliquid fungi benè munere civis,
Quaq; datur patriæ nolle deeſſe ſuæ.
Teſtor Arauſiadæ cineres Natiq; labores,
Qui tumidas Moſæ jam tibi ſubdit aquas,
Quod potui feciſſe, ſoliq; altricis honorem
Officio nunquam deſtituiſſe meo.
Non ego doctrinæ non duro Marte probati
Roboris exemplum, ſed pietatis ero.

In Petri Borrii libros de primis Belgarum motibus.

QUod regni mala quæſiit cupido
Inventum populi furore bellum,
Quo tandem ſupera benignitate,
Spem vulgi ſuper, & metum Tyranni
Libertas mediis refulſit armis,
Seros non patitur latere Belgas
Fida Borriacus labor papyro,
In cauſas referens, duceſq́ne primos
Martem perpetuo cruore nondum
Poſt ſeptem mala luſtra judicatum.
Reges diſcite pareiùs jubere,
Et plebs regna pati novare conſtat

Suc-

Succeſſu dubio, pari periclo
Cum jus imperii, licentiæve
Civili veniant emenda ferro.

DE ITINERE SUO PER RES PROLATAS.

DUm jura multum litigata dimittit
Periculoſo Sirius flagrans cœlo,
Libet occupare perbrevem fori pacem,
Libet mihi donare deſides horas:
In quas nec ullæ jus habent clientelæ,
Nec impiger conſultor antelucanus.
Sed Haga molles ſemper obſidet ſomnos,
Notaſque prohibet exui locus curas.
Regis Guilelmi, carcer advocatorum,
Valete turres: arbores Jacobeæ,
Inutileſq; tot negotioſorum
Umbræ valete, ſub quibus calent omnes,
Valete & Aulæ, Curiæq; diſcurſus,
Et ambulanti ſemper obvium murmur,
Valete paucos, ſed meos dies quæro.

AD

AD
DANIELEM HEINSIUM,
cum Adamum Exulem ſuam ei offerret.

HEinſi vetuſtæ reſtitutor orcheſtræ,
Ornas cothurno qui pedes Sophoclæo,
Euripideum ſyrma qui tuo vincis,
Et Æſchyleas & Lycophronis faces,
Et quicquid unquam perditum tragœdorum,
Deſideratumq́; hactenus repenſaſti;
Sume hoc amici (nomen hoc inæquales
Si non recuſat) ſin minus tui ſaltem
Poëma, in arrham quam ſacræ clientelæ
Poſtremus offert principi poëtarum:
Lecturus illud ut beatus exultes,
Cum nos videbis velle, poſſe te ſolum.

In meditationes ſacras
JOHANNIS MEURSII

DUm veterum ingeniis doctos inſtaurat hono-(res,
Obligat & toties ſæcula priſca ſibi:
Hinc animo Cyrrham dum provocat, inde Lycæum
Meurſius ulterius jam videt eſſe nihil.
Deſtituit noti juvenem via tota laboris.
Quid faciat? cœlo cura petetur ait.
Ergo ſacros aperit ſublimi pectore motus,
Ipſa per Iſaiden dum juvat aſtra ſequi.

Cer-

Cernimus (en pietas) meditata prioribus annis,
Qualia vix canis otia ſera ferunt.
Magne Deus, vitæ peragit cui penſa juventus,
Neſcio quid faciet, ſit tamen oro ſenex,

IN LIB.

JOHANNIS MEURSII

de funere & puerperio.

UNa papyrus habet ſupremaq; primaq; rerum,
Naturæ fines continet iſte labor.
Lucinæ pia ſacra docet tibi nata recenter
Pagina: non fætus dulcior ille fuit.
Funera tu recitas, Meurſi, quæ nulla libellis
Opto tuis veniant, nec niſi ſera tibi.
Cernimus hîc cunas atque addita nomina fatis,
Et benè ſollicitos in duo vota patres:
Cum fletu tamen ille rudi ventura fatetur,
Et non viſa priùs reſpicit aſtra puer.
En tumulos, en buſta virûm luctuſq; ſuperbos,
Quorum ſe pretiis excitat ipſe dolor.
Hinc alios iterum lachrymas, miſerabilis urna
Quas bibat & celſo raptus ab igne cinis.
In laudes vagire tuas tener incipit iuſans.

Qui

Quis scit an & manes hic quoque tangat honos?
Omnes crede tibi populos, tibi dicere mundum:
Qui sunt, qui non sunt, tu facis esse tuos.

Ex Græco Theocriti.

Epigramma, cujus initium, τὰ ῥόδα τὰ δροσόεντα.

SErpillum densis foliis præsigne, rosasque
Rorantes divis pono Novensilibus.
Alticomam laurum, celebrat quàm Delphica tupes
Accipe sacratam, Pythie Phœbe, tibi.
At caper hic, qui nunc terebynthi brachia mordet
Ultima, mox aras imbuet ille tuas.

Aliud, cujus exordium, Εὕδεις φυλλοστρῶτι πέδῳ.

DUm vari in summis stant montibus, æquore campi
Frondibus instrato te sopor altus habet,
Daphni, pater Faunus te captat, & ipse Priapus,
Tempora sub crocea cui titubant hedera,
Et jam succedunt antro simul: effuge Daphni,
Effuge, nec somno mergere, sed vigila.

Aliud, cujus exordium: Τίνα τὰν λάνεαν.

QUo via per quercus, paſtor, te ducet, imago eſt
Lignea, nuper adhuc, ut puto, ficus erat.
Monſtrum informe, tripes, cum cortice & auribus orbum:
In Venerem fætus quod tamen inguen habet.
Simplice quod cingit ſtructum pietate ſacellum,
Et viret è ſaxo lapſa perennis aqua,
Lauribus, & myrtis, & odorifera cupreſſu,
Quas circumplecti palmite vitis amat.
Illic & tremulis mulcentes vocibus aures
Congeminant merulæ murmura, veris aves:
Flava nec adverſum ramis Philomela dolores
Dulciſono ceſſat molliter ore queri.
Illic ergo ſede ſupplex, facilémque Priapum
Exora, ne me Daphnidis urat amor.
Si datur hoc, præſens hædi cruor imbuet aras;
Daphnide ſin potiar, victima terna cadet.
Tum capro faciemus, oviſque ſubibere fœtu
Et vitulâ: placeant ſic mea vota Deo.

In

In ſtatuam Piſandri, cujus exordium, Ἢ τοῦ Ζανὸς ὅδ' υἱῶν.

ÆTerni ſobolem Tonantis illum,
Et dextra & domito leone notum,
Vatum quotquot erant ubique, primus
Piſander celebravit ex Camiro,
Cujus ſunt labor Herculis labores,
Hunc ipſum pia cura civitatis
Hic, ut noveris, æreum locavit
Multis poſtea menſibuſque & annis.

EX GRÆCO AGATHIÆ, In lapidem Ajacis.

ME petram Ajacis manibus ſub pectus adactam
Hectoreum fruſtra tollere quæris humo:
Aſpra quidem & nigra ſum: ſed magnus dicet Homerus
Proſtratum noſtro pondere Priamiden.
Nunc me vix poſſunt paulum tellure movere
Iſti homines, ſæcli turpia probra ſui.
Tu me, hoſpes, potius terra; tegenamq; puſillis
Jam me ludibrium diſpudet eſſe viris.

In Navigationem.

STat placidum ventis nigrum mare: littora nulla
Insanis pulsat fluctibus aura Noti.
Unda nec in rupes sævis compulsa procellis
Retro lapsa altum volvitur in pelagus.
Sed spirant Zephyri, blandumq; susurrat hirundo,
Dum nidum aggestis construit è placis.
Navita pone metum, seu sit tibi Syrtis aranda,
Seu tibi Trinacrii est ora legenda sali.
Portunoque scarum, vel rubram amburere bocam
Sis memor, hoc ut agas, dum nihil est quod agas.

AD FRANCISCUM VERIUM.

IN Neoportano sudatam littore pugnam,
Magna Britannorum gloria gentis, habe:
Naxima spectacli pars illius accipe Veri,
Quod ferat hæc eadem quæ tulit arma manus.
Te primum, torvaque oculos in fronte micantes,
Et præsensa animo vulnera, fugit Iber.
Flandria rursus erit virtutum certa tuarum
Testis, & Oceani littora Pleumosii.
Hinc reducem, lauru te cum victrice, manebit
Obsidionalis graminis alter honos.

DE

DE NAVIGATIONE IN FLANDRIAM.

CUm modo Cattorum veteres invectus arenas
Millena premeret puppe Batavus aquas:
I, mea gens, inquit, Neptunus, & hæc tua crede
Regna, nec externas respice semper opes.
Quid trepidas invicta? tibi vicisse mereris:
Te tua libertas, te tua fata vocant.
Quando erit ut magno redeuntia signa triumpho
Aspiciam? pœnas Flandria victa dabit.
Ipsa manu tot pone trahes castella, tot urbes,
Nervia qua Valachros respicit ora tuos.
Quo ferus iste fugit? nescis Hispane tueri
Flumina, jamque novo sanguine castra madent.
Nondum etiam Flandri reginam littoris, ora
Ferre subacta fame, captaque rostra vides?
Quid miser in gemitos actus te dividis? illis
Quod menses, anni non potuere tui.

OSTENDA LOQVITVR.

ARea parva ducum, totus quam respicit orbis,
Celsior una malis, & quam damnare ruinæ
Nunc quoque fata timent, alieno in littore resto.
Tertius annus abit: toties mutavimus hostem:
Sævit hyems pelago, morbisque furentibus æstas,

Et minimum est quod fecit Iber; crudelior armis
In nos orta lues, nullum est sine funere funus,
Nec perimit mors una semel. Fortuna quid hæres,
Qua mercede tenes mixtos in sanguine manes?
Quis tumulos moriens hos occupet hoste perempto
Quæritur, & sterili tantum de pulvere pugna est.

IN PORTUM AD SINUM FLACCIACUM.

FLaccides Nymphæ, quarum largissimus urnis,
Effluit in salsas Mosa Batavus aquas,
Hic ubi velivolis statio jam fida carinis,
Clausira freti Vornæ continuere duæ:
Huc properate choros; hanc conchis comite molem:
Invidiam vestris detrahit illa locis.

ALTERUM.

QUod furit Hippotades ripis angustius istis,
Et pelagi ridet murmura tuta ratis,
Munus id est Procerum, ne libera terra Tyranno
Plusquam naufragiis altera regna forent
Extremis jam nauta redit securior Indis;
Et faciles primo littore sentit heros.

IN

IN OBSERVATIONES REGINALDI BRODERODII PRÆSIDIS, CORNELII NEOSTADII, ET RUMOLDI HOGERBETII SENATORUM,

De pactis dotalibus.

QUas Hymenæe tibi, quas Juno pronuba leges
Describunt Batavi fidera terna fori,
Patria commendat vobis, ut munere quorum
Humanum vivit perpete prole genus,
Servet & hic meritos liber immortalis honores,
Dum thorus, & dotes, & vir, & uxor erunt.

ARX TEILINGA.

PRincipibus, quorum veneratur patria nomen,
Arx placuit solis hæc metuenda feris,
Dum satis hoc visum, nondumq; tenentibus arma
Gratus in humano sanguine ludus erat,
Nec Batavûm tellus civiles passa furores
Flebilis externo præda jacebat hero,
Qui gradus in mundi quondam cervice locaret

Sequanicam ſobolem, Pannoniamque domum:
Tunc meſſus veteres nemora haec ſaltuſq; tenebant
Cattigena cincti nobilitate duces:
Quorum ex antiqua ſuprenus origine ſanguis
Teilingos habuit fœmina Boia lares:
Hiſque ſub arboribus, ſolio de jecta paterno,
Vim contra flevit jura valere nihil.
Arcis ob has de te quereret, fortuna, ruinas,
Ni gravior dominæ tanta ruina foret.

IN EVSEBIVM SCALIGERI.

O Quem reſpiciunt fugiturae protinus artes,
Subſtitit Aonius quo retinente chorus!
Cujus ad imperium niſi te fortuna vocaſſet,
Non bene Scaligeras deſtituiſſet opes,
Ambigimus merito, tu longius omnia vincas,
Longius an curas ultima cura tuas,
Euſebii lacerum qua tot per ſæcula funus
In lucum genii reddidit aura tui:
Qualis Tantalides menſæ pars ante paternæ
Adſtitit, ipſe ſuum cum ſtupuiſſet ebur:
Aut qui membra ſolo monſtris disjectus avitis
Acceptum dominæ Virbius eſſe tulit.
Cum vita cenſura venit: ſordentia purgas,
Quod propè plus etiam quam revocaſſe fuit.
Quis non invideat liber hoc? quæ charta beatæ

Non

Non cupiat dextræ prometuisse notam?
Si conferre libet, quid tantum Pamphilus illi
Præstitit? apparet non semel ille tuus.
Jure igitur nomen sumit majoris amici,
Et titulo gaudet nobiliore legi.

IN OBITVM
JUSTI LIPSII.

HOc quoque fer totum, sed tristis fama per orbem:
Ille diu plausus delitiæque tuæ,
Quem populis unum cunctis narrare solebas,
Occidit, & tantum vivit in ore tuo.
Omnis ad exequias, qua sol oriturque caditque,
Hoc est, qua legitur Lipsius, orbis eat.
Præcipuè aspicies domini cum Tybridis arces,
Fac septem resonet vox lachrymosa jugis:
Lipsius occubuit, cui quantum defuit ævi,
Tantum nescitur maxima Roma tui.

IN
NATALEM BURCHII.

HIc tibi suspectum senibus qui terminat annum,
Quali agitur vultu lætitiaque dies,
Talis sæpè precor redeat, clarissime Burchi,

Quem

Quem celebres doctas inter amicitias:
Donec inoffenſæ traducto tempore vita
Natalem ſupera ſede beatus agas.

In diſceſſum ab

AMICA.

DEmophoonta feris fugeret cum Phyllida velis
In Lemnum adverſi pœne tulere noti;
Miramur quod mille rates dimittere Chalcis
Noluit; in cauſa Laodamia fuit.
Me quoque pro domina faciens velut admonet imber:
Hoc potius cœlo debuit illa peti.

Libri an puellis

DANDI.

CRede nihil noſtris, aut omnia crede puellis:
Lectricis mores pagina nulla facit.
Quæ caſta eſt totum leget incorrupta Catullum:
Illi nil tutum eſt quæ capit, & capitur.

AD

PAULUM CHOARTUM. BUZANUALUM.

DUlcia privatæ laudas quod commoda vitæ,
Ante diem longo factus honore ſenex:
Et tibi non tanti eſt Gallo ſubnixa favore,
Mittere trans orbes arma Batava novos;
Ut non nobilius curis cæleſtibus annos
Tradere reſtantes, & tuus eſſe putes:

Bu-

Buzanvale, ſapis: nec te latet, optime, quæ nos
Suſpicimus quam ſint fumus & umbra levis.
Hoc ſi Chryſippus potuit, duruſq; Cleanthes
Credere, nil miror: pauper uterque fuit.
Abſtinuiſſe bonis facile eſt ſperare negatis:
Et quæ non poſſis, dicere, nec cupio.
Sed dederis, quod quam paucis contingit, amico
Virtutumque bono judice, rege frui,
Rege datis multis deberi plura fatente,
Quis ſcit, num ſubito ſpiritus iſte cadat?
Ille vir eſt, à quo retulit fortuna repulſam,
Inveniens clauſos ad ſua dona ſinus.

IN BUSANUALII PERICULUM.

NObilium flos docte virûm, cui gratia regis
Tanta patet, quantum vatibus ipſe faves,
Si ſcelus iſtud aquæ, tua dira pericula, quondam
Vidiſſet fœlix carmine turba prior,
Mæonides caneret; quod Ulyſſi præſtitit Ino
Hoc tibi jam patriæ vota dediſſe tuæ.
Parcius optaret laudatam Pindarus undam:
Nec ſolus crimen Naïdos eſſet Hylas:
Ipſas quas Helicon, juga quas Parnaſſia fundunt,
Suſpectas vates omnis haberet aquas.
Non faceret Pimple, non Pegaſis unda poëtas,
Sed tua pro cunctis fontibus ora forent.

ALIUD.

ALIVD.

LYmpha lacu Stygio Letheque infamior ipsa,
Et quam Cocytus non velit esse suam,
Propter quam nostris irata est Gallia ripis.
Et patrias odit pæne Batavus aquas,
Tune igitur nostrum voluisti extinguere lumen,
Quod stabili gentes nectit amore duas?
Legatique sacrum media inter prœlia nomen,
Materiam sceleri quæris habere tuo?
Scilicet ut præ te pia sit Bellona, sibique
Quod negat & Mavors, audeat unda nefas?
Te nostræ fugiant laurus, te mitis oliva:
Soláque te taxus flebilis umbra tegat.
Arceat ipse suos à gurgite Phœbus olores,
Nec volucrum norit carmina dira palus.
Sed te justa gravi repetens convitia limo
Rana vetet sceleris non meminisse sui.

ALIVD.

CUm jam videret impio premi stagno,
Os quo loquente se volebat audiri,
Parens virorum Gallia atque virtutum,
Heu quid paratis clamitat nefas Parcæ?
Revocate fusos, hactenus mihi vixit,
Acer juventæ seu vigore confertos
Irrumpit hostes, fertque se obvium bello,

Seu

Seu major annis juſſam maximi regis
Perfert potentum luminum ſalutator,
Concordiæque ſacra firmat interpres:
Explevit annos nempe, ſed meos tantum:
Sui ſuperſunt. Non iniqua poſcenti
Parent ſorores, redditur colo penſum:
Eademque torto lana ducitur fuſo.
At tu Choarte, fruere cœlitum dono:
Memor, peractam nil moratus ætatem,
Annos ab iſto computare natali.

IN AVLICOS URINÆ TRIBUTA PETENTES.

ATille pravi pereat auctor exempli
Ductor Quiritum Flavia ſatus gente,
Qui ſub tributum juſſit ire veſicas.
Quid hunc ſequi vos aulici juvat morem?
Illum cupido ſuaveolentis argenti,
Vos movit odium turpe olentis urinæ.
Hoc ergo diſtat jus utrumque, quod naſus
Avarus illi, delicatus eſt vobis.

ALTERUM.

AUla merum donans, urinam jure recuſat:
Nam reddi nemo vult ſua dona ſibi.

IN

IN POEMATA.

D. BAUDII.

CAndida posteritas, quæ nec livore maligno
Roderis, & melius quod fuit ante vides,
Ad te nota parum facundi pagina Baudî
Provocat, in nullas ambitiosa preces,
Sed quidvis contenta pati, nisi carmine lecto
Ingrati damnas sæcula nostra notâ,
Tuque adeo quamvis tali veniente poëta
Antiqui palmam vix tenuere tui,
Gaude Roma tamen: quod non jam sola iepores
Jactat, & argutos Græcia docta sales,
Quod veteris socci jocus, ultaq; tela Lycamben,
Additur ad laudes ultima summa tuas,
Baudî munus habes: debet cui turba bonorum,
Quod modo securis non licet esse malis.

ALIUD.

QUem legis & laudas si vis novisse poëtam,
Versibus & vita Baudius unus erat.
Vidimus hunc ipsum qualem tibi carmina monstrant:
Ingenium domini læta papyrus habet.
Talis erat, seu cum fluitarent prospera, seu cum
Immeritum premeret sævior aura caput:
Liber & intrepidus, nec qui concederet unquam
Fortunæ magnis regibus esse minor:

Nulli

Nulli ſponte nocens,& amabilis hoſtibus ipſis:
In quo,ſi noſſes,perderet ira locum:
Infenſus ſceleri: ſed non ut lege ſevera
Viveret, antiquæ ſimplicitatis amans:
Melle madens,& quo non incorruptior alter
Miſcuit innumeris ſeria multa jocis.
Et,ſi cuncta ſimul permittis dicere,vates
Teïus arguto miſtus Ariſtophani.

DE AMBITU.

REbus gerendis publiciſq; commodis
Natus petendis hunc honoribus modum
Præſcribe, teneat ut offeras, non ingeras.
Ambire ſemper ſtulta confidentia eſt,
Ambire nunquam deſes arrogantia eſt.

DE CONATU HOSTIS IN TRANSEUNDO VAHALI.

DIves aquis regni Vahalis tutela Sicambri,
Et quocunque fluis nomine Rhene pater,
Perge gravem noſtris defendere finibus hoſtem,
Cujus ab inviſo ſanguine ſæpè rubus:
Sic ſecura tuis veniant commercia ripis
Fontibus à primis ad maris uſque vias,
Cum procul à Belgis peregrino Marte fugato
Candida pax populis libera jura dabit

IN

IN MORTEM LUCÆ TRELCATII PATRIS.

PLebs tua cum patriæ fines, & quicquid amatur,
Linqueret, exilio quærere jussa Deum,
Os potuit tantæ siccum præstare ruinæ,
Et genitum est fatis ansa negare suis:
Quæ nunc ecce tuo, Trelcati, percita luctu
Fortis in hoc primùm definit esse malo.
Quas populi lachrymas, quos planctus cernimus urbis,
Ut magis haud alium fleverit una domus:
Quis fueris constat; lachrymis agnoscéris illis:
Frater amore pio, sortis honore pater.
Te modici sanctique lares; te templa requirunt,
Te schola, te verum discere quisquis amat.
Præcipuè, quæ te profecit teste juventus,
Miratur tantum jura valere necis:
Et quod tu toties scriptis, quod voce monebas,
Exemplo vellet non didicisse tuo.
At miseri, nondumne igitur commissa fatemur,
Tam fera quos cœlo vindice damna premunt?
Nam nostrum decus ingrato qui sustulit ævo,
Nos peragit tanti funeris ille reos.

IN

IN OBITUM PAULI CHOARTI BUZANUALII.

ACcipe defuncti placido mea membra ſepul-
A Patria ſemper terra ſecunda, mihi.(chro
Hic ego dum licuit domino ſervire tibique,
Securos ſenſi molliter ire dies:
Sollicitus tantum ne non ſatis undique tuta
Vel tua libertas, vel tua ſacra forent.
Nunc quoque quod Batavos incerto in marte relinquo
Crede mihi letho triſtius eſſe malum,
Rex bone, præſidium miſeris ultorq; ſuperbis;
Cui vitam debet Gallia tota ſuam,
Si nullas acies, ſi vulnera nulla refugi,
Parſque tui belli ſi fuit iſta manus:
Si tot apud populos & tot ſacra nomina reges
Eſt tibi perpetuò noſtra probata fides:
Si ne juſſa tibi peragam, quæ ſola poteſt mors,
Quod dolor, & morbus non potuere, vetat:
Hanc mihi redde vicem tumulum defende miniſtri
Oſſa feeox olim ne mea calcet Iber,

IN ADVENTUM MARCHIONIS SPINULÆ.

SPinula, virtutes cujus laudavimus olim,
Tunc quoq; cùm nobis esset amare nefas,
Spes sit quanta tui, perculsi munere tanto
Si taceant homines, flumina crede loqui.
Illi pro nostris vigilantes finibus annes,
Qui toties cursus sustinuere tuos,
Strati sponte jacent æquataq; tramite molli
Pacis matricem se probat unda tibi.
Nil tibi navigiis opus est, nil pontibus ullis:
Hæc tantùm uarmatos ferre recusat aqua.
Quin etiam cœlum venienti servit: ipsa
Frigora tam longas cum posuere minas.
Quæ tam triste gelu tam fælis aura resolvit?
Non solis, non est aëris illa, tua est.
A te tam placidos sumpserunt tempora vultus:
Bella cui debent cedere cessit hyems.

IN EMBLEMATA AMATORIA OCTAVII

QUestus Amor nondum sua respondere triumphis
Præmia, nec famæ quod satis acta sequi,
Mille per artificum spatiatus millia legit
Octavi doctas æs animare manus.
Ipse regit ferrum, vultus ipse imprimit æri,

Et gaudet duris durior ipſe puer.
At lætus monumentæ dei victricia mundus
Accipit, & plaudit cladibus ecce ſuis.
Ecce Cupidineas omnis jam dextra tabellas,
Et Paphios luſus jam ſinus omnis habet.
Præda puellarum juvenes, juvenumq; puellæ
Diſcite quid valeant tela potentis heri.
At vos ite procul, tuto quibus iſta videre
Spes erat, & pictus lædere novit Amor.

AD PACEM.

MItis filia maximi Tonantis,
Cujus jam Batavi cruenta ſeptem
Per quinquennia neſciêre nomen,
Da nobis veniam, quod ille allumnus
Bellorum populus, fati ſub armis,
Et quorum clypei fueri cunæ
Externis toties dolis periti,
Quorum non meminiſſe tam ſuave eſt
Quantum oblivia ſunt periculoſa,
Securiq; diu timore ſolo.
Quam mens tota cupit petitq;, nondum
Audemus tamen invocare pacem.
At tu ſemina diſparata mundi
Certo fœdere quæ vetas perire,
Belgis redde fidem, ſoloq; fruges,
Cives mœnibus, amnibuſq; merces:
Aut nondum bona tanta ſi meremur,
Illos vincere da benigna, bello

Qui belli ſibi quæſiere finem;
Illos da dea, peſſimè perire
Qui per fœdera quæſiere bellum.

IN EMBLEMATA HORATIANA OTTONIS VENII.

QUale apud Auſonios veteri certamen in ævo
Roſcius ingenti cum Cicerone fuit.
Cum pater orcheſtræ, geſtus digitoſque loquaces
Oppoſuit tanti viribus eloquii:
Aut Jovis ut magni quatiennem ſidera vultum,
Et caput, & ſacri verticis omne decus,
Mæoniæ pugnans cum majeſtate Camenæ
Phidiacum Grajos cernere fecit ebur.
Omnia ſic, doctas queis implet Horatius aures,
Otto tuæ nobis exhibuere manus.
Sic Romana fides cœlo eſt æquata Batavo:
Reſpondet numeris linea quæque ſuis.
Viveret ô utinam regum Cyrrhena propago,
Ferret ut hic etiam præmia digna labor.
Tu quoque Flacce, tuis debebas verſibus illum
Dicere, qui verſus monſtrat in ære tuos.
Quicquid de Threſſa legitur teſtudine credo:
Ex quo etiam ſurdis ſcit tua Muſa loqui.

IN MORTEM SCALIGERI EPICEDIA.

IRet ad occaſum cum lux clariſſima mundi
Scaliger, & ſanctum conderet umbra caput.
Dicitur exemplo tam ſævi funeris æther
Territus atque ipſi contremuiſſe poli.
Te quoque peculſum genitor radiate diei
Credibile eſt viſo ſidera poſſe mori.
Non minùs ille ſuo luſtrabat lumine terram,
Non minus in gemino cardine notus erat.
Sed non tu retrò radios in ſæcula vertis,
Nec potes heſternum tu revocare diem:
Eriperet nocti qui ſæcla, dieſque diei
Redderet, ille fuit, qui tamen, ecce, fuit.

ALIUD.

HUc ades, huc hoſpes, ſeu per mare, ſive per
Alpes,
Ad Batavos Brenni vectus ab urbe venis,
Non aliena tibi jacet his in ſedibus umbra,
A ducibus ſanguis ſed venit ille tuis.
Hic ſitus hic ille eſt Joſephus Scaliger, ipſa
Quin hîc Scaligerum gens tumulata jacet.
Nec tu ſceptra tamen, regniq; inſignia quære,
Et quæ quo libuit fors inimica tulit.
Imperium longè majus ſibi condidit, & cui

Non Atheſis finem, uon Padus ipſe facit:
Quod vix Oceanus, vix cœlum terminat. I nunc,
Et magnos aliquid crede fuiſſe Canes.

ALIUD.

HIc jacet & Gades ſuper exauditus & Indos
Scaliger, hîc mundi publica lingua jacet.
Hunc velut amiſſum Memphis deploret Oſyrim:
Divitis huic ſilvæ munera mittat Arabs:
Æthiopes portate legit quæ gramina Phœnix:
Et Solymi plenâ balſama ferte manu.
Hunc Syrus Euphrates, hunc Medus plangat Hy-
Et qua tu primum Nile crearis aqua. (daſpes,
Græcia deſertas Aganippes effleat undas:
Cenſerat hunc atrum Martia Roma diem.
Europam pariter, Lybiamq; Aſiamq; per omnem,
Per ſola terrarum per freta luctus eat:
Et dicant populi: Jacet in tellure Batava
Hic qui pro populis omnibus unus erat.

ALIUD.

UNica lux ſæcli, genitoris gloria nemo
Quem puerum, nemo credidit eſſe ſenem:
Tam ſibi par ſemper, quam cunctis celſior unus,
Et qui ſe totum debuit ipſe ſibi,
Exuperans famâ quos æquat ſanguine reges,
Sceptrigeris majus nomen adeptus avis,
Hic jacet ille capax immenſi Scaliger ævi,

Nec

Nec ſibi mors unquam plus licuiſſe putet.
Quid querimur raptum? mens eſt qua vivitur: annos
Ille tot exegit mente, quot orbis habet.
Omnia dum retro mundi veſtigia quærit,
Quærentem retro deſtituere dies.
Emenſus populos & diſſona gentibus ora
Ambierat, quantum lumine Phœbus obit.
Teſtamur natura, tibi non defuit ille:
Tu gentes alias, ſæcula plura dares.
Ultra Scaligerum hini eſt: nec Scalliger ultra.
Ille tui finem repperit, ille ſui.

ALIUD IN EFFIGIEM SCALIGREI IN BIBLIOTHECA SERVATAM.

INter mille libros (nec ſedes dignior ulla)
Quæ tulit immenſus Scaliger ora vides:
Mille libros hoſpes nimiùm ne reſpice, major
Hic tibi quem monſtro bibliotheca fuit.

ALIUD.

CUm pluei doctis turgerent undiq; chartis,
Quas velit æterno fama fovere ſinu,
Exhæredavit moriturus Scaliger orbem,
Et vetuit poſt ſe ſcripta videre diem.
Heu nimiùm duras è miti pe&ore leges,

Pro quibus impietas magna sit esse pium.
Digna sit hac pœna præsens quæ vivitur ætas,
Nempe hæc quæ Titios Scoppiadasque tulit:
Sed quo posteritas meruit non posse doceri?
Aut quid fecerunt tam bona scripta mali?
Parce pater, si nos recte tibi cuncta monenti
Credere in hoc uno credimus esse nefas.
Publica sunt istæc; semel ut te fata dederunt
Omnibus, inde potest jam nihil esse tuum.
Sit tamen, ut mandas: nequeunt vel pressa latere
Quæ tantum ex tanto nomine lucis habent.
Quicquid nescitur foliis quæretur in istis,
Hinc sibi responsum maxima turba petet.
Quanta nec Euboïcæ celebravit virginis antrum,
Nec tripodes medio quos habet orbe locus.
Quid juvat in populos has non dimittere chartas!
Scaligeri circum scrinia mundus erit.

IN EFFIGIEM SCALGERI paulò ANTE MORTEM EXPRESSAM,

HÆC est Scaligeri mortem meditantis imago,
Luminis heu tanti vespera talis erat!
Invultu macies & tortor corporis hydrops,
Sed tamen & magni conspiciuntur avi.
Læva tenet chartas Nabathæi munera cœli:
Armatur calamo nunc quoque dextra suo.

Hæc

Hæc eſt illa manus vitam cui tota vetuſtas
Debet & à primo tempora ducta die.
Quod ſi Scaligero meritis par vita daretur,
Non niſi cum mundo debuit ille mori.

IN EFFIGIEM JOH. SAMOSCI MAGNI POLONIÆ CANCELLARII in auro expreſſam & à Scaligero legatam.

PRima diu patriæ tutela, decuſque Samoſci,
Ex æquo gemina Palladis arte potens,
Sic oculos, ſic tu frontem, ſic ora ferebas,
Cum pacatus eras, ut puto, talis eras.
Non hunc aſpicio Livonum quem ſæva timebant
Agmina, præcipiti quem Scytha fugit equo.
Sed duce qui poſito Romam, qui Cecropis urbem
Auſus es in media ponere Sarmatia.
Talis Scaligero voluiſti nempè videri,
Qualem te Muſis, Scaligeroq; dabas.

IN EANDEM.

MAteries aurum eſt ductoris imago Samoſci,
Scaligero donum qui dedit, ille mihi.

IN

IN ECCLESIASTEN APOLLONII SCOTI.

HUc ades & Scoti ſapientes inſpice chartas,
Doctrinam quisquis cum pietate colis.
Non Aganippeo bibit hic de fonte poëta,
Sed de Jordanis lete ſonantis aqua:
Non dedit hos æſtus mendax Parnaſſia rupes,
Sed pia veridicâ nobilis arce Sion:
Non hic trita ſequens veterum veſtigia vatum
Mæonide cæco ſub duce carpit iter:
Rex operis ductor, rex qui ſimul omnia vidit,
Omniaq; hæc unum comperit eſſe nihil.
Non hic Trrja tibi legitur Thebanaq; monſtra,
Sed Deus, atqne deo conciliandus homo.
Evitare cupis quiſquis fallacia vitæ
Somnia ſecuros quiſquis habere dies,
Hæc lege deſpectum calcantia carmine mundum:
Quantum ſcire ſat eſt continet iſte liber.

IN MEURSII LEXICON GRÆCO BARBARUM.

ACcipe quem tibi dat lector ſtudioſe, laborem
Meurſius hac charta Græcia tota patet:
Non quæ Socratico quondam ſermone locuta eſt,

Quæ

Quæ Macetûm linguæ fulmine fregit opes,
Sed qualis moriens in regni ſede ſuperbi
Singultus olim, mœſtaque verba dedit,
Cum Byzantinos habuit nova Roma Quirites,
Heu malè vicinis præda futura Getis.
Doctrinæ cultuſque parens (quis credere poſſit;)
Græcia qua dempta barbarus orbis erat.
Huc cecidit, Græcos velit ut qui diſcere libros
Debeat hinc Græcam diſcere barbariem.

AD
ÆLIUM EVERARDUM
VORSTIUM
MEDICINÆ PROFESSOREM.

SIc cedat quod ubiq; mali eſt coeantq; repente
Vulnera tam doctæ quæ tetigere manus,
Nullaq; ſit peſtis, vis hauſti nulla veneni,
Quam tuus eximia non fuget arte labor,
Et toties retro mors acta potentibus herbis
Victori veniat non niſi ſera ſuo:
Ut te præcipuè, Vorſti, delector amico,
Et juvat imperiis me placuiſſe tibi;
Non tantum quoniam, dum tu mihi proſpicis, in me
Experior morbos juris habere nihil,
Ut nuper, cum ſæva mihi quartana minata eſt

In

In longum ſegnes maxima damna dies:
Sed quia peſte magis, magis occidente veneno
Odiſti, virtus quicquid amare negat.
Eſt aliquid morbis, plus eſt mihi crede, mederi
Moribus atque animis ferre potenter opem.
Peſſima ſunt ſæcli contagia, tot malè ſanos
Inter & ægrotos qui valet, ille valet.

IN MORBUM
SPONSÆ
JOH. REIGERSBERGII

HÆc quæ te potuit domare prima
Effreneſq; diu ligare ſenſus,
Cepit, ſed pariter puella capta eſt,
Et contagia traxit in medullas
Flammæ nec tenuis, nec antè notæ.
Et jam pallida lectulo jacebat
Imis viſceribus faces anhelans,
Jactandoque ſuum fovebat ignem,
Quem ſtulti medici febrim putabant.
Hic tu ſedulus aſſides cubanti
Et tangis digitos & ora mulces.
Solum te videt, audit illa ſolum.
Et luſus faciles jocoſq; molles
Tanti jam putat ut valere nolit.
Sed mox fortior exilit cubili
Et formam recipit, ſuaſq; vires.

Quid

Quid mirum? gravis est Deus Cupido
Dum luctamur adhuc, levis sed idem
Cum victi dominum fatemur ultrò.
Sic nunc illa suo calore gaudet,
Et vitam putat hoc, quod ante morbum.

IN NUPTIAS U. C. JOHANNIS REIGERSBERGII.

ASpice cincta mari quem dat tibi terra triumphum,
Nata maris vasti fluctibus alma Venus.
Ille per innumeras elapsus sæpè puellas
Substitit & tandem fræna momordit amor,
Post populos visos, hausta sq; fideliter artes,
Post data sublimi jura regenda manu,
Hoc aberat votis, nam maxima sortis amicæ
Pars est, participem sortis habere suæ.
Illa etiam fœlix, facibus quæ debita veris
Spes non unius virginis una tenet.
Cernitis ut morbo nuper profecerit ipso,
Ut bona nil possit de febre forma queri?
Ægrotantis heræ magis ægrotabat amator,
Et febris illius, sed dolor hujus erat.
Hæc tormenta tamen magnâ mercede placebant:
Prospera non poterant fata probare fidem.
Erubuit fortuna suum scelus, & satis inquit,

Et

Et plus quam satis est hoc licuisse mihi:
Nunc mea tam maneant constantia semper in illos
Munera, quam constans pectora junxit amor.

IN
ALBUM
JANI RUTGERSII.

PIctus Apollinea stellantia tegmina lauru:
Qui domini vatis se probat esse liber,
Optime Rutgersi, non hic in plebe latentes,
Sed notas toto quærit in orbe manus,
Quas longæva manent constantis sæcula famæ,
Omnis quas cupiat bibliotheca suas.
Iste Casaubonos habeat liber, iste Thuanos;
Heinsiacas monstret gentibus iste notas.
Aurea doctorum recitatrix charta virorum
Nomina quæ tantum non moritura vehis,
Quid tibi nobiscum? quid nos procul ordine vulgi
Detrahis, & juxta sidera summa locas?
I tamen, & quæret siquis, narrare memento
Hoc tantum, domino me placuisse tuo.

IN

IN EFFIGIEM HENRICI MAGNI, REGIS GALLIARUM:

quæ eſt apud V. N. Cornelium Vander Mylen, Equitem.

QUantum aliis reges tantundem regibus extans,
Et bello, & belli victor, & ipſe ſui,
Hic ille Henricus, quo Gallia dante recepit
Fracta decus, mores barbara, pauper opes.

IN EFFIGIEM MARIÆ MEDICEÆ REGINÆ GALLIARUM; quæ ibidem.

OMnia contulerat magno victoria regi.
Sed deerat ſoboles, hanc Medicea dedi,
Ut quod, non periit, conjunx tibi Gallia debt,
Sic mihi quod poterit jam ſupereſſe tibi.

IN EFFIGIEM LUDOVICI REGIS GALLORUM, quæ ibidem.

VIvas parve puer, sed sic quoq; maxime regum
Publica cum cujus juncta salute salus,
Et cito te patriis doleant virtutibus auctum,
Qui scelere extinctum non doluere parrem

IN TUNINGII APOPHTHEGMATA.

OCto decemq; tibi primos absumpserat annos
Tuningi (vix est credere) torpor iners:
Nobilis ingenii dispendia flere liceret;
Sed facis ut lucro sint tua damna tibi.
Est grave sex annis Latialem discere linguam:
Hoc tua vis sexto mense peregit opus.
Verteris ad leges, citius quam discere cuiquam
Contigit, has alios nec sine laude doces:
Otia quis credat tanto superesse labori,
Sed quorum fructus ista papyrus habet.
Græcia, Gallus, Iber charta spectantur in una
Et gens quæ nunc est Itala, quæq; fuit.
Tam nova quam veterum benè dicta jocosq; tenere
Hoc aliis studium, sed tibi ludus erat.

Nil

Nil hic de toto ratio desiderat ævo,
Nec tibi nunc anni bis periere noveni.
Nam ne de vita decedat inutile tempus,
Vita sequens plus quàm bis numeranda facit.

IN ROCHI HONERDII Senatoris TRAGOEDIAM THAMARAM.

HErculeus labor, & soli fugienda Mycene
Scilicet, & scelerum tot rea prima ratis,
Et numquam Thebæ sine crimine, & aspera fata,
Quæ Trojæ victor, victáve Troja tulit,
Vatibus hæc Græcis, hæc declamata Latinis,
Non malè mentiri laus quibus una fuit.
Tu meliùs ficut doctumque piumque decebat,
Conjungis Tragicos cum pietate modos.
Nec reris cantare nefas, quæ credere fas est,
Nec tibi relligio est, relligiosa sequi.
Qui numeros, qui verba capit, qui pondera rerum,
Suspicit ut vacuæ nobile mentis opus.
Tu fervente foro, mediis in litibus ipse,
Successu dignum carmen, Honerde, facis.
Sancta senatoris gravitas in carmine lucet,
Et domini mores seria charta probat,

Ipsa pudore rubens trepidat scribentis ad ora
Regia fatidico nata parente Thamar:
Et metuens ne quid possit peccasse videri,
Vatis verba, notas judicis esse putat.

In Prætoria quædam Regia

ANGLIÆ.

Nonswich.

LUstranti silvas & devia tesqua Jacobo
Nonsuichi præses casta Diana fave:
Sanguinis humani manus hoc tam parca meretur,
Armatam in solas quam juvat esse feras

Hamptoncourt.

SI quis opes nescit (sed quis tamen ille?) Britannas,
Hamptoncurta tuos consulat ille Lares.
Contulerit toto cum sparsa palatia mundo,
Dicet, ibi reges, hîc habitare Deos.

Windsor.

EXcelsis Windsora sedens in collibus, astris
Vicinum regem quo licet usque facit.
Subter at arva beans Tamesis leniissimus amnis
Sic similem domino se probat esse suo.

Richemont.

IN Ricemontano jam jam moritura cubili
His adiit verbis Elisabetha Deum:
Hæredi moresque suos, mentemque relinque:
Fortunam atque annos da Pater Alme, meos.

IN ORGANUM MOTUS PERPETUI, QUOD EST penes maximum Britanniarum Regem.

PErpetui motus indelassata potestas,
Absque quiete quies, absque labore labos,
Contigerant cœlo, tunc cùm Natura caducis
Et solidis unum noluit esse locum:
Et geminas partes Lunæ dispescuit orbe,
In varias damnans inferiora vices.
Sed quod nunc Natura suis è legibus exit,
Dans terris semper quod moveatur opus:
Mira quidem res est, sed non nova, maxime regum:
Hoc fieri docuit mens tua posse prius.
Mens tua quæ semper tranquilla & torpida nunquam
Tramite constanti per sua regna meat.
Ut tua mens ergo motus cœlestis imago est,
Machina sic hæc est mentis imago tuæ.

IN FLORES MISSOS BARCLAIO.

HOs tibi, flos juvenum, dat nostra Batavia flores,
Et ne displiceant munera parva, rogat.
Telluri tam multa dedit natura Britannæ,

Possit ut hinc vobis nil nisi vile dari:
Si tamen adjiciant donis quid vota, peccabor
Ut triplici partu sit tibi fœta domus:
Et dominâ pueros, domino pariente libellos
Hortus & ipse suas edere certet opes.

IN DANIELIS HEINSII POEMATA.

IN diversa diu diversas pectora dotes
Contulit, & parcè larga Camæna fuit.
Quisque sui vates coluerunt carminis artem,
Singulaque ad laudem dona fuere satis.
Non opus est Flacco, lyra nec tentata Maroni,
Nec tetigit tragicos ille vel ille modos.
Nec tibi Naso, tibi nec credita plectra Properti,
Sed neq; Bilbilici vos decuere sales.
Romani solum Senecam novere cothurni;
Si velit hic elegos scribere, nullus erit.
Sunt & quos silvæ, sunt quos epigrammata laudant:
Justa quidem famæ causa, sed una tamen.
Nunc congessit opes, atque in te nobilis Heinsi,
Effudit totos prodiga Musa sinus.
Tu tandem inventus par donis omnibus unus:
In tot sufficeres qui bona, solus eras.
Tu lyricos cantus, elegos, epigrammata, silvas,
Tu tragicum carmen, tu grave pangis epos.

Itala te pariter celebrat, te Graia Camœna,
Tertiaque in partes noſtra Batava venit.
I nunc, & jacta tua nomina magna vetuſtas:
Ponimus hoc contra tot tua ſæcla caput.
Haud equidem quenquam, qui ſingula rectiùs iſta
Præſtiterit, vel qui tam benè cuncta, dabis.

IN EDIT. POEMATUM DANIELIS HEINSII

EN redit hic ad te, vatum pia gaudia, lector,
Qui nullus toto notior orbe liber.
Sed nova mundities, cultuſque acceſſit herilis,
Cumque recente vetus munere munus habes.
Non rectè ſcripſiſſe, ſat eſt, meliora reponit:
Et quod fama probat, non probat auctor opus.
Vicerat antiquos, & cui concurrere poſſet
Heinſius, haud quenquam ſæcula noſtra dabant.
Repperit ecce parem; contra ſe currere cœpit.
Siqua fides, jam ſe poſt ſua terga videt.
Deſine nunc operum, ſtudiis clariſſime vates,
Et cœli ſaltem jus imitare tui.
Omnia qui claudit, cum ſe quoque clauſit Olympus,
Hunc finem ſtatuit rebus, & ipſe ſibi.

IN IMAGINEM BUIESII, Senatoris.

ILle piè doctus, doctè pius, & modò primùm
Linquentis Batavos simplicitatis amans,
Quo sacra Buiesius, quo commoda publica rexit,
Quo res privatas, hoc datur ore tibi.
Nil optare queam majus tibi patria, multos
Quàm tales habeant curiæ, templa, forum.

AD POLYANDRUM, Theologiæ Professorem.

AUrea pax turbæ nimiùm sapientis abhorrens
Jurgia, Palladiâ dum struit urbe fugam
Ingenii, Polyandre, tui mirata serenum
Substitit, & tales fudit ab ore sonos:
Aut ego cum tanta rectè pietate morabor:
Aut mihi jam nullus restat in orbe locus.

ALBUM PHILIBERTI VERNAT.

AUrum qui videt hic & uniones
Quales vix pelagi rubentis ora

Mi-

Miratur teneris nitere conchis,
Ne credat domino placere libri
Hæc quæ prima ſolet putare vulgus:
Illi delitiæ ſeveriores
Sunt quas interior liber recondit,
Sanctæ nomina dedicata famæ,
Et cultu ſtudii pares amici,
Quorum gloria ſicut æquat aurum,
Sic mens candida vincit uniones.

DE CASU TURONENSI, AD REGINAM, REGIS GALLIÆ MATREM.

MAgni magna parens Regis, qua ſoſpite, noſtris
Non ſurdum votis credimus eſſe deum,
Quod te ſtante domus traxit pars alta ruinam,
Hoc etiam cœli non leve munus habes.
Nam quæ cura fores Superis, oſtendere mundo
Imperturbati non potuere lares:
Quin aliis quoque te propter Fortuna pepercit,
Quos trabe præcipites, ſed ſine morte, dedit.
Exarmat tua ſic omnes præſentia caſus:
Agnoſcit fatum Gallia noſtra ſuum:
Quod ſtetit illius, per te ſtetit: hoc quoque regni
Quod cadit, illæſum te relevante manet.

IN ORATIONES DANIELIS HEINSII.

POst dignum Latio pedem cothurno,
Post Rossæ teneras amationes
Scriptas carmine, quale Naso, quale
Romanus cuperet suum Philetas,
Post Flacc cytharam, tubam Maronis,
Post tantæ trimetros severitatis
Ut rugas superunt Catonianas,
Jam Demosthenicæ sititor undæ
Linquis Pegaseos, amice, fontes,
Regnans eloquio solutiore:
Dum nunc ingenii fluentis æstum
Libertas tibi Tulliana laxat:
Nunc facundia Plinium secuta
Constringi studet arctiore gyro:
Nunc docti Senecæ refert acumen
Densis pagina seminata gemmis,
Heinsi, vive diu, diuque de te
Certent Suada potens, novemque Musæ.
Quicquid nominibus prioris ævi
Æternam potuit parare famam,
Hoc in te liceat stupere solo.
Millenis facibus superba nox est
Astrum sufficit unicum diei.

AD
BENIAMINUM AUBERIUM, MAURERIUM,
Regis Galliæ legatum.

DEbeo multa tibi, quantum vix patria noſtra,
Quantum vix etiam Gallia veſtra poteſt,
Optime Maureri: tamen iſto pagina libro
Nulla eſt in laudes officioſa tuas.
Quid facerem? canerem tibi quæ reverentia ſceptri,
Caſibus & nullis cedere certa fides:
Aut tibi quàm conſtent ſapientibus otia chartis,
Quas ſcripſit Latium, quas dat Achiva manus?
Succumbant oneri teneræ Pimpleides; iſta
Dicere, da veniam, vix ſatis ipſe potes.
In reliquos aliquid liceat mihi; nomina tanta
Rectius eſt tacitâ relligione coli.

IN HONOREM
JACOBI DYCKII
Regis Sueonum legati.

SI faſtidia plebis & potentum
Moroſas, liber, oſcitationes
Te perferre piget, dabo receptum.
Hic qua limine conſpicanda primo

Urbes

Urbes ductibus æmulans aquarum
Campis se leviter sequestrat Haga,
Æterna trabe, nobilique saxo
Surgit magna domus minor struente.
Pulsis ipse foro suos penates
Jussit perfugium patere Musis,
Cujus consiliis gubernat aulam,
Quoque interprete noscitur Batavis
Rex qui sub gelido timendus axe
Binos Sauromatas fatigat armis.
Nullis lætior ædibus Thalia:
Lauro festa domus: strepunt superbi
Postes carminibus, sed Heinsianis.
Quod si judice Dyckio probaris;
Et tam docta tibi vacabit auris,
Ultra jam nihil est, liber, quod optes
Res est regia talibus placere,
Ostendunt sibi quos placere Reges.

IN MORTEM UXORIS JACOBI AUGUSTI THUANI.

CUm fera civiles Discordia redderet enses,
Et bellum nullo sumeret hoste furor,
Dum sibi quisque timet, ne vis immensa ruinæ
Privatas secum præcipitaret opes,
Securus solita pro libertate Thuanus,
Sollicitusque tibi, Gallia, solus erat.
Intactus studiis culpas damnavit utrinque,
Et contra partes pars stetit ipse duas.

Rur-

Rurſus, ait, rurſúſne miſer ſcelerata videbo
Prælia, & armatas in ſua domna manus?
Hanc das materiam noſtris, ô, Gallia Faſtis?
Hoc unum de te quod referamus erit?
Hoc ego ne videam potiùs quacunque merentur
Sæcula me cœli vindicis ira premat.
Inveniat vulnus patriæ ſine vulnere Fatum
Omne malum regno ſoſpite ferre leve eſt.
Audierat, nimiumque, polus; pax reddita cunctis:
Sed pia pro cunctis plectitur una domus.
Matronale decus, ſpecimen venerabile morum,
Dignaque tam magni conjugis uxor obit.
Quàm benè viderunt ſuperi, qua parte nocerent!
Publica vix tanti debuit eſſe ſalus.
Ille animus qui ſprevit opes, contempſit honores,
His tantum potuit luctibus eſſe minor.
De reliquis facile eſt ſolamen lene dolorum
Perdere, ſolamen vix capit iſte dolor.
Quid tibi dicemus vir noſtro celſior ævo?
Quam tibi nos humilis turba feremus opem?
Nil tibi ſuccurrat niſi tu, ſed pectore, quanto
Geſta prius memoras, & memoranda geris.
Exemplum te grande ſui Conſtantia poſcit:
Quid valeat virtus jam didiciſſe licet.
Impia concurrit toti fortuna Thuano.
Par nullum potuit majus in Orbe dari.

JANO

JANO RUTGERSIO,

Suecor. &c. Regi à Consiliis, in Sueciam abeunti.

VOs quæ cæruleo nescitis gurgite tingi
Custodes axis magna minorque feræ,
Suppositum vestris petit en Rutgersius orbem
Sideribus, patriæ fidus & ipse suæ.
Incolumem præstate ratem, bona plurima secum
Quæ vehit, Arctoæ non benè nota plagæ.
Ad juga Sævonis, glacialique æquore cinctas
Lappionum terras, & Scritofinne, tuas
Actææ veniunt artes, Romanaque Suada:
Barbariem longè qui fuget, hospes adest:
Qualis præcipitem vates Oeagrius Hebrum
Sithoniâ fertur detinuisse lyrâ;
Qualis & ille solo dignus meliore Poëta
Plaustrivagos docuit verba Latina Getas.
Sed satis est uti, Sueones: nîl poscite majus:
Credidit hoc vobis terra Batava caput.

AD

AD PETRUM SCRIVERIUM

VItam quæ faciant beatiorem
Cantando tuus ille Martialis,
Tu multò meliùs doces agendo,
Scriveri, redivive Martialis.
Quicquid Græcia, Roma quicquid olim
Fama condidit arbitra probatum
Uno compoſitum tenere tecto:
Nulli pendere temporis tributum,
Sed pro jure ſuo diebus uti
Ignaris domini, nec elocatis:
Si quando libuit, vetuſta vatum
Dulci ſæcula provocare verſu:
Aut priſcos patriæ novare faſtos,
Norit poſteritas ut omnis, auctu
Quo ſe protulerit Batava virtus,
Quæ ſecura ſui nihil paveſcens
Jam longè poſitos tuetur Indos:
Aut doctas veterum polire chartas,
Quas Mars, quas ſib Terminus ſacravit,
Et votis ſitientibus petitum,
Qualem ſtella legebat, aut Secundus,
Talem nunc redhibere Martialem:
Hæc ſunt (audiat ipſe Martialis)
Vitam quæ faciunt beatiorem.

HUGONIS GROTII

EPIGRAMMATUM

LIBER SECUNDUS.

EPI-

HADRIANI CRATIS

EPIGRAMMATUM

LIBER SECUNDUS

EPI-

EPIGRAMMATA
IN
Illustrissimi Principis
CURRUS VELIFEROS.

EPIGRAMMA I.
AD
PRINCIPEM MAURITIUM.

MAxime florentis patriæ pater, optime vindex,
Ille novi domitor quem tremit orbis Iber,
A Batavis Princeps, animum demittere curis
Si vacat & menti si datur ulla quies:
Hæc de Velivolo quæ sunt mihi condita Curru
Scripta legas, versu supplice charta rogat.
Tempus erit, grandi nixus sublime cothurno,
Oppida sub leges cùm tot iisse tuas,
Cumq; triumphatas in Flandro littore gentes,
Et Turenhoutani Martis opima canam.
Interea tenero prælusi carmine: Princeps
Da veniam, propero quòd placuisse tibi.

II.

DIvûm posteritas amica, currus
Versu disce brevi: Deûm parentem
Vexeruut Berecyntiam leones,
Et sacri socium ruroris Attyn.
Deducunt aquilæ Jovem per auras.
Delphines pelagi per alta Consum.
It Phœbe gemino superba cornu
Mnlis Endymionis ad cubile
Captivos agitat Diana cervos.
Cygnos alma Venus, (sed & columbas)
Et cum Pieris Apollo Nymphis.
At sol gaudet equis, & ipse Mavors.
Gallus Mercurio dicatus ales.
Angues sub juga vomeris repertor
Misit Triptolemus, Proserpinæq,
Mater flebilis, Æsculapiusque
Primævusque sator fugacis anni.
Pavûm biga trahit Jovis sororem.
Indorum rapuit per arva tigris
Vinctum tempora pampino Lyæum;
Et mistam Satyrum choro procaci
Cinctam nebride Mænadum cohortem.
Unum Mauritium tulêre Venti.

III.

FAssus Iber Batavos domito regnare profundo
Inter subactos cæruli fluctus sali,
At terrâ vincetur, ait, tamen; illa nec austro,

Nec

Nec in tumenti carbaſo patet via.
Falleris, ô demens, ſpe circumventus inani,
Et illa noſtra eſt nil reliquimus tibi.
Si non Lugduni ſatis es memor, aſpice Currum:
Genti Batavæ, cùm placet, tellus mare eſt.

IV.

HActenus immẽſum Batavi decurrimus æquor,
Oceani nobis invia nulla via eſt.
Vidêre Amſtelias vada Calpetana carinas,
Vidit in oppoſito littore fuſcus Arabs:
Quaq́; Magellanum cohibent freta fervida Mun-
Quaq́; procelloſas Java colorat aquas; (dum,
Quaq́; ruit Ganges cognato turbidus auro
In mare, & Arctoo quà riget unda gelu;
Nerea Cattorum ſoboles conſumpſimus omnem.
Jam nihil eſt ultra: velificatur humus.

V.

CUm ratis æquor arat ventos ſibi nacta ferentes
Oppoſitas rapidis motibus urget aquas:
Altiùs in ſurgunt adverſis fluctibus undæ,
Et lîquidi tardant objice montis iter.
Dum rapiunt flatus, vis ſe ſublimior effert
Gurgitis: ipſa rati ſic facit aura moram.
Viderat hoc Princeps (quid non videt ille, parentis
Viſcera qui Terræ novit, & aſtra poli?)
Viderat, & ventos non ultra paſſus inertes

Hoc dedit excelſæ nobile mentis opus.
Impoſuit plauſtro vectantem carbaſa malum,
An potiùs navi ſubdidit ille rotas?
Velificans currus Batavam prælabitur oram,
Nec benè ſcit quanto pondere preſſus eat.
Puppe ſedens Princeps medius terramq; ſalumq;
Deſpicit, imperii cenſor utrinque ſui:
Et modò viſurus ſpatium poſt terga relictum,
Vertit ad emenſas lumina ſacra vias:
(Nec tamen immiti littus licet omne procellâ
Perſonet, adverſus verberat ora notus:
Ille quidem poterat vultus metuiſſe videri,
Sed currus ventos effugit ipſe ſuos:)
Et modò vicinas oculos cùm flectit in undas,
Miratur triplo tardiùs ire rates.
Scandit aquas navis, currus ruit aëre prono;
Et meritò dicas, hic volat, illa natat.

VI.

QUi videt in Batavo volitantem littore currum
Refluus æquoreæ dum fugit æſtus aquæ,
Qua via vix anguſta patet (nam cærula Tethys
Hinc premit, hinc alto ſurgit arena jugo:)
Attonitus flabris tolli fælicibus alnum
Cernit, humi tenues vix ſupereſſe notas.
Quid foret ingentis ſi vaſta per æquora campi
Indefinito calle pateret iter?
Tunc etiam latus ambiguis ſtringentibus auris
Audeat obliquo carbaſus ire noto:
Aut adverſo etiam, ſi navita more Batavûm

Flectat

Flectat in alternos lintea versa sinus.
Quis non Mauritii miretur seria, cujus
Tanta vel hic unus seria lusus habet?

VII.

QUi Scyllam veterem, & Lyciæ portenta Chimæræ,
Quiq; Ixionidas, semivirumque bovem,
Vera negas, post hac ne sis incredulus, istud
Materiæ dium cerne biformis opus.
Cerne sinus, axem, capsum, carchesia, clavum,
Absida, paxillum, stamina, rostra, fotos;
Flammineq; antennam stringi, sufflamine currum:
Seq; ratim cœlo ferre, rotamq; solo.

VIII.

DEfensor patriæ, patrisq; vindex,
Quem miratur Eos, tremitque Vesper,
Pulsum fluctibus æquoris Batavi
Littus navigat insolente curru;
Et raptis celeri repentè velo
Sulcat Cattigenûm rotis arenas.
Vi mistus Zephyri tepentis Auster
Implet carbaseos sinus: locorum
Vanescunt spatia essedumq; velox.
Vectum remigio fugacis auræ
Semper littoreas novas, novasq;
Et cernit simul, & relinquit Alpes.

Vidi: quatuor & decem duabus
Terræ millia permeantur horis:
Et trabs fluctibus impedita nullis
Æquat pænè suos citata ventos.
Quicquid præpetibus levatur alis,
Quicquid per liquidas movetur undas,
Hic Currus suberat; sed una Currum
Vincit Mauritiæ quadriga Famæ.

IX.

NOn ita, cùm jacuit major prope littora cetus
Hîc ubi Cattorum nomina vicus habet,
Obstupuit Batavi Neptunius accola Ponti,
Quàm cùm velivolas vidit abire rotas.
Hanc ne, ait, hanc Argo posset quæ vincere molem,
Palladis est patruo gratificata manus?
Hocne, ait invecto nuper per littora Curru
Rege maris sensit terra tridentis onus,
Cum pavidi, atque animo metuentes ultima rerum
Fundamenta soli vidimus ima quati?
Fallor? an aspicio Nymphas, & aplustre sub ipsum
Tritonis rauco murmure concha sonat?
An Zephyrum Chloris, Borean vocat Orithyîa,
Et vehitur flabris ille, vel ille suis?
An magis Hippotades collatis utribus illuc
Res sibi Neptunum jussit habere suas?
Omnia mentitur dubius sibi, verus in uno,
Quòd dominos Currus credidit esse Deos.

Dum

X.

DUm ruit hic currus, ſpectans in littore nuper
Nauta ſuæ nimiùm vela propinqua Pharo,
Omnia, ait, periêre, ferus tenet omnia Pontus,
Quoq́; fuit ſpatium littoris, æquor habet.
Falleris: eſt illic Batavûm tutela, ſaluſq́;,
Patria quo ſoſpes ſoſpite ſemper erit.

XI.

AUræ jugales, & quadriga ventorum,
Latè patentes quæ per aëris campos,
Vaſtumq́; inane, ſpiritus vago curſu
Servis Batavæ gentis imperatori;
Ite, ite ad aſtra ſede fulta ſublimi,
Collegioq́; nuntiate cœleſti,
Naſſaviarum ſtirpis inclytum germen
Viciſſe forti Martis impetu terras;
Viciſſe fluctus, atque jura Neptuni:
Nunc & ſubacto patris Acoli regno
Dictare leges impotentibus flabris.
Flammata cœli templa & aureos ignes
Reſtare tantum: namque & illa debentur.
At nos precamur Civitas Batavorum
Ne jura Olympi vindicet, niſi ſerò:
Sed hîc moretur, differatq́; contentus
Cepiſſe cœlum mente, dum vias Phœbi,
Lunæq́; motus, ſiderumq́; permenſus
Auſus profundos æmulatur Euclidis,

Solertiæq; acumen Archimedeæ,
Peluſioſque ſubjicit ſibi faſtus.
Hîc voce malit plebis, & ſenatorum
Princeps paterque patriæ ſalutari:
Hîc ſæpè fuſis gentis Aſturum turmis
Victrice lauri vinciat comâ frontem,
Iſtoque curru gaudeat triumphali.

XII.

SÆcla forent veterum tanto ditata reperto,
Deucalioneas quis metuiſſet aquas?
Claude pice, & multo defende bitumine currum,
Jam poterit pariter navis obire vicem,
Perque ſolum, perque ire ſolum: vada naufraga ceſſent,
Si velis tellus curritur, unda rotis.

XIII.

HIc poterat currus mundo præſtare theatrum:
Hunc mihi ſi dederis, Sarmata factus ero.

XIV.

CURRUS LOQUITUR.

DA mihi ſidereos in cælo Jupiter ignes:
Non ego primus ero, ſunt ibi Plauſtra duo.
Me quoque in Arctoâ ponas regione licebit,

Ne

Ne mihi pulvereas abluat unda rotas.
Iam didici vitare ſalum, dum littora curro,
Iam didici longum carpere ſiccus iter.
Sic ego quæ fugio nunquam Tarteſſia tangam
Flumina, & Heſperio tam procul orbe ferar.
Da mihi quæ Delphin etiam, quæ munera Taurus,
Quæ tulit aurato vellere dives Ovis
Plus erit Europen, vel Arionа ferre, vel Hellen,
Quam Ducis invicti juſſa, manumque pati?
Nec ſolo vectore (ſat eſt tamen) hæc mihi poſco
Præmia; ſit curſus iſta corona mei:
Non mihi præripiat palmæ victricis honorem
Aut Aquila, aut Ledæ gratus adulter Olor,
Aut patrium findens talaribus æthera Perſeus,
Aut celer invicti Bellerophontis Equus.
Sidus Erichthonio celeres meruêre quadrigæ.
Hic honor inventis invidioſus erit?
Fulget in æthereis Pagaſeïa ſedibus Argo,
Humentes tantum docta ſecare vias:
Seu das, ſive negas, nil Pindo, nil opus Oſſæ:
Me meus in ſtellas Axis & Aura ferent.

XV.

BIs tulit iſte decem ſeſſores Currus, & octo:
Scilicet & numerus quod ſtupeamus habet.
Juſtiùs ipſa tamen miremur pondera; puppi
Mauritius cœli maxima cura ſedet.
Mauritio Cimbri germanus, & alter ab ipſo
Henricus noſtris ſpes nova rebus adeſt:

Naſſæ

Naſſaviiq; Duces alii, gens cognita bello.
Pluraque Teutonica nomina nata domo.
Tu quoque Gallorum certiſſima Regis imago,
Buzanvale, decus, præſidiumq; meum:
Et Pictum genus, & Celtarum Heroïca turba
It comes, & Batavæ nobilitatis honos.
Teſtis adeſt captivus Iber, cui Cantabra circùm
Littora, & Heſperii paruit unda freti.
Nec minimum hoc inter Batavæ ſpectacula terræ
Legati referant quod tibi, Cæſar, habent.
Nam quid ego aurigas referam, clavíq; magiſtros
Quiq; regunt curæ credita vela ſuæ?
Quod niſi noſtra loqui poſt nomina tanta vererer
Vectorum Grotius pars quota cunque fuit.

XVI.

REgius Arragonum ſanguis, quem Bructera tellus
Horruit, & Rheni prima bicornis aqua,
Captus in hoſtile traheris, Mendoza, Triumpho,
Quàm ſubito faſtus detumuêre tui!
Te tenet Æolius carcer, te littore noſtro
Velifero in curru mobilis aura rapit:
Qualem Pleumoſiûm ſi tunc habuiſſet arena,
Victorem poteras anticipâſſe fuga.

XVII.

UNus erat nuper volitans ſine cõpare currus;
Nunc toto claſſis navigat ipſa mari.

Phœbe,

XVIII.

PHœbe quid attonitus nos aſpicis? aſpice verò:
Hoc curru poteras accelerare diem.

XIX.

DE INVENTORE.

VEntivolam Tiphys deduxit in æquora navim
Juppiter in ſtellas, æthereamq; Domum.
Interreſtre ſolum virtus Stevinia: nam nec
Tiphy tuum fuerat nec Jovis iſtud opus.

XX.

DE IMAGINE.

ALter in antiquo Cattorum littore Currus,
Alter in hac tabula viſitur, arte pares.
Illum qui numeros & rerum pondera novit,
Qui fluxum æquoreæ comperit unus aquæ,
Et motus terræ varios Stevinius auctor
Juſſit arenoſæ credere vela viæ.
Egregius veri ſimulator Geynius iſtum
Spectandum magnis regibus ære dedit.
Jam puto decepti venient ad ſuppara venti:
Hoc ſcio per terras non minus iſte volat.

DE

XXI.

DE EADEM.

ARtifici formata manu ſpumantia Nerei
Cærula, & obliquis æquora torta vadis,
Criſpataſq; vides undas, ubi gurgite vaſto,
Marmoreiſq; ſali fluctibus acta ſonat.
Subdola ſollicitæ diffundunt retia cymbæ,
Et ſecat immenſum picta Phaſelus iter.
Expectant dominum captivi in littore piſces,
Invitatq; maris præda novella gulam.
Delicias Batavûm, nondum miracula cernis:
Hactenus eſt oculis indubitata fides.
Intercepta volant celeri vectabula vento,
Et rapidis tangi littora ſumma rotis
Orbita perſuadet: palantes colligit auras,
Et per inane vetat flabra perire ſinus.
Propter anhelantes ſudantibus undique membris
Turgida ne quicquam vela ſequuntur equi.
Deficit ipſa canum venatica turba, negatq;
Feſſa graves æſtus poſſe, ſitimq; pati.
Spectantes animo pendent procul, & ſua vertunt
Si ſemel à Curru lumina, Currus abeſt.
Omnia quæ doctis imitatus in ære figuris
Conſpicuus cœli Geynius arte dedit.
Quid valeant voces? eadem videt omnia Lector,
Et timet hæc eadem credere: Muſa tace.

XXII.

DE ICHNOGRAPHIA CURRUS.

Icarios hoſpes noli trepidare volatus:
Præſcripto poteris Dædalus eſſe modo.

EPI-

EPIGRAMMATA,
de rebus gestis ductu
PRINCPIS MAURITII.
TETRASTICHA.

CLASSIS HISPANICA.
DEPULSA ANNI CIↃIↃLXXXVIII.

QUæ metus Orbis erat, vectores sparsa per orbem
Disiicit, & pictos Classis Ibera Deos.
Naufragium Tellus divisit, & Ignis & unda.
Uno non poterat tanta perire modo.

BERGA AD ZOMAM
obsiditione liberata.

SPerabas nostræ tibi propugnacula Bergæ:
Proditus hoc pretium proditionis habes.
Desine quas etiam Batavi jam novimus artes,
Aut si quos falles, Itale, falle tuos,

BREDA VICTA.

ASpicis Iliacam (quid enim discriminis) arcem.

Nonne

None vides? laxat clauſtra, viroſq; Sinon.
Prima Neoptolemi fuit hæc victoria noſtri:
Pelide major nox erit ille ſuo.

Eadem.

Hollandos non immerito mirabitur hoſpes
Ad Vulcani uſum cæſpite poſſe frui.
Dic mihi jam quanto melius mirabitur idem,
Perficere Hollandos cæſpite Martis opus?

Eadem.

Arx Bredæ munita ſatis: ſed cauſa tenenti,
Quæ munimentis fortior una deeſt.
Quid juvat excubiis non recte parta tueri?
Pro juſtis dominis excubat ipſe Deus.

Eadem.

Falleris hanc duci quï credis ab hoſte carinam:
Fata ratìm nobis ſemper amica trahunt.
Illa ſubit, mediæq; minans illabitur Arci:
Scilicet hæc hoſti cymba Charontis erit.

Eadem.

Tu quæ ſæpè alias improvida capta fuiſti,
Nunc quoque ſic domino reddita Breda tuo es.
Res ceſſit ſemel iſta tibi fæliciter: at tu
Diſce tuis etiam cautior eſſe bonis.

ZUT-

Zuthphania Capta.

Acceſſit tirulis etiam Zuthphania noſtris
Non niſi Mauritio Principe digna capi
Spe nihil eſt citius, tamen hanc Victoria vincit:
Obſediſſe grave eſt credere, victor erat.

Daventria Capta.

Tu quoque militibus ſuperata Daventria noſtris
Subtrahis Heſperio libera colla jugo.
Nil tibi profuerunt duplicatis mœnia muris.
Mentior? an victæ profuit eſſe tibi?

Prælium ad Cnodſenburgum.

Duplicis Heſperiæ populus dediſce furorem:
Incipe jam Batavis, Mauritioq; mori.
Quid facies contrà cum ſtabunt agmina campis,
Si noſtrâ ſalvus non potes eſſe fugâ?

Hulſta Capta.

Non ſine victoris vinci quæ clade putatur
Hulſta, tamen minimo victa labore tibi eſt.
Maxima res, Princeps: quamvis urbs capta fuiſſet
Scilicet, ut rurſum poſſet ab hoſte capi.

Neomagum Captum.

Quantumvis tot ſæcla tibi Neomage putentur,
Una tot eſt ſæclis lœtior illa dies,
Quâ tu Naſſavios auxiſti capta triumphos.
Quin potius nunc es libera capta prius.

Ste-

Stenovicum Captum.

OBsidio, Princeps, Stenovici (audacia tanta
Est animi) clauso vulnus ab hoste capis.
Cum Mavorte tibi facit hoc commune vetustas:
Sed læsum victis parcere posse, tuum est.

Covordia Capta.

MAuritio major non crevit gloria, quam cum
Dicta prius nulli victa Covorda fuit.
Nec se quippe duci similis locus obtigit unquam,
Passus erat similem nec locus ille ducem.

Gertrudisberga Capta.

INgenio munita loci, virtute Philippe
Desperata tibi Gertrudeberga capi,
Empta fuit nummis: nobis virtute recepta:
Et nummos & plus scis periisse tibi.

Covordia Obsidio Liberata.

MAuritius victam levat obsidione Covordam
Robur id est socii, quod prius hostis erat.
Materies nostris poteritne deesse triumphis,
Laurea si ex uno bina petita loco est?

Groninga Capta.

TEmpore quod multo vinci Fortuna Groningam
Noluit, hoc Princeps gratificata tibi est.
Scilicet hoc ipso, quod tot per sæcula nulli
Cesserat, annorum fœnore crevit honos.

Sup-

SUPPLICIUM DE PARRICIDA SUMPTUM.

VEndere Mauritii ſacrum caput auſus Ibero
Heſperius pretium triſte Photinus habet.
Si pereant, quotquot nolunt te vivere, Princeps,
Quam bene tot conſtet mortibus una ſalus!

GADES EXPUGNATÆ.

OCcidui cenſus prædata Britannia Phœbi
Et Gaditanas nauta Batavus opes,
Roſtra refert patriæ Tyrio ditata triumpho,
Non aliter vinci Punica regna ſolent.

ITINERA INDICANA.

SIdera ſub pedibus poſitum quæ pingitis axem,
Hæc procul Arctoo claſſis ab axe venit,
Libera gens: nomen Batavi: ſpes ſola laborque,
Unum ne dominum norit uterque polus.

NAVIGATIO MARIS CRONII.

HIc inter terræque nives glaciemque profundi
Parrhaſis ignotas educat urſa feras.
En ſolem Batavi poſt terga reliquimus ipſum:
Hic quo nos unda venimus, unda perit.

AD TURNHOUTAM FÆLICITER PUGNATUM.

HActenus invictâ satis est pugnasse dolabra:
Debetur nobis major ab hoste cruor.
Qui Martem præ pace petit, damnabitur illo
Judice; nos facient prælia nulla reos.

BERCA ad RHENUM CAPTA.

Berca sequi neutras partes juraverat, atqui
Hesperias partes Berca secuta fuit.
Quas agitas fortuna vices? fælicius unum
Restitit, has partes Berca coacta sequi.

MURSIA CAPTA.

Mursia Mauritii cessura valentibus armis
Præcipiti Rhenum currere vidit aquâ.
Rhenus ait; Mosæ jam nuncius ibo triumphi,
Mox quoque communi sub ditione fluam.

GROLLA CAPTA.

Grolla quid ostentas præcinctam mœnibus urbem,
Et foveis? nobis, non tibi, fortis eris:
Aut quia Libertas sociis te vindicat armis,
Jam simul & nobis, & tibi fortis eris.

BRI-

BREFURDIA CAPTA.

Dum licet oblatæ Brefordia fœdera pacis
Suſcipe, res urget, ſuſcipe, tempus abit.
Ah! quæ vos veſtri tenuit fiducia? quantum
Fortibus, ah! vobis eſſe, nec eſſe nocet?

OLDENSALIA CAPTA.

Antiqui Salii generis primordia noſtri,
(Nam Francos etiam nos numeramus avos)
Suſcipite imperium ſobolis: ſi credimus, Alba
Cum Romana fuit, libera viſa ſibi eſt.

LINGA CAPTA.

Linga quid expectas? cerniſne ut Principis armis
Submittat famulâ cornua Rhenus aquâ?
Cede citò, captis jam ter tribus urbibus una
Digna tuo fies meta laboris hero.

CETUS IN LITTORE EXPOSITUS.

Exul aquæ longo porrectus littore cetus
Spectandum Cattis corpus inane jacet.
Tu quoque quæ noſtris inhias gens Bætica regnis;
Non fert Oceanus monſtra Batavus, abi.

BOMMELA DEFENSA.

INsula quam Vahalis, quam Mosa faventibus undis
Circuit, Hispano vota laborque fuit.
Vota sed & sumptus, operaque; & tempus, & urbem
Perdidit ecquid adhuc? se quoque perdat Iber.

CANARIA INSULA EXPUGNATA.

FOrtunata vocor Maurorum proxima terræ
In Vespertinis insula dives aquis.
Fortunata mihi tu verius insula Rheni,
Fortunæ spoliis insula læta meæ.

WACHTENDONCKA CAPTA.

WAchtendoncka tuos hyberno frigore muros
Nassaviæ subito perdoluere manus.
Fælices nimium quibus omnis militat annus,
Permittit sterili bruma nec esse sibi.

MUNIMENTUM ANDREANUM CAPTUM.

MIles, ait Princeps, castri cui tradita cura est,
Hoc tu, ne cogar cogere, trade mihi.
Istud ab hoste mihi castrum, tibi debita merces:
Si capis istud & hanc tu dabis & capies.

AD NEOPORTAM PRÆLIO FÆLICI CERTATUM.

ÆQuatâ virtute diu trepidavit Enyo,
Hic ubi nunc Flandri littoris ora rubet.
Commendare ſuum voluit victoria donum:
Mauritio caſu vincere, non ſatis eſt.

NAVIS PRÆTORIA APUD ANTWERPIAM CAPTA.

LIntribus à noſtris capitur Prætoria puppis,
Velivolo vehitur carcere victa cohors
Ipſe pater Scaldis favit tam fortibus auſis,
Et ſtrepitum remi diſſimulavit aqua.

BERCA RECEPTA.

ABſtulerat Bercam ſociatis fœdere Belgis.
Ardoris gemini pernicioſa lues.
Rhene pater gaude; magni Ducis hoc fuit hoſti
Dextera, quod nobis peſtis & ignis erant.

OSTENDA FORTITER DEFENSA.

QUi Batavûm numeras partos tot ab hoſte triumphos,
Oſtendam ponas hac quoque parte rogo.
Cladibus immenſis & ſumptibus & tribus annis.
Hoc modo lucrari, pedere, non capere eſt.

GRA-

GRAVIA CAPTA.

Gravia jam nobis petitur, Mendoza; videsne?
Hoc tanto cinctus milite, nempe vides?
Cur? nisi quod vetus est urbes jam tradere: pugnâ
Sed plusquam satis est succubuisse semel.

CLUSA CAPTA.

Vulnere cum nullo vallum potuisset & incus
Multa manus, Clusam tradidit una fames.
Cur non Lugdunum potuit prius? altera res est.
Esurit hæc dominis: esurit illa sibi.

AD CALPEN NAVALI PRÆLIO FÆLICITER PUGNATUM.

CLausit Ibere tuas Calpe quæ naufraga pœnas,
Te doceat pacem, sed sine fraude pati.
Parce tibi posthac, Batavos neu vincere cogas:
Cernis ut ipse regat, quæ dedit, arma deus.

ALIA. DE EXPEDITIONE IN FLANDRIAM.

Flandria, si nondum periisti tota, nec idem

Qui

Qui domuit vires pectora fregit Iber:
Heu famulaturos saltem miserare nepotes!
Quid causæ dubitas ipsa favere tuæ?
Militat invictis tibi tota Batavia castris:
Et Valachrus sociam trans mare mittit opem.
Hæc amissa tibi Libertas obtulit arma;
Nequicquam: quærunt, proh dolor, arma manum!
At tibi servitium civili sanguine constat,
Atque emitur magno nîl nisi regna pati.
Perpetuum posthac tellus ingrata valeto,
Digna vel hoc ipso, vel graviore jugo.

CLADES ANTE PRÆLIUM FLANDRICUM ACCEPTA.

Thermopylas inter regem comitata ruentem
Persarum victrix, dum cadis ipsa, cohors;
Calphurnique manus, quæ vincere fessa laboras
Hæredem patriam mortis habere tuæ:
Et Cario valdæ veteri spectata Cheruſco
Funera, (nam Batavos justius ista loqui)
Et socios laudis, quorum pereuntia nuper
Corpora Bæticolis opposuêre moram.
Quanquam aliis vindicta datur, pelagusque cruentum
Cœdibus, & signis despoliatus Iber,
Plus tamen his actum: reliquis victoria præsens
Traditur: his pretio sanguinis empta fuit.

QUÆ PRÆLIUM FLANDRICUM ANTECESSERUNT.

TEmpus adest pugnæ; poscunt sibi prælia dextras:
Utraque pars alacri tendit ad arma manu.
Solvere Mauritius jubet omnes littore naves,
Exitio nobis ne foret ista salus.
Claudimur hic utrinq; malis, ait, hoste, mariq;ue:
Æquor enim hinc: illinc æquore pejor Iber.
Aut bibet Hesperium gladii gravis ira cruorem,
Aut vos lethiferas ore bibetis aquas.
O quam certa fuit victoria, Principe tali!
Per quem spes certæ non fuit ulla fugæ.

DE PRÆLIO FLANDRICO.

NAssavii manes & magni Principis umbra,
Suscipite Hesperii sanguinis inferias.
Si neque jamdudum Neomagi ad mœnia cæsa,
Nec prope Turnhoutum corpora sufficiunt,
Sint satis hæc quæ nunc Neoporta cadavera vidit.
Pro geminis unum fama loquatur opus.
Hactenus in numero victoria constitit; at nunc
Vix numero poterunt, qui cecidere, capi.
Unius insontis quàm multo fœnore cædem
Persolvit vindex Mauritiana manus!
Ecquem non habuit populum pro teste triumphus
Principis? in speculis Belgica tota fuit.

Hic

Hîc Gallo Germanus adeſt, junctuſque Britanno
Perfidiæ exemplum Scotus Ibere tuæ.
Vox diverſa ſonat: ſed vox eſt militis una,
Sit mihi dux ſimilis ſemper, & iſte diu.

DE EODEM.

Numerale.

VIncitur Albertus Quintilis ſole ſecundo,
Mauritius vincit: belligerante Deo.

SPOLIA EX PRÆLIO ordinibus offeruntur.

QUi vobis didicit ſperare, timere, magiſtris,
Doctrinæ hæc, Proceres, præmia mittit Iber.

SYMBOLICUM.

AUrea Libertas uno commiſſa maniplo
Aſtringit nodis Belgica pila ſuis:
Dumq; Aquila Auſtriadûm curvis divellere tentat
Unguibus, in domitus vindicat iſte Leo.
Rex avium dicare licet, pugnare Leoni
Non poteris,; ſi vis ſalvus abire, vola.

DE INDUCIIS.

ARmorum paciſq; potens, ſed pacis amator
Magne Deus, ſolum quem pia vota colunt,
Quando ita nos meriti, ſpes ut ſit adempta vel armis
Vincere, vel certa poſſe quiete frui,
Et tua juſtitiæ bonitas permiſta ſeveræ
Ambiguis hinc ſpem temperat, inde metum:

Non

Non tamen interea tua fas benefacta fileri.
Fæderibus partes cum coïere duæ.
Si non arma simul, simul omnes ponere curas,
Oblitoque diu vivere more datur:
Sed non oppositis horrebunt littora signis,
Nec face percurret rura tremendus eques:
Castra nec ad portas, in portis altera castra
Et capti frangent & capientis opes:
Quodque nefas dudum, pacem laudare licebit,
Atque odiis aliquem ponere velle modum.
Ne tamen insidiis marcentia corda paterent,
Bella cupit metui ceu reditura Deus.
Convenit, ô! nobis hæc quàm benè regula, quæ nos
Esse jubet cautos, & vetat esse feros.

EROTOPÆGNIA CATULLIANA.

DEDICATIO.

NUper cura gravis, ſed nunc mihi ſumma voluptas,
Quam verâ poſſum dicere voce meam,
Aſpice quos pellecta tuæ dulcedine formæ
Pertulerit motus ſaucia mens animi,
Carmina nequicquam ſpero dum poſſe mederi
Pectoris ægroti ſollicitudinibus,
Quas tu, pulchra, tuo ſedaſti lumine, ſola
Detergens omnem cordis amaritiem.
Ergo nauta velut longinquis ſoſpes ab oris
Æquora devotas intulit in tabulas,
Neptuno quas ſolvit & Inoo Melicertæ,
Quique alii ſævis fluctibus imperitant.
Sic ego, te poſtquam noſtri, formoſa, miſertum eſt,
Hanc tibi do exacti temporis effigiem,
Dicat ut in noſtris ſuſpirans verſibus olim
Eodem tacta animum vulnere poſteritas,
Fœlix ille tamen qui millia multa laborum
In dominæ dulci depoſuit gremio.

ACUS.

Aurea, ſed quovis, acus, ô pretioſior auro!
De dominæ pulchro rapta capillitio,

Quod

Quod tibi formoſos non eſt diſtinguere crines,
Fulgere & celſo vertice conſpicuam,
Ne nimium lege: nam non tu furis avari
Præda, nec hoſtiles te rapuere manus,
Sed miſer indomitæ quærens ſolatia flammæ
Hinc, ubi ſe amiſit, te ſibi cepit amans.
Riſit adhæc certe feſtinus furta Cupido,
Et dixit telis nil opus eſſe ſuis.
Fertur enim raptor ſpolio ſpoliatus ab ipſo,
Et tantum aſpecta cupide vulnus habet.

DESPERATIO.

Non amo, nec poſſum, qua ſpes eſt poſſe potiri,
Quamque amo ſpes nulla eſt, hac miſer ut potiar.
Alma Venus, quin huc ubi ſpes eſt mittis amorem,
Aut facis ut ſperem, quam meus optat amor?
Dura negas? quid nunc faciã, quid non, mihi quando
Nec ſperare illic, hic nec amare licet?
Optio difficilis; tamen huc deſcendere certum eſt.
Adſit amor ſine ſpe, ſpes ſine amore, vale.

SPECULUM.

Hoc ſpeculum toto quo nullum eſt pulchrius orbe,
Sed tunc, cum tua te monſtrat imago tibi,
Te ponè intuitus video quid neſcio tale,
Quale roſæ flagrant, quale nitent violæ.
At ſimul accedens propius mox totus inhæſi,
Nil præter pallorem invenio & maciem.

Tum

Tum mihi, quid faciesinquam, miſera omnia tecum
Qui fers, & veniens omnia pulchra fugas?

LACHRIMÆ.

Fælices lachrimæ longis ſolatia flammis,
Sola relicta meæ gaudia triſtitiæ,
Fælices equidem, ſi tam vos quæ facit illa
Diligeret, quam qui perpetuo patior.
Sed nunc, cum duros ſilices emolliat unda,
Illa meis contra fletibus obriguit.
Vos tamen ô ne me miſerum, lachrimæ, linquatis,
Quin faciles mœſto ſemper adeſte mihi,
Donec deficiat vultus, dominæque ſuperbæ
Ante oculos damnatam effleat hanc animam.

OCULI.

Mœſta refert quoties oculos mihi mentis imago
Crudeleſque tuos, heu miſeroſque meos!
Miror quod tam ſæva mei patiuntur ab illis,
Quos magis ipſe meis ſemper amavi oculis.
Aut ſi tantum odium eſt, iram quin exeris omnem,
Et moribundam aciem luce tua obtenebras?
Sed quamvis inviſa premas hæc lumina nocte,
Non tamen effugies quin ego te videam:
Nanque animus niſi ſe nil cernens, te tamen unam
Quæret, & impreſſam in corde ſuo inveniet.

SALVE.

Sic mea tu ſis ſalva cui licet, ut mihi dulce eſt
Quod ſalvere jubes me, mea chara ſalus:

Sed

Sed qui fim ſalvus, quem tunc cum tute ſalutas
Perdis, & heu modò non funditus exanimas?
Dixiſſes, pereas, poteram parere jubenti:
Nunc iſto ſalve neſcio quid faciam.
An non ſat ſimilem tibi te fore, ſæva, putaſti,
Vivere quem non vis, ſi paterere mori?

INVIDIA.

Eſt quidam, nec enim ſcio quid velit, hoc ſcio tantum,
Nos dominæ, nobis invidet aut dominam.
Non ego me ulciſci diris crudelibus opto;
Hoc cupio tantum, quod precor, eſſe ratum:
Sic amet, ut nullus vir, fœmina nulla ſit, illi
Qui dominam, aut illum quæ invideat domina.

SOMNIA.

Somnia ſollicitæ pars ſecuriſſima vitæ,
Quæ ſenſi toties eſſe miſerta mei,
Si licet & fas eſt, & tutum vera fateri,
Plus vobis, ipſi debeo quam dominæ.
Nam dominam per vos video facilemq; bonamque,
Et qualem ſperet vincere fidus amor.
Sed talem ipſa negat ſe, quin iraſcitur iſta
Qualicunque ex ſe gaudia quod capio.
Invida, quid noſtræ poſſunt tibi demere noctes,
Cum liceat ſævæ non minus eſſe tibi?
At foret in terris nil me fælicius uno,
Si quod dormire eſt hoc vigilare foret.

PAPILLÆ.

O quas fruſtra oculis ſperem vidiſſe papillæ,
Aut leviter tenera tangere poſſe manu,
Sed radiis quas acta videt penetrabilibus mens!
Et meus invita tangit amor domina,
Credo ego vos duras, cum nil ſit durius illa,
Et niveas, cum ſit vel nive frigidior:
Nec miror: nam quicquid erat ſub pectore flammæ,
Transfuſum in noſtro pectore nunc habitat.

ABSENTIA.

Hei mihi non liceat cum te formoſa tueri,
Oraque mellitis jungere ſuaviolis,
Mens tamen hæc ad te tam longis millibus ardet
Sepoſitam & terras ire per & marîa.
Hic tua mens nunquam noſtræ fuit obvia menti,
Quin etiam retro, cum venit iſta, fugit:
Et tamen infauſto nimium certamine gaudet,
Quam magis illa fugit, tam magis iſta ſequi.
Atque utinam prendat: fugitivam vincla tenebunt,
Quam loca non dirimant, nec terat ulla dies.

SILENTIUM.

Si nihil hoc cœlum niſi ſola ſilentia laudant,
Atque ipſum taciti cernimus ire diem:
Si nondum ſummus dolor eſt ſolatia vocis
Qui capit, & partem cordis in ore gerit:

Sive

Sive ego te aspicio qua nil perfectius extat,
Seu me, quo miserum nil magis esse potest. (di,
Cum tua laus, mea sors superet genus omne loquen-
Da veniam quæso, lux mea, quod taceo.

AD JOHAN. REIGERSBERGIUM. EX VERO.

Cum modo me ignoto præceps audacia ponto,
Te tua in exitium ferret, amice, fides,
Et tot penderent mediis de fluctibus anni,
De fusis Lachesi jam dubitante suis,
Credibile est pro me teneras mea vota Camœnas,
At pro te cunctos excubuisse Deos,
Dum promissa tibi certantis munera cœli
Subdita tam duris casibus esse vident.
At pelago Venus orta, metu desistite, dixit,
Non erit in nostris tam grave crimen aquis:
Nam tantum à nobis utriusq; in pectore flammæ est,
Extingui ut toto non queat Oceano.

SUBURBANUM REIGERSBERGIORUM.

Sedes amæna nobilis suburbani,
Qua nil Valachris delicatius campis
Puræ nitentes Veriæ vident turres,
Laboriosis otium, quies fessis,
Labor quietis, grata cura securis:
Et tu beatis additus tumor campis
Antiqua moles, cujus ad jugum currens

Zelan-

Zelandus olim compulit gregem pastor,
Ubi æstuans Neptunus & sui plenus
Terris negarat littus & modum ponto,
Sed nunc virore læta, floribus turgens,
Fœcunda ramis undique ambitu toto
Pelagus secantes ficca despicit puppes:
Et vos odoræ veris areæ cultu,
Et non avaro silva dives autumno
Virete semper, vireat & domus tota,
Domus illa vestra domina, vestra regnatrix:
Et vos, pios, & illa sentiat flatus
Faventis auræ, floreatque vobiscum
Fœcunda honorum, nec minus ferax prolis:
In multa crescat sæcla populus hæredum,
Semperque dignos afferat loco mores,
Dignosque vultus, transeatque cum fundo
Avita virtus atque avita fortuna.

HUGONIS GROTII INSTRUMENTUM DOMESTICUM: SIVE EPIGRAMMATA AD IMITATIONEM apophoretôn Martialis.

AD LECTOREM.

FIne libellorum qui districha vatis Iberi
Perlegis, hos similes, si vacat, adde jocos.
Hæc Batavus lusit semper diversus Ibero
Instrumenta suæ non pretiosa domus.
Roma vetus fileat; quid enim peregrina moramur
Priscaque? nostra magis nos hodierna juvant.
Et si cur tituli mutarim nomina quæris,
Rara dat Hollandus munera, rara capit.
Mos bonus & simplex alternis pascere damnis
Imperat; hæc etiam qui legis, empta legis.

Arma.

Arma domus Batavæ numeratur prima supellex.
Hæc & civilis regia tota fuit.

Enſis.

Otia qui gemino pendens agit enſis in uneo,
Ivit in Albani militis ille latus.

Gladius Toletanus.

Unda Tagi non eſt uno celebranda metallo:
Utilis in cives eſt ibi lamna ſuos.

Bombarda.

Certius hæc tangunt inimicas tela cohortes.
Fallor? an hinc didicit Juppiter eſſe Tonans?

Emporetica.

Retia quæ fuerant, ſunt fœda ſegeſtria charta.
Si deerunt, merces pagina noſtra tegat.

Charta.

Nunc aurata comas, & ficco pumice lævis
Charta, ſenis ſcabri faſcia nuper eram.

Memoriale.

Pagina ſuccurret madido gypſata cerebro.
Hæc obliviſci non niſi juſſa poteſt.

Pluteus.

Scrinia perlatas ſervant mihi mille ſalutes:
Si modico poſſem vendere, dives eram.

Penna.

Cum pennâ moriens in nos ſua carmina cycnus
Tranſtulit: hac nobis remige fama volet.

Pyxis arenaria.

Pulveris aurati pluviâ fit ſparſa papyrus:
Reſcribet Danaë ſollicitata, veni.

Abacus lapideus. Schrijf-leyde.

Hæc quæ mensa polos (homi numine audacia tanta est?)
Secta Promethæa rupe tabella, venit.

Membrana tenuissima.

Da chartas aliis: teneræ cum scribis amicæ,
Cæsonis vituli filia dicat, Ave.

Calculi Argentei.

Calcule fac nostris faveas argentee lucris:
Si deerunt nummi, tu quoque nummus eris.

Libella. Goudwicht.

Vile potest charæ tibi detrimenta monetæ
Exploratricis prodere lancis onus.

Atramentarium eboreum.

Illo candidius nihil est: nihil atrius illis:
Pocula pennarum dens elephantis habet.

Liber rationum.

Conturbare potes, vincet si pagina pejor,
Teque liber nomen dixerit esse malum.

Saccus litigatorius. Pleytsack.

Sacculus hic litis discordia continet arma:
Alter causidicis gratior æra dabit.

Almanach.

Annua charta notas tota cum prole Calendas:
Non aliam mallet sapius esse suam.

Cochlea

Cochlear arenarium è concha. Perlemoer-lepel.

Baccis orba parens hîc se quoque mersataren as,
Candida quæ rubro littore concha venit.

Cera.

Rus alat aërias parvo sub rege volucres:
Est aliquid præter mella, quod inde petas.

Crumena discriminata. Stock-beurse.

Cum mihi multiplici varietur imagine nummus,
Totque gerani loculos, una crumena vocor.

Charta lusoria.

Numina Pythagoræa, chlamys, stola, purpura, mystæ:
Sexcentos lusus hæc tibi charta dabit.

Lignum alatum. Volet.

Alterno volucris suspenditur aëre buxus,
Deprensusque novo verbere nescit humum.

Noveni scrupuli. Negen-steck.

Disjectos perimi te scrupea bella docebunt,
Fortius & junctis viribus esse nihil.

Terni scrupuli. Drye-steck.

Nolim Pæonidas semper pugnare Camœnis:

Sirenum certet cum grege trina Charis.

Ludus duodenorum ſcruporum. *Jeu de dammes.*

Scrupea bella vides, Danaûmque & Memnonis arma:
Viciſſe eſt, hoſtes tranſiliiſſe ſuos.

Fritillum. Ticktack-bert.

Calculus ad numeros migrare jubetur eburnos,
Ingenio caſum temperat iſte labor.

Ludus anſeris. *Jeu des Oyes.*

Sorte quidem variâ, metam tamen imus ad unam:
Votaque mors rumpit: quis putet eſſe jocum?

Turbo cum Scutica. *Ad puerum.*

Quid meruit turbo, quem tu vibice fatigas?
Hæc natibus fuerant debita flagra tuis.

Turbo. Werptol.

Vertitur orbe brevi puerili miſſus habenâ,
Et moritur turbo deficiente manu.

Trochus. Houp.

Hic eſt ille celer totam qui circuit urbem
Immiti domino terga premente Trochus.

Pila palmaria.

Deponi ſub fune jubes, nîl credis, an optas
Fallere? me certè ludis, habeſque pilam.

Reticulum.

Reticulis opus eſt: per compita ludat inermis,
Quam nec dura queant lædere raſtra manus.

Pila clavaria.

Clava pilam feriat, palum pila: non ibi ſemper
Sufficiunt vires, ſit niſi docta manus.

Soleæ ferratæ. Schaetſen.

Quæ Batavûm miratur hyems ſola ferrea cernia:
His per aquas nec aquas ire nec ire licet.

Perſpicilla.

Vix ſpectas vitreis jam luſcitioſus ocellis
Hæc ſi perdideris lumina, cæcus eris.

Speculum.

Quid juvat ad ſpeculum raros ornare capillos?
Hoc ipſum, quod habes, conſule: dicet anum.

Clepſammidium. Sandlooper

Ne penetrante gelu glacies tua tempora perdat,
Certiùs hybernum dicet arena diem.

Exci-

Excitatorium.. Reveille-matin. Morgen-wecker.

Amplexus dominæ quamvis tibi somnia donent,
Hæc tibi damnabunt pondera, surge thoro.

Pyxis nautica. Zee-compas.

Plura tibi pyxis ventorum nomina dicet,
Quam solet Ausonius mensis habere dies.

Sciatheris. Sonne-wijser.

Dant medios soles contractæ Gnomonis umbræ:
At mihi pro tali Gnomone, venter erit.

Sphæra cælestis.

Sidereos vultus, cantataque vatibus astra
Non opus est cœlo quærere, quære domi.

Sphæra terrestris.

Terrarum, magnique vides compendia ponti,
Suntque simul Boreas, Hesperus, Auster, Eos.

Campana.

Sacra, sepulturas, motus, incendia, leges
Cum jubeor: Batavûm prælia sponte loquor.

Horologium.

Nuntius horarum, dimensi temporis index,
Æmulor æterno pondere Solis iter

Tin-

Tintinnabulum. Bel.

Janua Campano, qua panditur, incubat æri,
Improbe fur, quid agis? proditor astat; abi.

Sistra.

Vagitus cohibent crepitacula: comprimit infans
Ora, nec irato longius esse vacat.

Periamma.

Sibilat, & dentes, & linguam purgat, & aures.
Et tamen est unum, (quis mihi credat?) ebur.

Verù automatum.

Patrocle, ne magnum fides prope tostus ad ignem,
Versat Achilleum machina jussa verù.

Piscium excipulum. Fischspaen.

Tollitur Ichthyagra piscis, defunditur unda.
Hic tibi centeni luminis Argus erit.

Arma mensaria.

Fuscinulis armata manus, & vindice cultro,
Sic decet in rigidas eominus ire feras.

Calceatorium. Aentrecker.

Aptanda pedibus ne quid de pelle queraris,

Hæc tibi dant Cauchi cornua dura boves.

Follis.

Si cupies animas naſcentibus addere flabris,
Incendent pigrum frigora noſtra focum.

Forceps.

Qui populis bifidi monſtravit forcipis uſum
Primus inexperto læſerat igne manus.

Culcita.

Mollis olorinâ ſatiatur culcita pluma:
Ut jaceant homines nempe jacetis aves.

Batillus lectarius. Beddepan.

Igne, ſed incluſo, ſi quid tua fila biberunt,
Decoque, ne lectus ſudet, & ipſe tremas.

Suppedaneum nocturnum. Juffrouw in 't bedde.

Qui gelidas metuis tenebras, noctemque Decembrem,
Solamen thalami cœlibis iſtud habe.

Foculus menſarius. Chauffoir.

Juſcula ne comedas, & lanci creditus humor
Congelet, in menſa præſtat habere focum.

Suppedaneum diurnum. Stool.

Ligneu

Lignea ſub pedibus diffundunt ſcamna vaporem:
Si malè ſervaris, & focus ignis erit.

Carmiſia. *Chemiſe.*

Ruſtica neſcivit lini bona prima vetuſtas,
Quæ potuit duro vellere membra tegi.

Muccinium.

Utere linteolo, ne guttis ebria tecum
Judicio ſtillæ barba cadentis agat.

Collare lineum Craegh.

Carula triticeus pingit collaria ſuccus.
Non alimur tantum farre, ſed induimur.

Index lintearius Linde-tafel.

Lintea ne redeat minor inſolata ſupellex,
Huic tabulæ credes nîl periiſſe tibi.

Prelum lintearium Linde-pers.

Uſurpata terunt inhonori lintea ſulci:
Tu preme, ne rugis mappa laboret anus.

Digitus ferreus. Lob-yſer.

Ferrea fæmineos ſinuant collaribus orbes
Tela: puto Marti debuit iſta Venus.

Larva

Larva puellaris. Masque.

Pulvere sordidior vultus, cute nigrior Jndâ
Quid timet? an larvæ non satis ipsa fuit?

Ventrale. Verdugade.

Dissusam late tunicam qui sustinet orbis,
Sæpè puellarum condere furta solet,

Fascia cruralis.

Vix fuit undantes caligas compescere tanti.
Vulnerat extremum fascia dura femur.

Cucullus. Cap.

Cappa vocor: per me ventos, imbresque, geluque
Effugis, & Monachos nil sapuisse putas?

Umbella. Stroyenhoedt.

Invideant niveos soli quæ tegmina vultus,
Accipe candoris parca puella tui.

Mantellum impluviatum.

Si sapis, Haganâ quoties spatiabere silva,
Eludes impluvias pulviatus aquas.

Pal-

Pallium muliebre. Hoeyck.

Arte pari positis vestitur fœmina rugis,
Cui caput, atque nates quæ tegat, una toga est,

Torquer fœminæ.

Prostituit summas torques demissa papillas:
Ut videas aurum, cernis & illud ebur.

Armilla puellaris.

Si mihi, brachiolum claudit quæ parva sinistrum,
Armillam dederis, annulus esse potest.

Annulus ex alcis ungula.

Pars quondam nectenda feræ, nunc annule sacram
Corporis humani pellis ab arce luem.

Annulus pronubus purus. Trou-ringh.

Pignus habes fidei nullis violabile gemmis.
Hoc illud vetus est, Aurea simplicitas.

Quasillus. Nacy-cussen.

Nere negant Batavæ, discunt sarcire puellæ:
Lanea sordescunt: linea sola placent.

Digitale. Vingher-hoedt.

Argentum, digito sed candidiore, puella

Indue,

Indue ne retrò te quoque pungat acus.

Pulvillus reticularius. Spelwerck-kussen.

Compositò radiis quod servat acicula filo,
Nobile virgineæ nascitur artis opus.

Hoplotheca feminea. Estuys.

Lemniades pereant, & Amazones: arma puellis,
Arma quibus vincant ista pharetra dabit.

Pigmentarium. Blancquet-doos.

Cum surgis thalamo, positoque resumis amictus,
Induis & formam: capsaque pulchra tua est.

Acicularis pulvillus.

Spinula ne pereat (levis est jactura, frequensque)
Figere qui curat, nil agit, an satagit?

Flabellum.

Quanquam dissimulas non æstu, virgo, calescis:
Sed juvenis, ventum qui facit, ille facit.

Pila smegmatica. Handt-bal.

Plebeios furfur digitos, vel smegmata mundent.
Poscit amygdalinas aulica dextra pilas.

Pila

Pila aromatica. Rieck-bal.

Mollities tenero cum se tua prodat odore,
Illáne, quam quæris, te putet esse virum?

Pecten plumbeus.

Pecteris, & plumbo. Plumbo? cur pecteris ergo?
Non hæc res juvenem: non decet illa senem.

Fictile Sinense. *Porcelaines.*

Extremis veniunt quæ Procellanea Sinis
Ante tui proavi tempora nata vides.

Vitrea pocula

Materies fragilis commendat pocula vitrum.
Est aliquid, fieri tam citò posse nihil.

Poculum ex concha.

Ardeat Hesperio Neptunia concha Lyæo.
Nam sitit ipse suas nemo Batavus aquas.

Calix aureus.

Non fortuita dabis pretioso vina metallo:
Sed pro Mauritii digna salute bibi.

Ca-

Calix cum alea.

Qui post te sitiat, dum tu bibis, alea quærit,
Hæredemque sui nuncupat ipse calix.

Pocula cerevisiaria. Byer-glasen.

His bibitur cyathis pretiosior unda Lyæo.
Quis putet? annonam nostra flagellat aqua.

Frigidarium. Coel-vat.

Nec mihi sit Rheno Bacchum miscere, nec imbres.
Hanc amo, quæ gelidum dat mihi lympha merum.

Candela.

Pervigiles oculos tenuis candela lacessit.
Tam miserum est, pinguem non habuisse bovem.

Emunctor candelarius. Snuyter.

Cum depasta suis carpes ellychnia flammis,
Discutiens fumos officiosus eris.

Laterna cum objice.

Est quæ te reddat toties laterna tenebris,
Deprendi quoties nocte silente times.

Funalia.

Cum non sint Duilli, quo tot funalia nobis?
An debellato præmia tanta mero?

Funa-

Funalia picata. Turiten.

I procul, & piceum longe fuge fœmina fumum:
Non tanti est, artes prodat ut ille tuas.

Cereus vincatus. Wassekaers met maeghde-palm.

Vinca solet nobis geniales cingere cæras.
Hanc, quod virgineam dicimus, oro quid est?

Faces.

Ebrius ire cupis, mentuisque relinquere mensas,
Sic tibi contanti quot periere faces?

Lupatum.

En tibi quadrupedum qnod manditur ore lupatum.
Hoc domitore ferum dedidicistis equi.

Chirotheca odorata.

Vaginam manibus cupio de pelle canina,
Sed quæ Sibethæ stercora fellis olet.

Fimalia picata. Ænistem.

Procul, & piceum longe fuge fœminæ fumum:
Non tanti est, artes prodat ut ille tuas.

Cereus vinctus. Cœlaß hacte met maeghbe palm.

Cæca solet nobis geniales cingere cæras.
Hanc, quod virgineam dicimus, oro quid est?

Faces.

Crius ire cupis, mentuisque relinquere mensas,
Sic tibi contanti quot periere faces?

Lupatum.

In tibi quadrupedum quod manditur ore lupatum.
Hoc domitore ferum dedidicistis equi.

Chirothecæ odoratæ.

Veniam manibus cupio de pelle canina,
Sed quæ Sibethæ stercora fellis olet.

PARS

INSTITUTIONUM JUSTINIANI VERSIBUS REDDITARUM

A B

HUGONE GROTIO.

PARS

INSTITUTIONUM

IUSTINIANI

VERSIBUS REDDITARUM

A

HUGONE GROTIO.

INSTITUTIONUM
DE RERUM DIVISIONE, ET ACQUIRENDO EARUM DOMINO,

HActenus in primo personis addita jura
Carmine dispositi, servosque & libera dixi
Corpora, quique sui juris foret, aut alieni:
Qui detur Tutor puero, aut Curator adulto.
Pergite Pierides, medio nec calle vagantem
Linquite me, quà nulla pedum vestigia ducunt,
Nulla rotæ currus testantur signa priores.
Sunt quæ constituant hominum patrimonia; sunt quæ
Nec Dominum norunt, nec possunt propria dici.
Multa etenim Natura parens communia fecit
Omnibus; & quædam populi de nomine verè
Publica dicuntur; multis collegia multos
Efficiunt dominos; privatis plurima parent;
Res aliæ rursum gaudent nullius haberi.
Vix aliqua in terris communia Diva creatrix
Servat, & antiqui mores jam perdidit auri.
Nam communis humus, ceu lumina solis, & aura,
Ut foret, instituit mundo Natura recenti.
Hæc mea sunt nemo poterat tunc dicere: nemo
Fur erat, at cunctis pariter dabat omnia tellus.
Verum ubi jam pejor soboles, pejorque secuta est,
Cœperunt rigidos partiri limite campos;
Et quæ cunctorum fuerant, sua quisque vocavit.

Pau-

Pauca tamen prisci remanent vestigia moris.
Namq; aër, pelagusque, cavisq; aqua prodita venis,
Ac simul insano consinia littora ponto,
Agnoscunt dominos naturæ legibus omneis.
Nemo itaque accessu bibulæ prohibetur arenæ,
Si tamen à domibus, positisque in littore villis,
Et nocturnæ viæ quæ stant monumenta marinæ
Abstineat dextram; namq; hæc communia non sunt
Ut pelagus, populisve patent obnoxia cunctis,
Sed manet is dominus qui rite extruxerat ædes.
Publica sed pariter discretâ voce vocamus
Fluminaque portusque maris: nam publicus horum
Omnibus est usus: nec quisquam jure vetatur
Flumine in undoso, munitove aggere portu,
Dlaudere squamigeros macularum vimine pisces,
Aut celare cibis curvos fallacibus hamos.
Littoris æquorei quæ sit mensura docebit
Tullius & Gangem super exauditus & Indos
Eloquio Latio, tuque ô doctissime Juris
Galle Aquili! his geminis auctoribus acta putatur,
Quo vagus excurrit furibundo ex æquore fluctus,
Cum pelago hybernæ Atlantides absconduntur.
Publicus est etiam ripæ, ceu fluminis, usus.
Sic etenim statuit cunctis jus gentibus unum.
Namque licet passim nullo discrimine cunctis
Præcipitem celeri fluvium sulcare carinâ,
Aut reduces siccis proras advertere ripis,
Arboribusque satis duros religare rudenteis,
Aut onus in primâ tutum deponere terrâ,
Proprietas sedenim riparum respicit illum,

Quis-

Quisquis ei late confines possidet agros,
Publicus est etiam Jure isthoc littoris usus,
Ipsiusque sali: neque enim peccâsse putatur
Siquis in æquoreâ magalia struxit arenâ,
Quæ membra excipiant pelagi defuncta periclis,
Aut siccare plagas velit, atque educere ponto:
Sed non proprietas etiam data littoris ulli:
Conditio huic eadem, quæ salsi gurgitis undis,
Quæque superfuso velatur arena profundo.
Esse adeò quædam sua quæ collegia dicant
Diximus: hæc etiam privatos nosse recusant.
Hæc puto quæ toti parent communiter urbi,
Ut quæ marmoreas exornant pulpita scenas,
Metaque ferventi circumvolitanda quadrigæ,
Quæque alia unaninmes recreant spectacula cives.
Res sanctæque, sacræque, & relligione ligatæ
Ignaræ domini, patrimonia nullius augent:
Sed proprium servant divini Juris honorem.
Sed sacra dicuntur, vel magni numinis ædes
Pontificis sacrata manu, vel munera voto
Damnatis tepidam quæ suspenduntur ad Aram.
Hæc alienari, vel pignore posse teneri
Cæsaris acta negant: nisi per fera prælia captus
Symmystes domino fuerit redimendus ab hoste.
Si privatus homo propriâ virtute sacrârit
Quod sacrum esse cupit, nil proficit: illa profana
Res manet, & sacri nequicquam nomine gaudet.
Sed locus ille, cui templi structura cohæsit,
Aut flammis ædes, aut si perîêre ruinâ,
Augustus manet, & divinum servat honorem.

Atque ita rescripsit vir servantissimus æqui,
Quem malus horribili feriit Caracalla securi.
Sed diversa nimis, licet haud diversa videtur,
Conditio illorum est quæ Relligiosa vocantur:
Namque hæc jura locis tribuit privata voluntas,
Mortua cum solidæ mundantur corpora terræ.
Estque nefas ullum socio nolente cadaver
In puro tumulare loco: sed corpora fas est,
Invitis aliis communi inferre sepulchro.
Quin locus ille alii se debeat usum fructum,
Non poterit dominus, nisi si consentiat alter,
In propria tenues cineres componere terrâ.
Si quis in alterius quenquam tellure recondit,
Atque herus hoc ipsum facienti assenserit, aut rem
Jusserit esse ratam post gesta secuta voluntas,
Relligio factum ritè est subitura sepulchrum.
Urbibus in cunctis sanctas intellige portas,
Tutaque turrigeri qui cingunt oppida muri.
Hæc utcunque etiam divini Juris habentur,
Et bona nullius propriis accessibus augent.
Ut tamen hoc recte videas cur sancta vocentur
Mœnia, te moneo capital committere, cujus
Impia pinnatos violavit dextera muros,
Pœnaque sacrilegam sequitur deterrima culpam.
Hanc Rhemus ob causam, (veteri si gratia famæ est)
Purpureo tinxit fraternas sanguine fossas.
Utque nihil dubites partes in legibus illæ,
Noxia quæ rigidas statuunt in crimina pœnas
Sanctio dicta fuit: simili quod fonte videmus
Effluere, atque unâ manare ab origine verbum.

Sed

Sed res diverſis privato acquirere cauſſis,
Et varia ratione licet: ſanctiſſima multos
Multorum dominos rerum natura creatrix
Efficit, & populis cunctis communia Jura:
Multos civilis ratio legéſque Quiritum.
Unde mihi ſumam tantarum exordia rerum,
Unde mihi magni decurret carminis ordo,
(Omnia nam ſcitis, ſimul & memorare poteſtis)
Dicite Pierides. Certum eſt à Jure vetuſto
Incipere, & primas Naturæ dicere leges.
Námque ſuas leges rebus Natura creatis
Indidit, & primi formavit origine mundi
Pectora, non aliter quam fictrix dextera curvat
Molle lutum, ſpeciéſque jubet geſtare cupitas,
Aut capiunt faciles ſimulachra nitentia ceræ.
Tunc etiam, infantis poſt incunabula mundi,
Conſueti in ſylvis, vel aperto vivere campo,
Degebant ſolis Naturæ legibus ævum,
Mortales homines divûm genus: inde ubi ſenſim
Creſcenti advênit mundo maturior ætas,
Tempore creverunt & fæcula bruta animantum,
Herbæque plantæque, & ſacros quicquid in uſus
Ipſa ſuo Natura parens donavit alumno,
Crevit & ipſe hominum numerus, qui ſponte relictis
Exceſsêre agris, excisâque arbore tutas
Extruxere domos, vivoque habitacula ſaxo,
Ne ſemper pluvias, & fulmina dira timerent,
Raptoremque lupum, & crudelia luſtra ferarum:
Quin etiam junxêre lares, ædeſque per orbem
Contiguas ſancti cinxerunt aggere muri,

Civi-

Civileſque ſibi cœperunt ſcribere leges,
Proque magiſtratu miſſum in ſuffragia vulgus.
Ergo feræ quotquot vaſta in tellure vagantur,
Quæque ſecant volucres celeri ætheris alta volatu,
Quique ſecant piſces celeri æquoris alta natatu,
Quæ mare, quæ tellus, quæ maximus educat aër,
Ejus erunt, primus qui cœperit: hoc ita juſſit
Natura omniparens, ratioque probabilis æqui:
Namque ejus (res eſt juſtiſſima) qui ſibi princeps
Occupat, hæc fieri, quæ nullius ante fuerunt,
Quid vetat, atque operæ impenſæ cedere lucrum,
Alteriuſque alios nullo diteſcere damno?
Nolim ego diſtingui propriæ ſeu per ſola terræ,
Sive quis alterius quicquam in tellure capeſſat:
Si tamen intrantem dominus conſpexerit illum,
Quadrupedem ut catulis capiat, laqueisve volucrem,
Quis neget acceſſum venienti poſſe negari?
Hactenus illius manet hæc, qui ceperit illam,
Beſtia, dum captam cuſtodia fida coërcet:
Sin ſemel eluſo prorupit carcere in auras,
Et libertatis ſibi priſtina jura recepit,
Deſinit eſſe ejus qui neſcit parta tueri:
Forſan & hanc capiens meliùs ſervaverit alter.
Reddita cenſetur naturæ munere primum
Inſita libertas, domini ſi lumina curſu
Vicerit, & nequeat jam longè elapſa videri,
Aut ſi ſpes iterum capiendi nulla ſuperſit,
Quamlibet aſpectu poſſit radiante prehendi.
Hic video veteres legum dubitaſſe magiſtros,
Sitne etiam noſtrum noſtro quod vulnere tardum

Poſſe

Posse labore capi nullo jam jamque videtur.
Esse tibi nostrum video placuisse Trebati.
Assensere aliqui, nostrumque manere putârunt,
Dum male firma cito sequimur vestigia gressu.
Sin nos forte sequi pigeat, prædamque patentem
Negligere, & cœpto placeat desistere cursu,
Posse capi hoc aliis, nostrumque haud amplius esse.
Caius, & quorum melior sententia menti,
Posse prius nostrum, quàm cepimus, esse negarunt.
Quod merito à magno laudatum est Cęsare, quando
Multa cadunt inter calicem, supremaque labra.
Est etiam, est apibus quædam natura volucris,
Ingeniumque ferum: quare tua quamlibet illas
Hospitiis teneat pulchrum viridantibus arbos,
Ni vel corticibus, vel flexo vimine claudas,
Nec tuæ erunt, tibi nec facient redolentia mella:
(Namque nisi impedias aditum, mihi jure licebit
Exemisse favos ramis, cerasque tenaces)
Verum alius si forte cavos construxerit alveos,
Illius dulci replebunt nectare cellas.
Nam neque ni capias manibus, tua dicitur esse,
Illa tua volucris quæ fecit in arbore nidos.
Si tua discussis glomeratim alvearia pennis
Liquerit examen, dum nec tua lumina, nec spem
Fugerit, haud alius poterit concludere septo;
Ulterius capientis erit. Junonius ales
Creditur esse ferus, Dodoniadesque columbæ,
Effugiant quanquam notos, tepetantque Penates.
Namq; & apes illud faciunt, quas nemo negârit
Naturâ esse feras, possunt licet arte domari.

Quis

Quis neget esse feros, imbellia pectora, cervos?
Et tamen imperiis assuetum, teste Poëtâ,
Sollicitâ cervum nutrivit Sylvia curâ.
„ Ille manûm patiens, mensæque assuetus herili,
„ Errabat sylvis, rursumque ad limina nota
„ Ipse domum serâ quamvis se nocte ferebat.
Verum in iis; tecto quæ sese efferre relicto,
Atque redire solent, servari hæc regula debet:
Ut tua permaneant dum mens ea permanet illis,
Ut cupiant iterum mox sub tua tecta reverti:
At reditus curam cum deposuisse videntur,
Esse tuæ ut nolint, capienti cedere debent.
Sed reditus curam tunc deposuisse videntur,
Quum tandem ad priscum mutato more feruntur
Ingenium, & malunt sub libera jura reverti,
Spesque expectantis domini frustrantur inanes.
Sunt & Gallinæ, sunt qui Capitolia servant
Cicuris ingenii: species nam certa vocatur
Gallina agrestis, quam Gallinaria misit
Insula, quam Ligurum vitrea mare verberat unda;
Et fruitur proprio cognomine rusticus anser.
Quare siqua tuæ gallina assueta cohorti
Mirificis commota modis, aut urbicus anser
Non vulgare furens ultra tua tecta volârit,
Quo sint cunque loco, neque tu jam cernere possis,
Esse tuæ haud cessant; lucrique illectus amore
Si quis detineat, furtum committere certum est.
Esse mea hæc, nihi quæ victo rapiuntur abhoste
Jura jubent cunctas inter communia gentes.

Imò

Imo etiam quicunque eſt hoſtica vincula paſſus
Servus erit qui liber erat. Sed ſi tamen idem
Effugiat noſtras vires, fueritque reverſus
In dulcem patriam, jam priſtina jura recepit.
Si quis in extremo viſos Oriente lapillos
Inveniat, gemmáſve ſatas fælicibus undis,
Divitias illi tribuit Natura repertas.
Illa etiam voluit meritò, tibi cedere quicquid
Ex animante tuâ dias prodivit in oras,
Sæpè aliis etiam domino ſublata priori
Accreſcunt donante Pado, vel fluminis undâ
Alterius. Sic jura jubent communia terris.
Dicitur Alluvio hæc cum non dignoſcere promptum eſt,
Adjiciat quantum quovis ſub tempore gurges,
Et creviſſe vides, nec creſcere prædia cernis.
Nam ſi forte novis creſcens acceſſibus amnis
Vi majore tuo partem detraxerit agro,
Vicinoque ſolo dederit, tua permanet illa:
Si per longa tamen vicino tempora fundo
Hæſerit, &, ſecum quam pars ea traxerit, arbos
Egerit in fundum radicem, tempore ab illo
Vicino acquiſita bonâ ratione videtur.
Inſula in æquoreo fuerit ſi nata profundo
(Quod licet eſt rarum, fieri non poſſe negamus)
Ingredientis erit: nam nullius eſſe putatur.
Nata ſed in fluvio, (fieri quod ſæpè videmus)
In media ſi parte jacet, communis eorum eſt,
Prædia qui retinent geminæ confinia ripæ,
Pro ratione modi quem frons ſibi vendicat agri:

In-

Insula si parti fuerit vicinior uni,
Cedet iis, parti queis proxima prædia parent.
In geminas quod si partes discesserit amnis
Scissus, & incluso rursum fluat unicus agro,
Conditio domini non est mutata prioris.
Deserto fluvius si forte cucurrerit alveo
Quem princeps natura dedit, fossamque recentem
Induerit calles ausus mutare vetustos,
Alveus ille prior, liquit quem lubricus amnis,
Cedet iis, quorum sunt prædia proxima ripæ,
Quatenus ipsius frontis mensura patebit.
Sed foveæ illius per quam tunc labitur unda
Publicus usus erit; fluvius nam publicus ipse est.
Sin iterum veteres repetant vada concita cursus,
Dum prisco migrâsse loco piget, alveus ille,
Tempore quem medio rapidæ percurrit aquæ vis
Transfuga, vicinis accescet jure colonis.
Verum alia est longè ratio, cum spumeus amnis (tē
Fertur in arva furens cumulo, & non multa moran-
Proluit insano contorquens vertice campum.
Nam fera diluvies faciem non mutat agelli.
Ergo ubi jam posita rabie deferbuit undæ
Ira minax, sesēque in pristina castra recepit,
Nudus ager domino, qui perdidit antè, redibit.
Si speciem alterius quisquam construxerit usus
Materiâ, num qui fecit rem vindicet, an qui
Materiæ est dominus, dubitari posse videtur,
Scilicet (exemplis ut res clarata patescat)
Alterius plenas sumpsi de vitibus uvas,
Calcavi duris pedibus, prælo que coëgi,

Ut

Ut caperem fusi spumantia pocula Bacchi:
Aut est pressa meis Sicyonia bacca trapetis,
Ut possint flavæ latices prodire Minervæ:
Aut alii natas mea messes area trivit,
Farraque distinxit, vel vas mea dextera fecit
Argento alterius, ferrove, vel ære, vel auro:
Juncta vel ad nullum est dulci Mellona Lyæo:
Aut emplastra mihi trivi, aut collyria levi,
Non herbis compostà meis: vel pallia feci,
Demissasve togas, alienæ vellere lanæ:
Aut pelago aptavi pinum, aut armaria struxi,
Aut quæ marmoreas decorant subsellia scenas:
Quid Juris foret, & ratio quid postulet æqui,
Certavit Proculi cum prisco secta Sabino.
Dæsarea his certum fecit sententia fœdus
Concilians tractas procul in contrariâ mentes.
Ad faciem nam si species confecta priorem,
Materiamque rudem poterit resoluta reduci,
Materiæ dominus rem vendicat: obtinet illud
Cum non è proprio sunt vasa extructa metallo.
Sin illi facies nequeat mutata reverti,
(Nam neque pampineas Bacchus mutatur in uvas,
Nec redit ad priscas Tritonidos humor olivas,
Nec duo compositum discernit corpora mulsum,
Nec norunt priscas frumenta resumere spicas)
Artifici meritò dicta estres cedere dextræ.
Sin idem ille novæ speciei sedulus auctor
Materiæ dederit partem, ut si vellere partim
Alterius, partimque suo sibi navus abollam
Fecerit, aut mixtis cataplasmata triverit herbis,

Mi-

Miſcueritve ſuo non propria mella Lyæo,
Non dubium eſt illum dominum, qui fecerit eſſe,
Materiæ cum parte ſuam qui præſtitit artem.
Si quis erit, qui forte ſuis, quas ipſe parârat,
Veſtibus inſuerit ſatiatam murice lanam.
Exuperet viles quanquam ſacra purpura veſtes,
Attamen accedet reliquis, appendicis inſtar:
Verum illius hero conceditur actio furti,
Furtivamq; poteſt ſibi rem condicere ab ipſo,
Qui veſtes fecit, vel qui modo poſſidet illas.
Nam licet extinctas nemo res vendicet, iſthæc
Actio perſonam ſequitur, nec tollitur unà.
Sed ſi materies fuerit confuſa duorum
Conſenſu illorum, corpuſq; redacta ſub unum,
Communis fiet cumulus communis utrique:
Ut confuſa cadus ſi cepit vina duorum,
Sive duas maſſas duo conflavere metalli.
Diſparilis natura etiam ſi juncta fuiſſet
Materiæ ſpecieſq; ex his confuſa duobus,
Ut mulſum ex vino ſi factum, & mellibus eſſet,
Aut nitido argento conflatum electron & auro,
Juris idem eſt: neque enim dubium eſt commune creari.
Imo ut nulla foret dominorum juncta voluntas,
Fortunæ arbitrio duo ſed commiſta fuiſſent,
Seu varii generis, ſive unâ prædita formâ.
Cur eadem ratio non obtenta putetur?
Si tua farra meis noſtro commiſta fuiſſent
Arbitrio (namque hic aliud miſcere vocamus,
Atq; aliud laticẽ, aut liquidas confũdere maſſas)

Singula

Singula grana prius, quæ propria utriq́, fuerunt,
Conſenſu gemino communia facta putantur.
Sin fortuna duos farris conjunxit acervos,
Non ſunt cõmunes: quia ſingula corpora durant,
Nam neque (ſi ſimili rem declarare licebit)
Si mea juncta tuis pecora & commiſta fuiſſent,
Grex communis erit: neq; enim periêre bidentes.
Sed ſi tu retinere velis communia farra,
Actio frumenti dabitur pro partibus *in rem*
Sedulus at Judex æquè perpendere debet,
Quâ tibi fumentum fuerit bonitate, mihiq́ue.
Materiâ alterius ſi quis conſtruxerit ædes
In tellure ſuâ dominum hunc jubet eſſe ſacrum Jus.
Namq́; ſolo cedunt, quaſcunque imponimus ædes.
Non tamen idcircò, neq; te ſeduxerit error,
Materiæ dominum, dominũ amplius eſſe negamus.
Rem tamen intereà non vendicat, aut agit, ut qui
Struxerit *Exhibeat*, ſiquidem vetat illud apertè
Lex bis quinq́; virûm bis ſex commiſſa tabellis
Quæ cavet alterius ne quiſquam ligna ſuiſve
Ædibus injunctum cogatur demere tignum,
Sed quanti fuerit duplum ſibi poſcere poſſit,
Actio ab injuncto ſumit quænomina tigno.
(Nomine ſed tigni totum comprenditur illud,
Materiæ quod nomen habet, quo tecta parantur)
Ne quis ſtructarum diſturbet tecta domorum.
Diruta ſi fuerint ullis habitacula cauſis,
Aut dederint ſubitam temeraria tecta ruinam,
Jam dominus, duplum niſi fors acceperit, ut res
Exhibeatur agit, ſibi vel ſua vendicat ipſi.

Sed si materia quis non aliunde petita
Struxerit alterius nixos tellure Penates,
Tellurem, fundumq; domus tabulata sequuntur,
Ipsaque proprietas ligni discedit ab illo,
Materiamque alii tacite donasse videtur,
Si non esse suum jam prima ab origine fundum
Noverit, & quanquam manibus, vel tempore facto
Interram excidio ruerint, non vendicat ædes.
Non dubium est, si qui construxerit ipse Penates
Possideat, dominusque soli sibi vendicet illos
Solvere mercedes nolens, post ligna, fabriles,
Quando objecta doli est exceptio, posse repelli
Hæc ita, si falsus mentem deceperit error,
Et debet prodesse fides bona Possessori.
Namque solum alterius si sciverit esse bonai
Jam non est fidei nulla est exceptio: quippe
Ædificare solo, tectumq; imponere, cujus
Te dominum non esse putes, temeraria culpa est.
Alterius qui forte suo plantavit in agro,
Aut quercum, aut summo nutantẽ vertice pinum,
Se dominum redditplantæ: sed propria fundo
Insita non proprio cum fructu perditur arbos,
Hæc ita si lentis fundo radicibus hæsit.
Sin nullos radix traxit malè vivida succos,
Qui dominus fuerat dominus manet, hoc ita verũ
Radicem solam dominum discernere plantæ, (est,
Ut mea vicĩno fit concessura propinquam
Quæ terram premit, & radices inserit arbos.
Namque solo cedit quod tota alimenta ministrat.
Atque adeo positæ propter confinia plantæ,

Si

Si ſe vicino radix inſeverit agro,
Communes dominis fient ex Jure duobus.
Verum uti quæ cœpere ſolo coaleſcere plantæ.
Sic etiam altrici cedunt ſata farrea terræ.
Sicut in alterius fundo qui ſtruxerit ædes
Si dominus petat, excipiet de fraude doloque
(Quod prius ut ſcires noſtræ fecêre Camænæ)
Sic etiam quiſquis conſevit prædia navus
Impenſis aliena ſuis errore coactus,
Hunc faciet de fraude doloque exceptio tutum.
Scripta etiam auratis quanquam ſignata figuris
Pergameæ ſuperant pelles tenueſque papyri,
Non ſecus atque ſolo conſtructa & conſita cedunt.
Inclita ſic igitur docti monumenta laboris
In chartis conſcripta tuis, ſeu condita certis
Verba modis fuerint, geſtarum aut præmia rerum
Hiſtoriæ, aut prompta trepides oratio lingua
Servatura reos, aut ſancti dicta Lycæi,
Tu dominus fides non ſcripti ſedulus auctor.
O miſerum cujus culti, pia cura, libelli
Indoctas ſubitura manus non debita reddunt
Nomina Scriptori, nec erit qui dicere poſſit,
Ille liber doctus, doctus qui fecerat auctor.
Forſitan & calidæ faciet ſervire culinæ
Alter herus, manibuſq; haud juſtis ſcripta terentur
Dî precor hanc noſtro peſtem prohibete libello.
Reſtamen ut nequeat minus hæc injuſta videri,
Si tibi membranas cupias niveoſque libellos
Reſtitui, ſcripturæ impendia ſolvere nolis,
Poſſideatque ſuum ſcriptor ſine fraude volumen,

Excipiet, seseq, *Dolo* defendet *Iniquo.*
At quanto melius (ferme pictoribus illud
Invideam) tabulam picturæ cedere jussit
Justinianeæ sollers sapientia mentis,
Quanquam adversa foremi nostri sententia Pauli.
Scilicet absurdum Cæsar, dignumq; cachinno
Censuit, aut Venerem Coüs quam pinxit Apelles,
Aut quæ Parrhasius fecit simulachra Lyæi
Cedere vili aceri: quare cum possidet ille,
Qui dominus tabulæ est, petit is qui pinxit in illa,
Ni pretium cupiat tabulæ persolvere, justè
Excipiet dominus circum se fraude veniri.
Sin pictor tabulam jam possidet, actio danda
Utilis est domino, qui si quoque damna recuset
Solvere picturæ, pictori exceptio parta est,
Ipse bonæ fidei possessor si foret: at si
Pictor hic, aut alter furto lætatus inani,
Subripuit tabulas, domino datur actio furti.
Nunc alias species (quia sic tulit ordo) canamus.
Absq; malæ fidei culpâ rem Mævius emit: (ptor
Non erat hic dominus qui vendidit: esse sed em-
Credidit hunc dominum, nullius conscius ipse
Criminis, aut aliâ sibi rem ratione paravit,
Naturæ suasit ratio, quos percipit ille
Inde sibi fructus, cultrici cedere curæ:
Si dominus veniens fundum sibi vendicat, aut rem
Non ab eo poterit consumptos poscere fructus.
Sed quicunque fide pravâ possederit agrum
Prædo, etiam fructus absumptos reddere debet.
Ille ad quem fundi quoque pertinet ususfructus,
Non

Non faciet fructus, nisi si perceperit illos,
Esse suos: quanquam & maturâ messe relinquat
Æthereas auras, nihil hinc lucrabitur hæres,
Omnia sed domino, cui res est propria, cedent.
Ferme eadem incurvo licuit dixisse colono.
In pecudum fructu quædam censentur haberi,
Ut fœtus, lanæque pilusq; & lacteus humor.
Sic sue progenii porcelli & equina propago,
Et vituli nondum metuendâ fronte minaces,
Lanigeriq; agni, atque hæsuri rupibus hædi,
Pleno hunc, cui fructu debetur jure sequentur,
Quod lex Naturæ, haud tabulæ sanxere Quiritum.
Partus in ancillæ fructu tamen esse negatur,
Atque illi domino propria est cui fœmina, cedit.
Omnia namque hominis caussa Natura paravit,
Absurdumque foret, qui fructibus imperat unus,
Omnibus, hunc fructus sub nomine posse prehendi
Vidit & hoc Brutus: placuit sententia Bruti
Prudenti Tyrio, quem Cæsar & ipse secutus.
Si quis erit qui forte habeat gregis usumfructum,
Ille novas pecudes è fœtibus in loca vitâ
Functorum è numero capitum, summittere debet,
(Ut docuit prisci qui nomine gaudet Juli)
Viribus & vites, plantis submittere plantas
Cogitur, ut docti semper didicere coloni
Namque etiam hîc similem curam ratio æqua requirit.
In proprio si quis dites invenerit agro
Thesauros, absconsum argenti pondus, & auri,
Invenoris erunt. Trajani hoc inclyta proles

Ex juſtâ poſuit ratione probabilis æqui.
Jus & idem ſtatuit, ſacra ſi forſan in æde,
Aut monumento aliquis Fortunæ hæc munera ce-
Si quis in alterius fundo numeroſa talenti (pit.
Pondera reppererit, quæ non ſperaverat antè
(Namq; operam quicūq; dedit caret augmine lucri)
Dimidium dominus reliquumq; inventor habebit.
Hinc etiam ſequitur, (quod eodem ex fonte profectum eſt)
Si quis in Auguſti tellure invenerit aurum,
Hanc inventoris patrem fore, Cæſaris illam.
Quin quoq; lex eadem ſimili ratione vigeret,
Si locus aut urbis, fiſcive, aut publicus eſſet,
Traditione etiam Natura acquirere juſſit.
Nam nihil æquius eſt rata quam ſervetur ut ejus,
Qui cupit in quemquam quod habet transfere, voluntas.
Sic igitur merito tradi omnia corpora poſſunt,
Traditaq; incipiunt domino parere recenti:
Nec tantum Italici gaudent quæ nomine fundi,
Verum etiam quæcunq; tenet Provincia, ſive
Quæ populo armato pendent ſtipendia, ſive
Quæ Fiſco impoſitum debent numerare Tributū.
Sustulit hæc ſiquidem ſapiens diſcrimina Princeps.
Sive quis hæc fido fuerit largitus amori,
Sive his ipſe pater gnatæ connubia donet,
Aut alio quocunq; modo retinere recuſet,
Tradita ſi fuerint merito tranſlata videntur.
Vendita ſed quanquam fuerit res tradita, ſi non
Vendenti pretium, quod debet ſolverit emptor,
Nec

Nec vel præde ſatis, vel pignore fecerit illi,
Non fiet dominus, quod quanquam lege Quiritum
Biſſenis ſanctum eſt tabulis manare videtur
Jure magis priſco, primoſq; hinc ducere rivos,
Emptoris niſi forte fidem foret ille ſecutus:
Protinus emptoris nam tunc res facta fuiſſet.
Sed nihil intererit rem dextera rradat herilis,
An domini juſſu, quiſquis poſſederit, alter.
Quare etiam domini ſi cuncta negotia quiſquam
Servorum è uumero domino cupiente miniſtret,
Accipientis erunt, quas res hic tradidit emptas.
Nuda etiam domini ſine traditione voluntas
Sufficit interdum: nam ſi tibi corporis uſum,
Aut gratis dominus dedit, aut mercede locavit,
Depoſuitve tuæ quidquam penetralibus aulæ;
Poſtea pro pretio tibi rem, vel munere ceſſit,
Aut pro dote dedit quanquam non tradidit ille,
Eſſe tuum paſſus proprium tibi fecit haberi,
Et nihil illum opus eſt juncta tibi tradere dextra.
Vendiderit ſi quis quas vexit in horrea merces,
Tradideritq; tibi clavem, qua janua clauſtro
Excutitur, res tota in te tranſlata videtur.
Sæpe & in incertum domini collata voluntas
Tranſtulit & propriam ignorans rem fecit adepto.
Vidi ego Prætorem, vidi qui faſce ſuperbit,
Miſſilia in cupidum late diſpergere vulgum.
Scilicet immemores fati, ſortiſq; futuræ,
Cum retinere tamen, quod quiſque receperit optent,
Protinus efficiunt dominos ſua munera noctos.

Perdit & hæc dominum, quæ tanquam vilia temnens
Amplius in numero rerum haud finit esse suarum,
Et facit hunc dominum, qui non sibi vilia cepit.
Causa alia est quoties laxâ compage carinæ
Accipiunt inimicum æquor, riniſque fatiſcunt,
Horridus & nautis gelidos tremor occupat artus,
Ante oculos pontus, pontoque haud mitior aër,
Sæva peregrinæ jactantur in æquora merces,
Si quà fortè queant navem exonerare periclo,
Et pelagi saturare minas: non nauta recusat
Divitias servare extremo Oriente petitas,
Sed contemnit opes præ solo munere vitæ.
Ergo si quis eas insano ad littora fluctu
Occupet expulsas lucri succensus amore,
Aut medio in pelago capiat pro piscibus aurum,
Nec domino reddat, dicam committere furtum.
His etiam censenda pari ratione videntur,
Quæ domino ignaro bennâ per compita vecto
Præcipitante rotâ celeri cecidere ruinâ.

Con-

CONSOLATORIA ORATIO AD PATREM SUPER MORTE FRANCISCI FRATRIS.

TRiſtes exequias Juvenis, pompamq; Lycæi
Vidimus atratam, longumq; ex ordine funus.
Hoc ſummum, Franciſce, tibi, quod poſſumus unũ
Fecimus officium, quod ſanguis, amorq; jubebant.
Ductor ego, & fælix niniium puer; ille nec olim
Viderat infirmos cum flamma perureret artus,
Et mens veſano ferretur concita motu;
Nec nunc cum exanimes artus, & frigida membra,
Diſſimileſq; ſui vultus oculoſque notaret,
In fletus abiit, nec fratrem ſenſit ademptum.
Non æris rauci ſonitus, non triſte feretrum
Exuit ætatis munus, neſcire dolorem.
At poſtquàm terram ſubiit condiq; cadaver
Cœpit humo, totumq; oculis ſe abſcondere noſtris,
Jam damni manifeſta fides, nunquamq; videndus
Excuſſit frater lachrymas: nec turba ſepulchro
Circumfuſa ſuos fletus, gemituſque negavit,
Cum pueri maduere genæ: miſetabilis ætas
Jus & in externos habuit peregrinaq; corda.

Hoc inquam: Ego cum Guilielmulo noſtro ductavi funus: & quis me juſtius? Nam ſi in luctu amicitiæ damna cenſentur, parentes ipſius gradus inæqualitas, ſororem ſexus, Guilielmulum

ætas

ætas à defuncto segregabat: Ego illi cognationis pari necessitudine conjunctus, ætate quantillum à gemino aberam? Deinde studia eadem materiam mutui officii dabant, & poterat mihi ille hoc nomine non minus charus esse, quam quod frater erat Hæc eo dico, ne cum te consolor, putes sanum ægro consilium dare. Habes eum qui dolorem tecum sociat; luctu etiam certat; & tamen audet non se modo solari, sed quod ipse adversus mœrorem prodesse sensit, in aliis experiri. Primo videbo, an non metuendum mihi sit, ne vulnus nimium recens nondum obducta cicatrice refricandum præproperis remediis accurro. Non equidem arbitror. Nam & virum alloquor, & Patrem, quem mos ipse patriæ nostræ vetat ultra sepulturam luctum producere. Quippe parentes non tam ut vulgus putat, graviores dolendi causas quam dedolendi habent: & hoc ipso, quod genuerunt, reperiunt solatium. Magnum illud illius, sed à Natura profectum: Sciebam me genuisse mortalem. Imponimus nobis, si non quotidie illud cogitamus, non semper futuros, qui sine nobis nunquam fuissent. Vide quanta sit hæc ingenii humani perversitas: carere liberis durum non est, nisi his qui habuerunt.. Et tamen non est minor cœlibum & cæterorum orbitas: sed luctum non habet. Quid igitur est quo minus sine lachrymis amittimus, quod sine lachrymis non habere poteramus? Multa sunt vitiorum patrocinia; nec tantum avaritia, & ambitio, & luxus veniunt isto nomine;

nomine; ſed etiam qui rationem exceſſit dolor.
Superſtitem mihi illum ex ordine Naturæ optaveram; doleo quod comperta ejus pietate diutius uti fruiq; non licuit: amiſi eum, cujus opera & patriæ auxilio, & mihi potuit eſſe ſolatio. Hæ ſunt voces faventium miſeriæ ſuæ: hæc eſt ingenioſa calamitas.

Arboribus ſua poma cadunt, truncuſq; ſurpeſtes
Deſpicit exanimem, ſed ſicco cortice, prolem.
Nec tamen in fælix quòd non prius occidit ipſa
Dicitur. Heu miſeros homines, quos falſa doloris
Argumenta juvant! qui nati funera luget, (illo.
Hoc ipſum lachrymat, quod non lachrymatur ab

Bonum filium amiſiſti: Melius eſt quàm malum habuiſſe. Educationis operam perdidiſti: Compenſationem tibi objiciam gaudii, quod ex illius pietate cepiſti. Sed hoc quoq; jam periit, idque te malè habet. Si ſapis, appone lucro quod habuiſti potius, quam damno quod perdidiſti. Præteriti boni fructus in tuto eſt: hoc nec auferri, nec deſinere unquam poteſt, ſolumq; eſt extra invidiam fati. Ejuſdem non eſt, quod parum diu contigerit dolere; quod tamen contigerit non gaudere. Vide ergo quanto ſis illis fælicior, qui filium nunquam habuerunt: & tamen iſti non lugent. At ſi filios in bonis ponimus, & ſunt certe pars præcipua, melius eſt non diu habuiſſe quam nunquam. Nam etiam cum ipſi auferuntur memoria manet, magnum grati animi oblectamentum. Vides ergo parentibus minimum eſſe cur doleant, ſi non ex vulgi-

gi opinione, sed ipsa ratione, luctum æstimemus: præterquam quod majestas patriæ potestatis, & sacrosanctum illud naturæ regnum ægre fert eo se demitit ut eum lugeas mortuum, cui ipse vitæ autor extiteris; ut ei submittas affectus tuos, cujus tu affectibus imperare jussus es. Etiam atque etiam vide, ne quid facias indignum eo fastigio patrii nominis, in quote Deus, & Natura collocarunt: in quam tamen conferre libet culpam nostræ impatientiæ: nec ulla est tam parata etiam muliebris luctus defensio, quàm à Natura procedere. Atqui calumniæ manifestò tenemur, cum nostrum crimen illi impingimus. Omnes nobis dolere permittimus, plerique; etiam imperamus; adeò hoc gratum est, quo tamen nihil ingratius. Nemo est miserior, quam ipse credidit, nec minus dolor, quam cætera, ex opinione suspensus est. Meremur autem premi dolore, si non ipsum preminus.

Auditur vitulum stabulis mugire peremptum
Vacca parens; sed enim mutum lux una dolorem
Consumit: matrem celerum nec vidit equorum
Postera per silvas orbatam Aurora vagari,
Jactantemq; jubas toto discurrere campo,
Cum catulos sectata fera est, perque avia multùm
Quadrupedante abiit cursu, totiesque recurrit,
Et toties frustra desetta cubilia vidit:
Includunt primæ luctum, rabiemque tenebræ.
Vidi cum nidos circumfremuisset inanes,
Et pullos multo volucris stridore vocâsset,
Mox tamen ad solitos iterum rediisse volatus.

Unus

Unus homo ſua damna fovet, fletutuque laceſſit,
Mœrori dum fautor adeſt; dumque eſſe putamus,
Nos facimus miſeros: non eſt vis æqua doloris
Omnibus; humanos animos tenet impare motu:
Quantum mentis abeſt, tantum occupat: inſcia ve-
Barbaries tumulo inſanos affectat honores, (ri
Parte ſui dum trunca ſibi manet ipſa ſuperſtes.
Non ita quas ratio doctrinaque conſcia recti
Formavit gentes & cultu pectora finxit.
Fœmineis reſonant præcordia pulſa lacertis,
Et vacat ad planctus crebros manus: ubera palmis
Maternis lanianda patent, ſolvuntur in imbres
Lumina, & attonitis trepidant ſingultibus ora.
Triſtitia eſt ſedata viris: diſcrimina ſexus
Cui facit, hanc noli Naturæ aſſcribere culpam,
Quæ gentes ſub lege pari tenet omnibus una.
Denique longa dies mœrentia corda ſerenat:
Non cedit Natura moræ ſi tempore reddi
Pax animo tranquilla poteſt, tu ſperne morari:
Qui ſapiet, ſibi tempus erit; quis quámne dolere
Deſinit invittus gaudetque ad gaudia cogi?

Inter rationes quæ lugere mortuum diſſuadent, iſta vel prima eſt, parcendum dolori irrito qui nos mortuis adjicere poteſt, reducere illos nobis non poteſt. Deſinat dolor, qui ſi non deſinat tamen perit. Citius nobis lachrymæ, quàm lachrimandi materia deerit, quam univerſum hoc continuò ſuggerit: cumque idcirco nihil illis charius eſſe deberet, nec temere profundendæ, quarum uſus tam latè patet,

con-

contra in nullam rem æque prodigi ſumus, & quidem cum minimum cauſæ eſt. Multa ſunt mala quæ hominem improviſa occupant. Morte ſua, aut ſuorum nihil certius. Flere factum non debemus, quod futurum non ignoravimus. Quid eſt quod nobis toties ille æris funeſti ſonus denuntiat, quam nulli Naturam neceſſitatis ſuæ gratiam facere? Alieni nos caſus quotidie admonent, eos eſſe communes: & tamen cum præter oculos noſtros tot ducantur exequiæ, cum tot hominum funera ſequamur, ſpes longas inchoare audemus, tanquam immunes legis æternæ, nec pariter cum omni Natura in lubrico poſiti. Et hinc eſt, quod feriunt magis iſta nos tela, quia minus prævisa ſunt. Quin ergo deſinimus de fati iniquitate conqueri, qui neſcimus quotidie aliquos percuti, ſed omnes peti? At ſi, ut oportet, cogitaremus ſæpe, quod ſemper videmus, perîſſet vis præſentibus malis, dum futura proſpicimus. Quid mirum eſt eſſe mortuum quem tam multi præceſſerunt & ſequentur omnes? Poſſem hîc multa tibi eorum exempla adducere, & quidem magnorum virorum, qui liberos perdiderunt: ſed in hoc fortunæ regno longe eſſet difficilius invenire non aliquo incommodo inſignes domos, aut quæ omnibus ſui partibus conſtterint ad exitum. Veteres etiam hoc ſolatii genere uſos reperio, eodem nos ire, quo totus hic orbis, & rerum Natura nihil æternum. Ad hanc conditionem cuncta gigni, ut quod cœpit & deſinat: nec unam

domum

domum ſine impotenti arroganta ruinæ ſubtrahi, quam mundus expectet. Periiſſe quæcunque vocamus miracula, clariſſimas etiam urbes quarum tamen vita humana eſt longior. Eſt quidem hoc aliquid, nolle privatim ſibi dolorem vindicare, cujus cauſa ſit publica, & communi mortalitati luctum ſubmittere: ſed longe majora dat nobis ſolatia animorum immortalitas, quam certa fide percepimus. Non eripitur nobis, ſed recipitur à Deo quem ille nobis precario dederat, & commodati titulo. Habebat filius, cujus eſſet magis quam tuus. Deus tibi illum educandum, non mancipio dederat. Redde depoſitum, ſcis quo pacto cum illo contraxeris: dicta erat conditio, ut cum viſum eſſet, reſtitueretur: nec ad ſatietatem tuam uſus tibi conceſſus, ſed ad illius legem. Bonus pater-familias pecuniam, quæ in diem incertam data eſt, ſemper in promptu habet. Quis ille tam ingratus eſt debitor, qui appellanti convitium facit, & ægre fert uſum ſibi non concedi diutius rei gratuitæ, nec in aliam legem datæ, quam ut aliquando rediret unde devenerat? Quod eo etiam dictum volo, ne hoc effugium occupet dolor, quod non ætate maturior â te ille repoſcitur. Non repetit præproperè, qui & potuit non dare: & ſi illum ſpectamus, qui lugetur, non quamdiu vixerit intereſt, ſed quam bene: ejus autem rei nos teſtes ſumus.

Optimè

Optimè vixerit neceſſe eſt, qui ita moritur. Optimè moritur neceſſe eſt, qui ita vixerit. Alienos annos omnes computamus, cùm noſtrum ſit datos benignè æſtimare, nec ad illa reſpicere, quæ ad nos non pertinent. Potuit diutius vivere. Imò non potuit. Hæc illius ſenectus fuit. Tot tantum annos habuit. Plures non accepit. Quid querimur? Noſtra eſt culpa, qui præterito tempore nunquam contenti ſumus; nec reputamus niſi præſentia, hoc eſt momentanea. Tantundem ſunt hodiè anni tui circiter quinquaginta, & illius octodecim. Si celeritatem temporum reſpicimus, nemo diu vivit: ſi miſeriam, nemo non nimis diu Vitam hanc peregrinationem eſſe etiam Philoſophi prodiderunt Gratulemur illi, cui monſtratum eſt itineris compendium.

Littore Threicii degunt animalia ponti,
Ut nos Naturæ docuit ſtudioſa vetuſtas,
Et ſignata ſuis poſuit miracula faſtis,
Natali moritura die; non amplius unâ
Luce datum vitæ: noctis ſuprema fugante
Tempore lucifero, vitales accipit auras.
At ſol ex æquo cùm veſpere diſtat & ortu,
Illi ætas matura feræ viget: ultima ludis
Sub ſpatia, & nondum manifeſtâ noctè ſeneſcit.
Hic curſus brevis eſt, hæc meta volubilis ævi.
Si linguam, vocemque dares, quæ mane rubenti
Occidit; abruptæ quereretur ſtamina vitæ.
Quæque die medio contractas cerneret umbras,
Ad Stygium nondum ſatiata recederet amnem:

Sub

Sub tenebras tandem vix non invita periret,
Sponte ſuâ confeſſa ſenem: non illud in horis
Biſſenis poſitum: ſed quod conferre libido eſt
Omnia: nam noſtri detur ſi terminus ævi
Poſcat adempta tamen vivax ſibi ſæcula cornix.
Reſpicimus quivis ſibi proxima: tolle beatos;
Nemo ſibi miſerandus erit. Sapientia magna eſt
Quæ data ſunt aliis, ut non ſua, poſſe tueri.

Quis ſcit cui filium malo parens ille providus ſubduxerit? Quam multorum interverſa ingenia procul à ſpe; quam excitaverant, concidêre: quot hodie labes, quæ corruptelæ! Etſi iſta de illo augurari nefas, tamen gaudendum, quod non modò extra periculum, ſed & extra metum eſt. Habebat ille carnificem ſuum, pœnè quotidianum, dolorem colicum, qui non contentus ſemper torquere, aliquando illum confeciſſet. Si cum exercitu iiſſet, quæ diſcrimina illum expectaſſent! Sapiens Syri vox, CURIUS poteſt accidere, quod cuiquam poteſt. Ob oculos tibi pone truncos homines, & ſepultos jam ſui parte; medicorum laniatus, qui legunt oſſa viventibus; quæ omnia quis non morte pejus, exhorreat! Sed ſumamus, quod minimum eſt. Cecidiſſet tamen procul à dulciſſimæ matris aſpectu. Simul & morbum, & mortem inaudiiſſemus: non licuiſſet nobis pectus præparare damno: non ipſi auxilio eſſe, aut ſolatio. Dubitaremus etiamnum, quo animo mortem tuliſſet, quod ego præcipuum arbitror. Hæc ſunt mala, quæ primus

cogitationibus ingeruntur. At nos dementes, si vel nostro exemplo nondum edocti sumus, quanto plura & graviora sint, quæ nec opinantibus supervenient. Multis, pater, multis illum incommodis eripuit mors matura; & si non aliis, certe senectuti. Hoc etiam vide, quanta tibi solatia mors ipsa suppediter. Mortuus est ætate lubricâ; nec subito malo, sed lento, ut jamdudum se sentiret mori; quod tu forte in miseriæ; ego in fælicitatis parte pono: præsertim cum dolor acutus abfuerit; ita enim fit, ut non modò corpus ipsum edometur, sed & quantum illi deperit, tantum accedat animo; sequatur vitæ fastidium, desideriumque fælicitatis æternæ. Utinam tu quidem vidisses illum, atque audisses, quantâ fortitudine mortem provocaret. Desperatio hujus, quam nos optavimus, salutis, fecit illi majoris fidem. Amplius dicam: non sine miraculo illum ad se vocavit Deus, Tenebatur mens delirio, & corporis affecti contagium etiam animum occupaverat. Tamen quotiescunque mortis, salutis, Dei admoneretur, tauquam hoc unum ad se pertineret, ita respondebat, ut singularum dictionum constaret ratio. Nihil sapiebat rerum præsentium; ô nos miseros, si ita illum bona valetudo deprehendisset! semel tamen injectum est nescio quid spei, quod, ut fateris, te gravius habet. Nimirum experimentum in illo fecit Deus, anne sic quidem vita minus allubesceret? At pius adolescens totum se ejus voluntati dedit, in utrumque paratus. Quantum est beneficium, quod nos ejus rei testes advocavit Deus! quod nos

illum

illum vidimus incusantem fati moras, & invicto pectore velut hoc ipsum proclamantem:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi!

At ipsa Mors, inquies, dura est: nec omninò verum illud veterum, naturæ esse, non pœnæ. Primum illud qualecunque est, præteritum est. Ubi non est, luctum quærit, qui dolet suos miseros fuisse. Nihil tam naturæ convenit, quam mali fine gaudere. Quid autem, quid si ne malum quidem est mori? At hoc etiam Philosophis creditum.

Ultrà imus Christiani, & audemus cum Paulo dicere: Cupio dissolvi & esse cum Christo. Hæc una est ad æternam viam janua. Hæc illa est, de quâ opima tulit ille primitiæ mortuorum. Itaque audimus Apostolum etiam stimulum ejus habere contemptui. Ut valeamus venena bibimus, & quicquid naturæ adversum est: quid ut perpetuum simus extra valetudinis vices? Fortiter ergo, fortiter toleremus, & mortem, & amicorum jacturam. Nullus est Christianis luctus color, nisi quod nos ipsos lugemus, qui illos amisimus, imo præmisimus. Et hic ipse quam turpis, & indecorus! Quis ille est tam curans sua, tam amicorum fælicitati invidus, ut beatos revocet in miseriæ partem! Si quid vis filii tui causâ facere, si qua manium ejus habitanda est ratio, hoc fac quod illum velle putas, si quid illi curæ esset rerum humanarum.

Nimirum ille te torqueri suâ causâ æquo animo ferret, qui positus extra fortunæ ludibria, res humanas ex alto despicit?

Illum jam patrii mirantem limine cœli
Pax æterna tenet: non illum publica clades;
Non privata premit, qui spemque, metumque futuri
Dedidicit: non est innoxia vita sub ictu.
At postquam implevit verso se lumine, ridet
Has sub nocte dies, & inania nomina rerum.

Et hæc quidem in universum dicta sunt. Sunt aliæ etiam rationes plurimæ, quas tibi privatim facile dictabis. Sulpicium vide scribentem Tullio: COGITA quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse quæ hominibus non minus quàm liberi chara esse debent. Hoc uno incommodo addito, quid dolorem adjungi potuit? aut quî non ita rebus illis exercitatus animus, callere jam debet, atque omnia minoris æstimare?

Tot mala quæ poterant animum durare ferendo
Perdidimus, nondum miseri si discimus esse.
Hinc quoque fructus adest, juvat assuevisse dolori.

HUGONIS GROTII TRAGOEDIA SOPHOMPANEAS.

S

HUGONIS GROTII

TRAGOEDIA

SOPHOMPANEAS.

SOPHOMPANEAS
TRAGOEDIA.

Hiſtoria extat apud Moſem Geneſeos capitibus xliv & xlv, adjunctis quæ ibi connexa: in Pſalmo cxxv: apud Philonem vita Joſephi: apud annalium Judaicorum conditorem Joſephum antiquæ hiſtoriæ libro ii. partim, & apud Juſtinum ex Trogo Pompejo libro xxvi.

INTERLOCUTORES.

JOSEPHUS qui & SOPHOMPANEAS.
CHORUS *Æthiopiſſarum.*
RAMSES *curator domus Sophompaneæ.*
JUDAS, RUBEN, } *fratres Joſephi.*
NUNTIUS.
SIMEON, BENJAMIN, } *fratres Joſephi.*
PHARAO *Ægypti rex.*

MUTÆ PERSONÆ.

Manaſſes Joſephi filius.
Comites & ſatellites Joſephi.
Fratres alii ſeptem Joſephi,

Scena eſt memphide.

SOPHOMPANEAS
TRAGOEDIA.

Historia extat apud Mosem Genesios capitibus xlvi & xlvii, ad junctis quæ ibi connexa: in Psalmo cxxv: apud Philonem vita Josephi: apud annalium Judaicorum conditorem Josephum antiquæ historiæ libro 11. partim, & apud Justinum ex Trogo Pompejo libro xxxvi.

INTERLOCUTORES.

JOSEPHUS qui & SOPHOMPANEAS.
CHORUS *Ethiopissarum.*
RAMSES *curator domus Sophompaneæ.*
JUDAS, } *fratres Josephi.*
RUBEN, }
NUNTIUS.
SIMEON, } *fratres Josephi.*
BENJAMIN, }
PHARAO *Ægyptiorum.*

MUTÆ PERSONÆ.

Manasses Josephi filius.
Comites & satellites Josephi.
Fratres alii septem Josephi.

Scena est memphide.

Actus Primus.

Josephus.

RUrsum fugata nocte formosum caput
Sed promit Orbi, qualis è thalamo novus
Surgit maritus veste purpurea nitens.
Dies recurrens lege præscriptæ vicis
Dominum fatetur; & datum cerni jubar
Omni ebore & auro rectius monstrat Deum.
Intelligendæ lucis habitantem plagam.
Redire pariter cura & immitis labor:
Tantique regni quicquid à Meroë jacet
Adusque litus, brachiis quicquid suis
Definit amnis ille cælitibus suo.
A fonte notus, corde sollicito sedet.
Miretur alius quas dedit Libanus trabes,
Maculisque varium marmor & silvas domi,
Et arte factas tot dapes, & piscium
Ignota Nilo genera, & à medio die
Quæ nomen etiam nunc sibi quærunt feras,
Longeque ab Arabum nemore fugitivas aves;
Lanamque ramis Sere depexam manu,
Discriminavit docta quam Babylon acu;
Niveasque baccas Indici donum maris;
Circumque limen, corpus & circum agmina,
Sunt ista vana, vana, & ærumnis leve
Pretium ferendis. Grande curarum tegit
Onus hic tiaras: inter eo quæ regiis
Parenda jussis, fulgor est qualem exigit

Person

Persona vitæ: qui micans oculos tenet
Animosque plebis: utor hoc ego, non fruor.
Quanto fluebat vita liberior mihi.
Cum corde vacuo sequerer in vestis puer
Ab Abrahami pecore demissum gregem,
Ubi læta Sicimûm pascua attondent oves,
Et amœna gemino clauditur tellus jugo
Dedêre victum, non sibi magno placens
Ambitio mensæ, floribus sed se inserens
Mandragora dulcis, & nihil quamvis gravi
Onerata fœtu palma; pellebat sitim,
Non rutila Meroes vina, non Nilotica.
Expressus humor fruge quem Zythum vocant:
Sed sponte saliens ex humo majoribus
Potata nostris vena. pro fistris erat
Compacta ceris canna, quæ Syrios modos
Æquans, canebat Orbis artificem Deum.
Si tunc patris sub ore, germanos prope
Solos videntem, livor invênit tamen,
Potentiæque, sera quæ vênit mihi,
Nocturna imago tam fera innocuum in caput
Concivit odia, nunc quid expectem, ad vena
Memphiticæ telluris, in fastigio
Adeo eminente positus, ut cunctis premam?
Et est Phari gens aspera, & cives quoque
Cervice dominos sæpè non facili ferens,
Quo major est hæc fræna moderari labor.
Peccant remissæ, nec minùs rigidæ manus.
Vult mitis adici lenitas pondus sibi,
Modestiaque comite majestas eget.

Sunt

Sunt iſta per ſe gravia: ſed gravius tamen
Accedit aliud. Cum ratem pelago ſua
Fert aura, curſum regere mediocris valet
Puppis magiſter: artis eximiæ eſt opus,
Cum dubia ventos inter incertos hyems
Flagellat undas, vique nimborum vadis
Commotum ab imis ſurgit in montes mare,
Reperire fluctus per procelloſos iter:
Qualis fatigat ſæva tempeſtas tuos
Ægypte fines, ſpem bis agricolæ ſuo
Mentita culmis fruge carituris ſeges,
Periculoſum ſemper imperiis malum.
Retinere quippe neſcit obſequium fames,
Nulloſque ſentit vulgus impaſtum metus.
Rerum parenti maximo grates ago,
Laudeſque ſummas, quod Phari trepidis volens
Conſulere rebus me voluntati ſuæ
Legit miniſtrum, fataque inſcripſit meæ
Ventura menti; penſat ubertas prior
Quod deeſt, & annos larga nunc ſterilis alit
Nec munere una vivit Ægyptus meo:
Et Syria noſtrum poſtulat ſupplex opem.
Hanc ſummus Orbis dominus invênit viam,
Miſſis ut olim ſomniis faceret fidem.
Bis fame ſubacti genua ad ignoti mea
Cecidere fratris: ipſe miſerandas preces
Bis mihi illos genitor allegat ſenex,
Et quæ parentis implet extinctæ vicem.
Ego illud aſtrum, cujus auratum jubar
Hyades quaternæ, Pleiades ſeptem colunt;

Sunt

Inclinat

Inclinat & cui Luna cornigerum caput,
Titanque radios ipſe ſubmittit ſuos.
Ego, ira fratrum mihi quod intendit necem,
Meque illa mercem fecit & duram ded it
In ſervitutem, deleo ex animo omnia,
Ad levitatem natus, à ſancto patre
Ad eam inſtitutus, & malis exercitus.
Sed ne quod illis ſedeat in præcordiis
Male expiatum virus antiquum mali,
Pia cura me remordet; huc ſollertia
Tota advocanda eſt, cordis ut pateant mihi
Arcana, multa tegere quæ nubes ſolet.
Huc pertinebat & quod heſternæ dapis
Ætate minimus maximas partes
Scire ut daretur ore & oculorum notis,
Ferrent ne fratrem ſanguine ex toto meum,
An veteris odii pectore hæreret cinis.
Necdum ſatis liquebat: inſtandum amplius.
Servile fictum crimen, atque inde imminens
Pueto periclum, detegetſiquid latet.
Non recta ſemper ſulcat ad verſum mare
Carina: prodeſt ſæpè prolato pede
Sinuare curſum & vela in obliquum dare.
Eſt & probandis uſus interdum dolis.
Spero, reperiam: ſin minus, faciam bonos.
Ades Manaſſe, ſi tibi quondam viro
Pars ſe aliqua regni credat, Ægyptus tibi
Sit patria: ſic eſt merita, benefactis data
Remunerare; proximum numen Deo
Regem putato: prima ſit legum, illius

Obſ

Obſequia juſſis pendere, & rebus fidem.
Tum faſtus abſit, mentis inflatæ tumor.
Res eſt poteſtas fragilis & regum favor.
Supermicantem ducibus in planum levis
Tulit hora. paulum ſæpè ab imperio intereſt,
Ad ſupplicantum verba & alienos pedes.
Si dignitas tua læſa, ſi damnum datum,
Da facile veniam. Prona gens labi ſumus
Homines, quod olim primus oſtendit ſator,
Furtiva vetita poma cùm tetigit manu.
Dat ipſe ſe facilibus exorabilem,
Suaque lege quemque metitur Deus.
Suprema virtus atque virtutum omnium
Perpetua cuſtos & triumphatrix necis,
Pietas habenda eſt. Otium ſemper fuge,
Vitiis amicum. Vult honos ſeſe coli.
Nam fulgor ex quo gentibus monſtrat virum,
Ut magna non ſit fama, vitari nequit;
Sed ſit decôra an turpis, hoc in te ſitum eſt.
At nunc eamus viſere obſcuros ſpecus,
Quibus urbs recondit magna Cereales opes,
Mandata fidei nequa pars noſtræ labet.

CHORUS.

Facundis domini feſſa profatibus,
Noctis damna die certa rependere,
Aſnethe nitido ſola jacens thoro,
Ne ſomnum ſi repitus turbet amabilem,
Nos ſtare æriſonas hîc jubet ad fores

Quas

Quas illi famulas misit ab ultimis
Nubarum populis, quos Niger alluit,
Rex Chusi genitus sanguine nobili,
Torta, non acubus, fluminis in modum,
Sed Phœbi radiis conspicuas coma;
Depressas patulis naribus & cutem
Signatas nimium contigua face;
Crassis labra quibus sepibus obtegunt
Candorem niveum dentis eburnei.
Fortunata domus, quam parili fide
Indivulsa regit copula conjugum.
Fert vultu soboles patris imaginem:
Gaudet casta suo teste puerpera:
Nec vir barbaricæ more potentiæ
Noctes multiplici fœdere dividit,
Litesque atque odium seminat in domum:
Unam totus amat; pectore tam bono
Externis locus est nullis amoribus;
Quos pridem juvenis vincere noverat:
Cum servus domina liberior sua
Flagrantes oculos mentis adulteræ,
Nudatosque sinus, verbaque mollia,
At mox imperii jure minacia,
Contempsit, veluti dura solet silex
Spumosos pelagi spernere vortices.
Vis ne, inquit, triplici me scelere obligem,
Ut, matrona, tibi dedecus adferam,
Et frangam domino, quam pepigi fidem,
Et sancita Deo fœdera polluam?
O qui siderei tramitis arbiter

Juſta lege vices temporis ordinas,
Ut nunc purpureis ver niteat roſis,
Nunc meſſem ſegeti Syrius excoquat,
Nunc vini laticem palmite cærulo
Autumnus pariat, nunc ſubiens hyems
Tellurem gelido ſidere temperet,
Idem cur pateris colla nocentium
In ſublime caput ferre, bonos premi?
Stuprum corde ferens fœmina, corpore
Inſontis ſpolium, ſæva libidine
Fruſtrata, juvenis vincla paciſcitur,
Tranſlatoque virum crimine decipit,
Corrumpens animum judicis oſculo.
Illum, quem triplici muniit aggere
Formæ rara comes candida caſtitas,
Sævus carcer habet: ſanctus & innocens
Veros inter agit mixtus adulteros.
Aſt illic etiam, quanta ſit, edocet
Leges connubii fallere fæditas.
Miratur juvenis verba ſenilia,
Moratæque decus frontis, & os probum,
Atque injecta oculis fræna pudentibus,
Victorum populus: carceris occupat
Conſors, officium judicis: illius
Vitam quiſque videns, ſe peragit reum.
Ut non tota fugit nos ratio Dei,
Sic nec tota patet: non habet is ſuos
Laxe, non nimium molliter; ut bonus
Dux virtute, ſui militis utitur,
Indicitque operas; ſic pater omnium

Vult durare malis quos amat, & cavet
Ne marcore, situm pectora contrahant,
Verum non inopes interea tamen
Solatî patitur, dans animos suis,
Sustentansque hilari spe patientiam.
Sic noster tenebras inter & horrida
Ferro claustra domus, juris erat sui,
Servabatque alios; ante cupidine
Intactus, trepidi nunc domitor metus.
Qui pulchro dominam corpore ceperat,
Captivos animi cepit honoribus,
Custodemque loci; plebs miserabilis
Unius fidei creditur: accipit
Hinc præsaga suis facibus omnia,
Regnumque in medio carcere possidet.
Quo solis radii vix penetraverant
Lux divina venit, seque sub illius
Puro corde locat: fontibus explicat
Nocturnos monitus: commodat os Deo:
Huic pœnam, veniam nuntiat alteri.
Sic fluxere dies temporis asperi,
Donec Rex pavidus noctis imagine
Frustra Niligenas consuluit magos,
Frustra, quid struerent fata novi, polo
Inter sidereas quæsiit orbitas:
Vatemque immeritis suppliciis levans,
Induit manibus genmea vincula,
Et byssi niveo tegmine vestiens
Præfecit dominum gentibus alterum,
Et dextrum solio constituit suo.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS.

RAMES. JUDAS. RUBEN.

RAM. Et me tuæ miſereſcit ætatis, puer,
Quem trahere magnos ad Sophompaneæ lares
Manibus revinctum cogor. at ratio imperî
Non canſtat aliter, noſque lex juſſis heri
Jubet miniſtros eſſe, cenſores vetat.
JUD. Si patere Ramſe, pauca pro puero lo-
Si non ſat illum liberat tali probro (quor.
Ingenua ſpecies oris, atque animi doli
Nondum capacis, pende quod factum dies
Heſterna vidit; hoc quod adſtrictis boûm
Tergoribus aurum publica cuſum nota
Abdiderat error veſter, in Syria fuit,
Ubi vindicare nemo, nec poterat queri:
Retulimus ultro: munera addidimus ſoli,
Exigua fateor balſama, & mortalium
Imitata digitos poma, & haud uni malo
Medicamen herbas, quodq; de myrrha fluit,
Apumque nectar atque amygdalinas nuces.
Si majus iſto ferre potuiſſent onus
Noſtræ quadrupedes, jam puto nos diceres
Non eſſe varos, improbos multo minus.
RAM. Inanis horas perdere in voces labor,
Les quas refellit. Quod datum pretium modò
Pro Cerere, clauſum ſarcinis veſtris fuit,
Omitto: plena talium noſtra eſt domus.

At patera, pueri juncta quæ rebus fuit
Est illa, dominus ipse quâ vitis solet
Libare laticem, cùm preces rerum patri
Pro se domoque fundit, & pandi sibi
Poscit futuræ sortis è cælo notas.
Nam magnus illum sæpè dominator poli
Omnes latentis conscium arcani facit.
JUD. Si Arcana novit, nos quoq; haud dubiè sciet
Esse absque noxa. RAM. pectoris vestri sinus
Excutite; verum rectiùs dicet tibi,
Quàm tu ipse nemo; sed cave te judices
Ex parte: vitæ tota, quanta illa est, tibi
Spectanda series; non repræsentat sua
Supplicia semper lentus irasci Deus:
Sed vetera cernens vitia cumulari novis
Gravitate pœnæ temporis pensat moram.
Impunè scelera sæcli tulerant diu
Veteris gigantes, antequàm cœlum mari
Confudit undas, & suas cœlo mare
Undas regessit, summaque in juga montium
Saliere nullis clausa littoribus freta.
Diu superba dicta & in superos minas
Jactârat ætas illa, cui concordiæ
Rupêre fœdus vocis ignotæ soni.
Post multa serù facta sævitiæ trucis,
Ultraque sexum veneris inventas faces,
Incendit urbes imbre sulfureo polus.
JUD. Ferale Dothan nomen & vasti specus
Immane præceps, tuque avara Arabum cohors,
Parata quidvis emere, quàm nunc memoria

Ad vos recurrit triſtis, & cor verberat.
RUB. Monuiſſe memini ſæpè, ne tantum nefas
Admitteretis; hæret hoc animo recens
Miſerum rogantis vultus: illæ nos premunt
Cœlo receptæ, fratribus ſurdis, preces,
JUD. Alios monere facile, ſi propriam tibi
Inſpicere vitam cura, non deerit nefas.
RAM. Quis oris iſte turbidi inter vos ſonus?
JUD. Syriæ repetimus clara quæ noſtri loca
Tenuere patres, omnibus circum inclita
Bonitate noti, dexteras magni quibus
Junxere reges, & probaverunt fidem:
Quorum hoſpitale pectus & mores probos
Grata celebrat laude, Jordanis vadum
Quæ terra & undas inter Euphratis jacet.
RAM. At non propago ſemper in laudes patrum
Succreſcit. Eſt cum degener proles probro
Libidinoſo, perfidis pactis, fero
Facinore, turpat generis auctores ſui.
JUD. O pars noſtri ſanguinis, ævi
Primo vernans in flore puer!
Donum infœlix ætatis habes,
Neſcire quibus mergare malis.
O dulce rubens gratia vultus!
Permixta velut purpura Nacti,
Aut naſcentis lux prima roſæ:
Tuque ô Lybico concolor auro
Coma, deliciæ lenibus auris!
Quis te diri ſtipitis ictus
Aut, ſi poterit mors dura fugi,

Horrida quæ te ſpecus expectat?
Aut qua, nobis & patre procul,
Regione jugum famulare feres,
Heu non tales natus ad uſus,
Regum ſociis generatus avis.
Non te varia veſte decorum
Lætus cernet curſare pater:
Non armentum paſcere feſſis,
Cùm ſol medium tranſegit iter,
Properata feres prandia nobis.
Et forte aliquis (namque malignis
Tellus animis non ulla caret)
In te rurſus crimina finget,
Cùm te cernent inopem, externum,
Vindice nullo.

RAM. Laudo, propinquo ſanguinis vinclo tibi
Quod amas ligatum. Diſcrepant mortalium
In multa mores: ſcita ſunt aliis locis
Alia, ut voluntas ſceptra tractantium, aut ſua
Cujuſque patriæ & gentis utilitas tulit.
Lex iſta ubique eſt, quæ nec in tabulis cedri,
Nec in ære pendet ſculpta, nec ſtat marmore,
Sed corde in ipſo eſt ſcripta communis manu
Auctoris: illam qui fugit ſeſe fugit.
Feræ quoque, ipſæ genere conſortes amant

JUD. Ipſos dolores tangis, ut nequeas magis.
Sed ecce denſis præſes Ægypti venit
Stipatus armis ad laris limen ſui.
Quæ nunc neganti, quod putant certum, fides?
Quæ confitenti venia? vim ſapientiæ

Mihi

Mihi demit omnem, nec ſibi vultum ſinit
Conſtare culpæ conſcius veteris pavor.

RAMES. JOSEPHUS. JUDAS.

RAM. Deprenſa noxa eſt; ſalva res illum penes
Sacrifica latuit patera, quem vinctum vides.
Unum retraxi: ſponte grex fratrum it comes,
Monſtratque luctum veſtibus ruptis ſuum.
JOS. Quæ vos cupido miſera, quæ fiducia
Ad hoc adegit facinus? an nobis ego
Ignotus adeo, plenus afflatu Dei
Cui monſtrat animus quicquid abſtruſum latet,
Et alia vates perſpicax prudentia? (caput,
JUD. Magnanime princeps, proximum regno
Ad tua voluti genua, quæ jam poſſumus
Reperire pro te verba, quem fandi modum,
Quo nos tueri teſte, quos peragit reos
Deus ipſe? Sed tu gentium domitor doma,
Quod maximum, iram: nec velis quantum potes.
Munus tuum tuere: quam contra famem
Vitam dediſti, rurſus ex pœna eripe.
Hominem facit res una contiguum Deo,
Servare lapſos. Sume nos nexos tibi,
Hunc patera ſub quo ſedit, & fratres decem.
JOS. Mos ille multos tenuit & multos tenet
Populos Eoï generis, ut pœnas vetent
Intra nocentes ſtare, ſed contagio
Patres eodem, liberos, fratres trahant,
Et quinque culpæ non ſuæ involvant domos.

Me præside aliud jus in Ægypto viget,
Et ut per omnes vigeat ætates, precor:
Sibi quisque peccat: longius non it metus,
Quam facinus: hæres nemo suppliciis venit.
In quo repertum est crimen, is servus meum
In jus abito. Cæteri immunes malo
Repetite, qui vos avidus expectat, patrem.
JUD. Quanquam loqui me terret & noster sta-
Et oris illud specimen augustum tui (tus,
Regi secundum, si vales in nos graves
Suspendere iras, pauca non dura precor
Ut aure capias verba, contemptus, miser
Quæ fundo, sed quod ad preces satis est, homo.
Quo tempore ad te prima nos duxit fames,
Interroganti nostra respondi tibi,
Nos patre genitos qui supra humanæ modum
Ætatis annis vinceret sæclum senex.
Illi esse natum, nos decem præter, novo
In flore vitæ, gaudium & lumen patris:
Quippe editum, curricula cum circum ultima
Senis iret ætas, deque genitrice unicum,
Carente pridem luce quem quondam alterum
Idem pepererat uterus: hunc duci tibi
Puerum imperabas, ut foret quem tam potens
Benignitate gratiæ impleres tuæ.
Ad ista nobis profuit contra nihil
Dixisse, vitæ fila rupturum patri
Divortium animo pignoris chari suo.
Nam tu negabas copiam nobis tui,
Nisi adveniret ille, conspectus dari,

Quæ

Quæ dura poſtquam verba percepit ſenex,
Sedit ſilens lachrymanſque, canitiem ſacram
Et ora fædans pulvere ac turpi luto.
Conſumpta cùm jam tota deficeret Ceres
Quam ripa Nili dederat,& trepidi invicem
Obverteremus ora,vicina fame,
Iremus alias quærere Ægypto dapes
Senior monebat uſque; nos obtendere
Tua juſſa non flectenda: ſi parvus domi
Frater maneret,ſpem cibi nullam ſuper.
At mœſtus ille: filios peperit duos
Noſtro fidelis ſocia conjugio Rachel.
Horum prior de latere diſceſſit meo
Nunquam videndus; ejus heu miſeri truces!
Ita nunti aſtis, membra lacerarunt feræ.
Si nunc ab oculis alterum rapitis meis,
Et aliquid illi eveniat (in multos enim
Humana caſus vita perpetuo patet)
Reſpicite canis oro quid fiet meis.
Luctu pereſus, tabe triſtitiæ fluens
Abibo luce ejectus ad mortis loca.
Nunc te per illum quæſo, ſi fas eſt, ſenem,
(Fuit & tibi olim genitor) atque animam illius
Quæ tota puero pendet ex iſto, levi
Fugitura motu, ſiquid inciderit grave:
Cauſam ſenilis mortis aſcribi tuis
Ne patere titulis, magne regnator Phari.
Vicarium me ſume ſervitii, precor:
Onus domorum eſt tener & invalidus puer:
Mea major opera, me patri feci vadem.

Ne cogar illum aſpicere violata fide,
Ne me gemitibus atque lachrymarum imbribus
Accuſet, & cùm fuerit in terræ ſinum
Condendus, ipſe crimen ibi condam meum.
JOS. Ne cuncta quæ tibi dicta, nec credo nihil.
Qui conſtituere properat, ingreditur viam
Ad pœnitendum. Videro mox amplius.
JUD. Fœlix nimis Joſephe, ſi extinctus jaces,
Quod iſta jam non patere nobiſcum mala;
Si vivis, ipſe quod tuas injurias
Non ſinit inultas ætheris magni parens.

CHORUS.

Quà naſcentes ſolis radios
Videt Ægyptus, tellus juxta
Phæniſſa jacet, quam gens hominum
Meritis partes novit in ambas,
Dubiam magis an profit, an obſit.
Pulchra inventis fama Taautæ,
Quicquid pelagus telluſque vident,
Quicquid cœli mobilis orbes,
Et qui Totum colligat aër,
Quicquid Toti par mens hominum
Reperire valet, quater idſenis
Omne legendum præbere notis.
Sed gens eadem, quaſi non morbi
Satis atque feræ raperent hominem,
Quique obſedit latro Niliacas
Crocodilus aquas, genus addentes

Ad

Ad fata novum, rate cœperunt
Fragili fluctus ſulcare maris:
Nec conſpicuum radere littus:
Sed qua medium pelagus terras
Effugit, auſtros Helicenque ſequi:
Non ut populis poſſet longe
Ferre remotis quæ naturæ
Pauca petentis poſtulat uſus,
Sed ut æquoreos tincta cruores
Humeris regum lana niteret,
Ut gramineum dites ornans
Digitos vomeret gemma virorem.
Facit hæc auri maleſana ſitis.
Hæc, quæ docuit ſpernere cæli
Pontique minas, tenuique animam
Credere ligno, dira cupido,
Hominem in quæ non crimina cogit?
Hinc illiciti licitique procul
Diſcrimen abit; nulla rapinas
Prohibet pietas: placet ex omni
Quæſita loco præda, nec ipſis
Parcitur aris.
Fælix ætas prima parentum,
Cùm divitiæ fraga fuerunt,
Et quos manibus conſita nullis
Sponte ſapores protulit arbor:
Lex una fuit, neſcire nefas,
Vitaque ſimplex & caſta ſatis
Corpore nudo.
Poſtquam vallum facta pudori

Tunica, jam vi pendere fruges
Terra coacta eſt, fas ruperunt
Sanguinis iræ: præſcidit ævi
Curſum fratri fraterna manus.
Non hic hominum conſtitit audax
Labor: ima fodi ſenſit trepidans
Viſcera tellus, meliuſque latens
Duri chalybis vena reperta eſt.
Non trux ultrà ſingula carpſit
Corpora cædes: ferrum magno
Una populos meſſuit hora,
Et vis ſcelerum, belli titulo,
Tanta ſecuta eſt, quantam haud ultra
Tolerare valens maris in ſe undas
Terra voravit, nec minus illo
Aliud cœlo mare delapſum eſt,
Quali ſeſe fremitu Pharius
Cautibus altis dejicit amnis.
Sed nec ſuccum profuit uvæ
In ſpumantes preſſiſſe lacus.
Damna accepit tunc magna pudor.
Natis patrum riſa ſenectus:
Peperit patri nata nepotes.
Quid non reperit fæda voluptas?
Tibi gens Meſoris multum & noſtro
Gratulor ævo, cujus culpas
Quam datur arcto fine coërceat
Dux egregius, vitium reſecans
Lege ſevera: ſed & ipſe ſuo
Magis exemplo certat ſanctos

Reddere

Reddere mores.
Placet hîc morari: magna res cæpta est: libet
Videre tandem quem sit habitura exitum

ACTUS TERTIUS.

NUNTIUS. JOSEPHUS.

NUN. Quæ pars feroces maxime populos habens
Rubrum vetat coire Carpathio mare,
Tota est in armis; quisque jus dicit sibi,
Spretoque magni regis imperio furit.
JOS. Grave: sed frequens jam gentibus Phariis
Sed non medenti sufficit, quali lues (malum.
Flammetur æstu nosse, quam partem premat,
Quibusque sese suscitet stimulis dolor.
Noscenda morbi causa; tu nobis quoque
Edissere, ex quo fonte manârit malum.
NUN. Prima à nomarchis causa, qui jussis tuis
Inobsequentes, dum nimis lucro student,
Pretioque magno farra trans finem vehunt,
Parce dederunt ruris habitanti loca
Alimenta plebi: deinde mox minus & minus.
Vitam diu protraxit aliena fame
Opulentus emptor: tradidit panem manus
Egena: tanto major erat auri fames.
Postquàm per agros tota defecit Ceres,
Pecori invidere cœpit, & stratum solo
Virgulta & herbas vulgus in ventrem tulit.
Nec in eo videbat turba quid faceret mali.

Nam

Nam vacua simulac terra graminibus fuit,
Perière nigra tabe lanigeri greges,
Bovesque & hominum quicquid in pastus dedit
Natura: miseri, ruris excubias canes
Ibimque & alia fœda contactu quoque,
Vertêre in epulas; quis putet? multi aspides
Venantur, & venena prudentes edunt.
Stat turpis ore pallor & fluitat cutis,
Abactaque intus lumina atque artus hiant.
Pressit querelas gemitus infælix diu.
Tandem unus alterque otio soliti pigro
Traducere ævum, lævaque ausi etiam prius
Jácere in potentes verba, dum vesper polo
Obducit umbras, dum color rebus perit,
Colligere cætus, atque ibi veteres novis
Aggerere culpas: aut ubi thura, ut pios
Faciunt miseriæ, populus adolebat Deo.
Captare turbam. Quem sibi esuries modum
Hæc sperat, ajunt: nostrane hoc patientia
Expectat ut sit pugna quis cujus prior
Discerpat artus, natus ut patris veru
Coquatur, atque redeat in matrem puer?
Potentiam timetis? hæc nihil est, nisi
Inane nomen, quod parit segrex pavor.
Quicunque terret singulos, cunctos timet.
Hæc quisque semel audita, quoquo advenerat,
Profert & auget; parva pars ad te preces
Suasere mitti, victa quorum auctoritas.
Pars magna ut æstro tacta plus motoribus
Insanit ipsis. Impetu quanto ruunt

Per inane venti, montis & rupti latus
Iactant & alta robora excutiunt solo:
Sic conglobata rapitur agrestis cohors,
Sudes præustas saxaque & fracti ferens
Partes aratri; mille vox linguis sonat:
Petenda Coptos sede dominantum potens:
Ibi panis: ibi vindicta. Capit exercitus
Vires eundo; plurimi, quâ transitus,
Numerum stupent faciuntque. Cùm ventum prope,
Et urbs in oculis, clausira portarum petunt
Flammantə tæda; traxit acre incendium
Abies, & ingens Eurus adjuvit faces:
Parsus propinquas ignis invasit domus:
Volitant favillæ: piceus it cœlo globus.
Jumque urbis illuc populus accurrens parat
Remedia flammæ, ruris hoc usa agmina
Favore, muri parte neglecta irruunt,
Latimque rapta publicis penetralibus
Arma induuntur, & vibrant enses manu.
IOS. Solos nomarchas ista seditio petit,
An latius vagatur, & discrimine
Ontes remoto miscet innocuo gregi?
NUN. Rabies in ipsos prima rectores furens
Fusta multos carpsit, atque horum nihil
Cumulo reliquit; profuit paucis fuga,
Quos nunc ferarum deviæ latebræ tegunt.
Vox horrea invasere; quæ potuit Ceres
Servata recte, temporis longi famem
Facere populo, rapta sine lege ac modo,
Mali diebus attulit paucis moram.

Pri-

Primordia hæc fuere, sed non vis stetit
Quà cæpit, ire in pejus ut morbi solent.
Quæ clara pendent dona templorum tholis,
Quæ publici usus gaza, privatis sua
Quos arca census servat, in prædam venit,
Nec ignis avidas arcet inhiantum manus:
Diripitur ardens Coptos; ingenuam quoque
Pubem, virosque nobiles captos trahunt,
Pretioque servos barbaro mittunt solo.
JOS. Quis ausus emere liberi juris genus?
NUN. Arabum regentes arva bisseni duces.
JOS. Gens ista mores Agaris injustos refert.
Sed in urbe capta nunc quis imperii modus?
NUN. Non una mansit forma: ductorem sibi
Legêre summo jure: displicuit cito.
Impositus armis alius, & vincta additis
Sociis potestas: sed nec hoc mansit diu;
Datumque turbæ regimen; ibi sententiæ
Clamore certant, imperatque audacia.
Contenta verbis nec manet discordia:
Vulneribus agitur: ipse conflictum trucem,
Motasque vidi mutuam in cædem manus.
JOS. Spondent paratam quæ refers victoriam.
Ramse, propériter quot potes turmas rape,
Cincturus urbem. Fecero justæ brevi
Adsint cohortes, & per infernos specus
Qui mœnia intra militem obscurum locent:
Nec deerit acies horrido incussu gravis,
Nec capite tecto vineæ serpens opus.
Per hæc potitus urbis, armatum gregem

Imbu

Imbuere Phario ſanguine aut præda cave.
Expectet à me commoda, & pretium ſuo
Miles labori: ſufficit rex omnibus:
Ne civium dolore ſibi quæſtum parent.
Civile regimen da nec opulentis nimis,
Qui multa habentes ſemper in majus tamen
Sua vota mittunt, tamque nil parentium
Populo volunt licere quam nil non ſibi:
Nec contra egenis, quippe cor quorum exedit
Inimicus æquo livor, inſociabilis,
Aliena cernens lumine infeſto bona.
Quod civitatem continet, medium eſt genus,
Luxu remotum, ſorde contempta vacans.
Hinc, quæ per omnes lance diſtribuas pari,
Alimenta mittam. Quicquid aſpiciens Cyprum
Littus, rubentes inter & fluctus ſitum eſt,
Qua parte Pharius limes extrema ſedet
Tellure, denſo militum obtentu tege.
Venient favente tempora æthereo patre
Meliora, cum gens ſentiet vires Phari
Nabathæa, noſtris quæ frui gaudet malis.
Tenebricoſus ſervet imperio male
Uſos nomarchas carcer, atque illos ſimul
Quibus inquinata cæde rectorum manus,
Quamvis nocentum, more non tolerabili
Et hoſte pacis. Illa terrebunt magis
Supplicia, quæ non ira conſtituet recens,
Sed amica gravibus tarda conſiliis mora.
Veniam ferunto, qui ſatis delinquere
Habuere tantum juſſerat quantum fames:

Non

Non quorum avarus sese in alienas opes
Immersit animus. At quibus popularium
Ludibrio quæstuque libertas fuit,
Nunc jura pœnis sentiant ipsi suis
Quæ reppererunt: terra viventes premat:
Ibi per laborem tempora, erepta die,
Dimetientes compedem duram trahant.
Sed & hi tamen pascantur: & & quam facinore
Læsere diro patriam, exemplo juvent,
Spectaculoque miseriæ prosint diu.
Fac ista cures. Quæ domum spectant meam
Jam pauca ego intus con jugi fidæ loquar.

JUDAS. SIMEON.

Proh, qualis iste, Simeo, vir! quam provide
Cuncta ordinavit, quam peræquavit bene
Supplicia meritis, juris ac recti tenax!
SIM. Talem diu jam video, pro vobis ego
Dum servor obses. Sæpè conspectus mihi
Sedere, & æquus, partis utriusque arbiter
Audire patiens dicta: nec verbo levi,
Nec ore motus prodere indicium sui.
Valebat illo, testium, sub judice
Fides magis quam numerus: & testis locum
Implebat antè vita quæ fuerat rei.
Legum studebat persequi normam, nisi
Suaderet aliquid tristibus clementia
Detrahere pœnis, non tamen sic lenitas
Nimis ut soluta demeret vitiis metum.

JUD.

JUD. Quid esse dicam, quod Sophompaneas, heri
Nos hospitali largus excipiens dape,
Hoc, quem dedit natura, disposuit loco?
SIM. Mihi crede, quod tu, frater, eximium putas,
Minimum est in illo; magna vis illum Dei
Inspirat, &, quæ non valet mens assequi
Mortalis, intus spiritu æthereo monet.
JUD. Quæ se ista tanto porticus spacio explicat,
Amplexa totam latere tergemino domum?
SIM. Istam petitis littore usque ab Jonio
Fieri columnis jussit in amictum suum
Rex non avarus. JUD. Intus aspicere an licet?
SIM. Licet, & juvabit; namq; & hîc multo litas
Colore tabulas, opera sollicitæ manus,
Rex jussit addi, quæ Sophompaneæ decus
Et acta monstrent hospitum conspectibus,
Ut ipse famæ vivus interfit suæ.
JUD. Eamus ergo. Ne time: non, Benjamin,
Te deseremus; non tuos fratrum chorus
Effugiet oculos, illicetque aderit tibi,
Simulatque magni præsidis cardo strepet.
SIM. Hæc opera visu, quam potes, propero rape.
JUD. Quid ista sibi vult fœmina iratum rubens,
Quæ crine vulso lacera & humectans genas
Chlamydem simul fugientis à tergo rapit?
SIM. Matrona forma simul & imperio potens
Stimulis negati sævit in castum stupri,
Regeritque crimen, scelereque obvelat scelus,
Mendacioque pignore hoc quærit fidem.
JUD. Video nigrantem carceris sævi domum.

SIM. Hoc ille clausus crimen alienum luit.
IUD. Quid de racemo triplice tres uvas premens
Geniale regis fundit in phialam merum?
SIM. Non gesta res est; sed Sophompaneæ fuit
Qui vinculorum socius, hanc somno datus
Imaginem conspexit; &, Phœbi jubar
Simul extulisset tertiam cœlo facem,
Se rursum ut ante regiæ poclis fore
Mensæ ministrum, didicit illo interprete
Vocem secutus exitus vatem probat.
Heu quam brevis memoria factorum bene!
Ex carcere illo pristinum indeptus locum,
Insignis opibus, gratia clarus, potens
Honore, mansit cultæ amicitiæ priùs,
Præsagiorumque, & sui pacti immemor,
Donec suum bis signa per bis sex iter
Sol explicaret, & Phari sapientibus
Obscura regis, quæreret vatum quies.
IUD. Est alia tetra tristis in caligine
Species. Canistra plena regalis tria
Mensæ paratu lancinant rostris aves,
Epulasque dulces unguibus fædis trahunt.
SIM. Et ista somni forma, quam vidit miser
Captivus, olim regiæ structor dapis:
Sicutque vatis dixerat vox præscia,
Cùm tertio purpurea curriculo diem
Proferret Eos, horrida pendens cruce
Avidas volucres artubus pavit suis,
IUD. Septem superbas corpore eximio boves
Niliaca profert unda, quas ripam gravi

Pede metientes graminum paſcit viror.
Sequuntur aliæ, pigra quas genuit palus,
Macie juvencæ ſquallidæ, numero pari;
Quæ ſimul ad eadem repſerant ægre loca,
Illas opimas lurido rictu vorant.
Septem beatæ pondere in terram ſuo
Vergunt ariſtæ: flavus eſt illis color.
Totidem ſed alios video contiguos ſolo,
Sitiente culmos mergite, exucco, leves
Quos æſtuoſus ſolus exhauſit vapor.
Et virus horum nobiles ſpicas necat.
Quis iſte in oſtro talia aſpectat jacens?

SIM. Rex ipſe; namq; huc fruge fælici uberes
Septem, atque ſeptem ſegetis infauſtæ notat
Annos latente noctis effigie Deus.
Sed nemo nodos potuit hos evolvere,
Niſi ille, quem rex carcere eductum horrido
Ob id ſecundum culmini fecit ſuo.

IIUD. Agnoſco pictum byſſino cultu: trahit
Eburnus illum currus: in læva micat
Radiatus adamas, torquis inſigne aureum
Dependet humeris: pronus in faciem jacens
Adorat illum populus, & laudes canit,
Sed quæ illa triplici claſſe diſtincta agmina?
Succincta tunicis prima pars: pars altera
Sudat ſub armis: carbaſo pars tertia
A capite ad imos candida tegitur pedes.

SIM. Quoſcunq; populos clauſtra regnorum
Cohibent, & ingens Nilus & Nili mare, (Philæ
Hos docuit ille in genera partiri tria,

Et distributas singulis artes novis
Auxit repertis. En aratores habet
Sors prima; & operas vita quarum usu viget.
Monstravit ille spumeam vim fluminis
Attollere in sublime circuitu rotæ
Non constituro mobilis vestigio.
En rursus alii, hospitibus admirabile,
Tractant farinam pedibus & manibus lutum
Secundus ordo miles; hunc alto otio
Agitare bellum docuit. Hi vallum ferunt:
Currunt in armis alii & in palum graves
Meditantur ictus; pars equi non mitibus
Urgent lupatis ora & in gyrum trahunt.
Currus at aliis regere falcigeros labor.
Pars justa castris spatia dimensi parant
Munire fossis & superjecto aggere.
Hoc contus ingens armat, his nervo sonans
Sinuatur arcus; hi securigera manu
Ferire discunt; cernis in dextram modo,
Modo in sinistram tota versari agmina?
Modo explicatur frons, modo in cuneum coit.
Dicata sacris tertia est hominum cohors,
Quam gaza regis oneris exortes alit:
Nec hos, Sabæos crede tantum altaribus
Adolere odores. Quin Sophompanea duce
Quærunt vagantes quid retro stellas agat,
Cur Cancri ad orbem longior soli mora?
Idemne semper ursa distiterit polo:
Quæ causa cœlum siderum partu novo
Fæcundet: & consilia rimantur Dei

Pe

Per omne Mundi, quanta natura eſt, opus.
Formas quoque illas pulveri inſcriptas vides?
Ibi triquetrus diſputant quantum ambitus
Contineat æqnor: orbe ſit quanto minor
Quæ media fines linea attingit duos.
Tum quicquid egit fortiter bello Pharos,
Aut pace placide: quicquid Ægypto utile
Sanxere leges, Memphide & regnantium
A Meſore primo nomineas, & populi truces
Motus in alta mole pyramidum notant,
Rerum exprementis ſigna, non vocum ſonos.
JUD. Quid illa ſibi vult tabula, generoſi ducis
Ubi plebs ad aulam pallida ac trepidans coit?
SIM. Res magna regis agitur. Ut primum fidem
Segeti abnegavit annus, eſurie exciti
Mancipia vendunt Cererc, quam rex horreis,
Dum larga meſſis fuerat, abdiderat ſuis,
Hoc vate monitus. Sævior poſtquam fames
Momordit artus, adferunt pretium boves,
Et quicquid herbis paſcitur lætis pecus:
At mox & agros: deinde jus etiam ſui.
Sic cuncta magnus arva quæ Nilus videt,
Demitis ſacrato dicta quæ fuerant choro,
Hominumque vênit turba ſub regis manum:
Quos ille (namque id columen imperii fore
Dux æſtimavit) linquere à proavis diu
Habitata juſſit arva, & aliena in loca
Miſit colonos. JUD. Proh viri ſapientiam!
Sive illa ab uſu, ſive de cælo data eſt.
Sed ne illa nobis obſit, haud fruſtra mihi

Cor timet; ab ipso multa nesciri velim.

SIM. Spatium quod ultra porticus tergum do-
Spectans recedit, nil habet, te quod juvet (mus
Inspicere; sæclis cuncta quæ populo Phari
Venient futuris fata, mens ibi præscia
Disposuit; illa mersa nunc caligine,
Intelligentur cùm fidem faciet dies.
Et jam diu nos pavidus expectat puer.

CHORUS.

Nile, seu Siris potius vocaris,
Sive te nostri melius parentes
Astapum dicunt, vaga cujus unda
Fontis ignoto veniens ab ortu,
Vasta quà squallent loca se profundas
Abdit in terras, hominique nata
Rursus emergit, scopulique ab alti
Lapsa bis saxo violenta murmur
Iactat horrendum; bifidoque cursu
Lambit Ægyptum latere ex utroque,
Donec immensis procul evoluta
Ostiis findit mare; quid profabor
Virgo, doctorum grege dissidente,
Sæpè qui magni ducis advocati
Ad dapes aures tetigere nostras?
Quas tibi dicam nocuisse causas,
Quod Pharum quondam solitus rigare,
Imbris ut fusi nihil indigeret,
Sirio quamvis toties vocante

Vincere octonos cubitos recusas?
Solii an junctis veniens ab astris
In modum crevit calor auctiorem,
Et fitim tellus mea sentit altrix,
Nec suas amni pluvias refundit?
An tuos natum vegetare cursus
Mercuri velox hebetavit astrum
Stella Saturni pigra? num gelatus
Occidens vernos Zephyros retentat,
Qui tuum toto pelago retundunt
Flumen & cogunt superare ripas?
An cadens in se vetera abnegavit
In tuos cursus alimenta tellus,
Dum quod Atlantis juga pulsat omnem
Ambiens Mundum mare per cavernas
Abditas cæco vetat ire fluctu,
Aut via labi prohibet latente
Qui tibi furtim sociantur amnes?
Ista, ni fallor, nimium periti
Quæritis frustra. Deus orbis auctor
Ipse, cùm terris malè mixtus humor
Littore & ripis didicit teneri,
Fecit & Nilum, propriaque vinxit
Lege, quam culpas hominum perosus
Mutat, & monstris mala fæcla terrens
Tentat in rectum revocare gentes.

ACTUS QUARTUS.

JOSEPHUS. JUDAS. BENIAMIN.

JOS. Abripite puero vincula, ut respondeat
Liberius: & vos corporis comites mei,
Et fida famuli turba, vosque ô Nubides
Abstate. Sunt quæ solus hospitibus loquar.
Vivitne genitor ille, quem dixtis, senex?
JUD. Vivum reliqui, regna cum peterem Phari.
JOS. Quot ejus ætas annuos cursus habet?
JUD. Orbes peregit prope ter & decies decem.
JOS. Ætnine tam declivis à morbo vacat?
JUD. Mœrore demto nullum habet morbi genus
JOS. Hunc ergo puerum mœret abductum sibi?
JUD. Est alius etiam qui senem torquet dolor.
JOS. Licetne scire? nam senex pater & mihi est.
JUD. Dixisse memini; filium amissum dolet.
JOS. Quæ sæva patri filium sors abstulit?
JUD. Id scire oportet cuncta cernentem Deum.
JOS. Testem invocasti rite, quem fugiat nihil.
JUD. Certum docere nemo nos hominum potest.
JOS. Permulta sæpè ignota detexit dies.
JUD. O si ulla præstet hoc quod optamus dies!
JOS. Velletis illum forte restitui patri.
JUD. Si liceat emere hoc morte, non faciam mo-
JOS. Adeone patris proximus cordi fuit (ram.
JUD. Ut nullus ullum genitor adamarit magis.
JOS. Animo probo, quod esset, & nulli invidens?

JUD.

IVD. Et quia bonam ſpem dederat egregia indole.
IOS. Quid viſa vobis regna pollentis Phari?
IUD. Nihil illa cedunt optimis Syriæ locis.
IOS. Etiamne regimen placet & imperii modus?
IUD. Miranda vero cuncta, te imprimis duce.
IOS. Velletis & vis his locis conſidere?
IUD. Ob multa: primum ne ingruat rurſum fames.
IOS. Et vos quod ergo cogit hinc diſcedere?
IUD. Domi relictus, non relinquendus, pater.
IOS. An huc & ipſe poſſet adduci ſenex?
IUD. Illius eſt ſtatuere: parêre eſt meum.
IOS. Amore forte filii huc poſſet trahi.
IUD. Nam charus illi fuit & hic ſemper puer.
IOS. Quod nomen illi genitor impoſuit? rogo.
IUD. Juſſu vocari Benjamin patrio ſolet.
IOS. Dextræ potentis omen iſto in nomine eſt.
IUD. Quid hoc? Hebrææ percipis linguæ ſonum?
IOS. Et ipſe veſtris adfui quondam locis.
IUD. Huc quæ tulit te cauſa? ſi fas quærere eſt.
IOS. Iniquus in me livor, inclemens fera.
IUD. Non illa noſtro peſtis ignota eſt ſolo.
IOS. Vendine & illic liberum corpus ſolet?
IUD. Hoc mos & acri ſcita ſupplicio verant.
IOS. Sed multa fieri video, quæ leges verant.
IUD. Sed quæ, niſi homines puniant, punit Deus.
IOS. Jam dic quod illi nomen amiſſo fuit.
IUD. Ioſephus; hoc egregius impoſuit parens.
IOS. Veſtri quid illud voce ſermonis notat?
IUD. Significat incrementa fælicis domus.
IOS. Res ſæpè reſpondere nominibus ſolet.

IUD.

IVD. Sed hoc inane nomen eventus docet.
IOS. Ne temere desperate; nîl durum Deo.
IVD. Utinam sed insperata det nobis Deus.
IOS. Dedit & dabit; respicite me fratres mei.
Josephus ego sum; nomen Ægyptus mihi
Imposuit aliud; quam meam sortem auxerit
Fautor Deus, videtis. Ex animo procul
Dothan, minæque mortis, & tristis specus,
Et Arabes, abeant. Somniis constat fides.
Satis hoc: nec aliud majus à vobis volo.
IVD. Generose præses: non enim fratrem audeã
Vocare, qui nos conscius culpæ pudor
In te arguit fecisse fraternum nihil:
Iterum voluti, supplices, miserabiles,
Ad tua jacemus genua: non ut te fami
Nostræ, sed ut te tumet opponas tibi.
Ignosce; longis fessus ærumnis pater
Hoc te ipse, si vis, postulat: si vis, rogat
IOS. Abjicite curas, poscitis sera prece
Quod impetratum est. Hoc quoq; est nimium leve
Donare culpam; frater ut fratres amo,
Cùm Benjaminem video sincera fide
Vobis amari, scire quod noster diu
Per flexuosas quærit ambages labor.
Ne cruciet hoc vos, exitus fælicitas
Meretur: est cur gratias vobis agam
Per quos honores proximos regno tuli.
Qui cuncta fecit, cuncta qui vigili Deus
Oculo intuetur, nilque sine cura finit,
Et eminus consilia disponit sua,

Vobi

Vobis futurum ſoſpitatorem ac patri
Præmiſit huc me. Quod Pharum torquet fames,
Alique Pharia fruge qui circum ſolent
Populi, ſecundæ tempus æſtatis fugit.
Aliæ ſuperſunt quinque non ſteriles minus.
Ite ergo, patri fata deflenti mea
Portate læti nuntium inſperabilem,
Quem credidit periiſſe, non me vivere
Tantùm, ſed alta ſede ſublimem, inclitum
Sedere lateque opibus aggeſtis frui.
Potentiæ omnes eſſe participes meæ.
Fælicitatem referat acceptam mihi,
Cui debeo ortum; veniat & videat parens
Deſideratum pectori natum ſuo.
Opima veſtris paſcua armentis dabo,
Herbiſque Phariis creſcet Iſâci pecus.
Quam veſtra fratres colla, non viſi mihi
Totos per annos quindecim, amplecti libet:
Tuaſque ſimiles Benjamin ceræ comas
Contingere, innexumque cervici manu
Hærere utraque: gaudio manant genæ,
Hilariſque fletus vocis occluſit viam.

BENJ. Salve, Rachelis dividens mecum genus,
Reperte frater mihi nec optanti quidem
Fuere me, puerum vir, afflictum potens:
Quali Pharum regis arte, germanum rege:
Et hos amoris, quæſo, non ficti indices
Permitte fletus collo ut infundam tuo.

IOS. O mihi nunquam ſperata dies
Gaudia per te quam magna fero!

BENJ.

BENI. Iam me nec iter longum Sicimis
Vectum ad Nili pænitet urbes,
Nec percussum crimine falso
Vincla innocua gessisse manu.

IOS. Fratrum in te animus mihi non certo
Notus in hos me compulit astus.
Doleo tibi quod mala, quodque metum
Tulit illorum spectata fides.

BENI. Magnum est fratris purgasse suos,
Isto pretio mihi cuncta placent.

IOS. Iam vita mihi dulcior, ex quo
Fratres licuit reperire pios.
Non illa mihi tam læta dies
Quo deserui carceris umbram,
Quo me patrem rex ipse suum
Memphisque simul tota vocavit.

BENI. Bona cùm specto tua, mi frater,
Sentio lætos pectore motus.

IOS. Mea quæ cernis, tua sunt, frater.

BENI. Hæc quam noster gaudeat unà
Spectare senex!

IOS. Veniet, veniet: nec longo mora est.
Ibitis illuc cum magnifica
Missi pompa, ducis excelsi
Quæ legatos fratresque decet.
Sed his fruendi gaudiis longum satis
Tempus sequetur; hora nunc mea me vocat,
Qua soleo regi dicere affatu brevi
Quæ digna sciri quæque portavit dies.
Adeste nostrum quos amat comites latus.

Ju-

JUDAS. RUBEN. BENIAMIN.

IUD. Quanquam carere me jubent omni metu
Pietas benigni fratris,& conſtans fides;
Tamen innocentis vultus ipſe habiti male,
Aninuſque diri facinoris nondum immemor,
Adeo ſtupori tradidit, me exterritum,
Ut verba poſt non multa,quæ vix extudi,
Nihil valuerim tempore in tanto loqui.
Nunc te precamur, ille quem imprimis amat
Unius uteri germen, infontem, probum
Illum propitium fratribus præſta,& pium
Placamen eſto; te ille reſpiciens,tibi
Favens,peracti fida bibat oblivia.

RUB. Quæ verba Iudas dixit, ea crede omnium.
Si quid tibi unquam fecimus fratres boni,
Id nunc repende:munus hoc facile eſt tibi,
Magnumque nobis; da quod æternum juvet
Meminiſſe, ſic te videat incolumis pater.

BENI. Nihil eſt opus,ceu video : ſed noſtram tamen
Deſiderari fratribus charis opem
Non patiar : ita me inſtituit abeuntem pater.
Onate, nullos oderis : ſed ames tamen
Summè, inquiebat, ſanguine advinctos tibi
Hos ut retineas fac, nec officiis modo,
Sed & ferendo. Patruus talis fuit

Lotho

Lotho Abrahamus : quippe quem captum ut fero
Extimeret hosti, prælio objecit caput,
Et spolia regum quattuor retulit domum :
Litemque fugiens finium, toto procul
Ortu relicto petiit occiduum latus.
Sic Ismaëlem ventre servili satum
Sibi gravem patienter Isâcus tulit.
Ut me quoque addam, cum truce in genio minax
Iugulo immineret frater Esavus meo,
Totos per annos bis decem erravi vagus,
Extorris, exul, temporis longi ut mora
Lassaret iras; & redux, quanquam innocens,
Donis & humili lenii tumidum prece.
Hæc monita patris optimi non memoria
Tantum fideli colere, sed factis volo.

IV D. Egregia certe pignora enixa est Rachel.

CHORUS.

Rumor candidus ad meas
Aures protinus advolans
Inventos modo præsidi
Fratres nuntiat undecim.
Gaudet pontificum genus
Magni filia Putiphræ

Cu

Claram noſſe viri domum
Ortam ſanguine nobili:
Quorum olim veteres avi
Illis progeniti locis,
Euphrates ubi diluens
Glebæ ſumen, & alitis
Teli præveniens fugam
Tigris, bis ſociant aquas
Illa ſumpſerat ex humo
Limum, quem Deus ad ſuam
Ductum finxit imaginem,
Patrum qui fieret pater,
In quo gens hominum ſui
Cenſus terminat ordinem.
Tunc ſenos operis dies
Clauſit, rebus & ultimam
Factis impoſuit manum,
Majus nîl meditans Deus.
Illi namque animum ſuo
Flatu largus & os dedit
Quod cœleſtia cerneret.
Mox, ut progenies diu
Multa in ſæcula viveret,
Partem de latere eripit:
E qua ſe exhibuit viro
Pulchri fœmina corporis,
Hanc cernens, ſimul ut ſopor
Mollis membra reliquerat,
Flammari ſibi vir novis
Senſit corda caloribus.

Hinc est conjugii fides
Omni fœdere sanctior:
Proles unde venit, patri,
Semper nomen amabile,
Maternoque bibens puer
Venam lactis ab ubere.
Fratrum proximus est amor,
Ortus semina quos ligant:
Quales comparibus suis
Colludunt celeres equi:
Aut commune jugum trahunt
Nexu individuo boves.
O si me impositum suis
Pennis cinnama olentibus
Cæli pura per æquora
Phœnix avehat, unica
Mundo semper avis, ferens
In Solis nimiâ face
Succensa Æthiopum loca,
Fratres ut videam meos!
Sed ecce ditis dominus Ægypti venit
Et solis æquat igne prælato jubar.

ACTUS QUINTUS.

PHARAO. JOSEPHUS. JUDAS. CHORUS.

TIbi gratulatus, nunc & uxori tuæ
Affinitatis decore cumulatam domum
Volo gratulari. Nulla par meritis tuis
Poteſt referri gratia; auxilio tuo
Curis levatus, liberè regno fruor.
Tibi ſalutem debet Ægyptus ſuam,
Et ego quietem; cuncta quod non à viris
Deſerta ſqualleni arva, quod terris nova
Spes manet aratri, muneris totum tui eſt.
Ideoque honores ad tuos addi volo,
Ut more Eoæ gentis, aſtrifera plagæ
In ſpatia venias nominis titulo tui,
Grandiſque meriti grande monumentum ferat
Agricola taurus arce ſiderea micans,
Sicut propinquas arietis ſtellas tenet
Inſcriptus Hammon Meſoris antiqui pater.

JOS. In me tot atque tanta congeſſit tua,
Rex magne, bonitas, ut magis demi velim
Quam pondus addi. Cur adhuc aliquid tamen
Cogar precari, cauſa ſunt fratres mei,
Et, quem relicto fine telluris Syræ
Optem huc venire fratribus comitem, pater.
Agitare pecudes patrius eſt illis labor.

Non procul ab urbe cui ſuum nomen ſator
Dedit diei, læta graminibus jacet
Regio, virenſque pabulo ſemper novo:
Goſena vocitant accolæ Peluſii.
Hæc tota periit uſibus mortalium
Huc uſque tellus, inde quod populi tui
Diſpliceat animis cura verſandi gregis.
Hæc vacua noſtro prata ſi generi dabis,
Promitto id ipſis utile ac Phariis fore,
Jamque ecce & ipſos, quod ego te verbis rogo,
Geſtu rogantes, corpora inſtratos ſolo.

JUD. Vivat beatus dominus opulentæ Phari.

PHA. Surgite: dabuntur herbidi ſedes ſoli;
Et qui parentem, qui donum totam vehant
Currus quadrijuges, quoſque iter poſcit cibos,
Quæque optima edit arborum partu ferax
Niliaca tellus, dono longævo ſeni.

JOS. Pátere hoc ut addam. Liberos homines vides,
Qui ſponte veniunt in poteſtatem tuam.
Ne ſacra patribus tradita & generis ſui
Mutare ritus, longa quos ætas probat,
Cogantur unquam. Tum, migrare his finibus
Si libeat, aut quòd aliquid acciderit grave,
Aut quòd vocet ſpes melior, id nemo vetet.
Ita purus aër ſemper Ægyptum beet,
Juſtumque ſervet Nilus augmenti modum
Multaque matres prole tellurem impleant,
Et ſceptra nunquam poſteris abeant tuis

PHA-

PHA. Juro potentem cuncta moderari Deum,
Meumque caput hoc obligo & ſeros mei
Generis nepotes; ſemper Hebræis ſui
Arbitria ritus, exitus tutos fore.
Hanc ſiquis olim rex Phari rumpat fidem,
Nilus cruentas turbidus ſpumas agens
Pelagus coloret; turpis animantum lues
Naſcatur, undis pariter & terræ gravis.
Morbi furentis virus exanimet greges:
Herbis viror decedat: urantur ſata:
Nec arbor umbras ulla, nec fructus ferat.
Ulceribus homines torridis vexet dolor.
Obſideat atra, quantaque infernæ eſt plagæ
Caligo, cœlum: noxque, non medio die,
Noctem ſequatur, Prole populata, domos
Eat per omnes luctus; id ſi non ſat eſt,
Nereus quoque ipſe legis exotti vado
Ruat, atque totos ſorbeat populos mare.
JOS. Non erit Hebræos hoſpites nullum tibi
Habuiſſe pretium, terra locupletis Phari.
Nam dum pium Deoque dilectum genus
Clemens fovebis, cuncta tibi votum fluent
Supra, tuiſque ſe dabit famulam uſibus
Natura. Venient ſæcla, cùm noſtra incliti
De gente reges Memphidos fœdus colent,
Inque Iſraëlis ſceptra matre Ægyptia
Naſcetur hæres; rurſus in regnum Phari
Stirpe ex Hebræa, mœnia implentes nova,

Aderunt coloni. Pòst ubi lapsus polo
Tot ille vatum dictus ante oraculis
Reparator orbis atque pietatis parens.
Mortalium res viset, hîc tutos sibi
Quæret recessus, fidaque exilio loca.
Leges Hebræis ille communes meis
Niliique populo ponet, & miscens sacra
Docebit uno more venerari Deum.

CHOR. Ventet & ad nos tam grande bonum:
Et cœlestis mellor Phœbo
Calor Æthiopum corda perurat.

HUGONIS GROTII

CHRISTUS PATIENS

TRAGŒDIA.

DRAMATIS PERSONÆ.

JESUS.
CHORUS JUDÆARUM MULIERUM.
PETRUS.
PONTIUS PILATUS.
CAIPHAS.
JUDAS.
TURBA JUDÆORUM.
NUNTIUS PRIOR.
NUNTIUS ALTER.
CHORUS ROMANORUM MILITUM.
JOSEPHUS ARIMATHENSIS.
NICODEMUS.
JOHANNES.
MARIA MATER JESU.

HUG. GROTII

TRAGOEDIA

CHRISTUS PATIENS.

ACTUS PRIMUS.

JESUS.

O Qui futuræ ſortis immenſe arbiter
Rerum potente fata moliris manu,
Supreme mundi genitor, & genitor meus
Mundo prioris, omnia æquavi hactenùs
Imperia factis: ſi quid ulteriùs jubes
Paratus aſto: cuncta quæ timeo feram.
Hac lege veni. Quem tamen finem gravi
Statuis labori? Nulla me vidit dies
Secura: crevit ipſe dum fertur labos,
Maloque patuit ſemper in pejus via.
Paterna ſummi templa deſerui ætheris
Nec natus exul; pauperem preſli caſam
Stabulique prima turpis incunabula
Malè notus infans: parvus, infælix, miſer
Jam dignus hoſtis rege Judæo fui.
Nondum annus alter ierat, ætati parùm
Nimiùm tyranno, dirus Ephratias rurus
Orbavit enſis: turba puerorum cadit,
Dum quæror unus, meque dilapſo fuga
Cruentus error perdidit tantum nefas.
Centum per orbem cognitus miraculis
Patrem probavi. Livor adverſum furit,
Et ipſa virtus pejus Herode nocet.
Pater quid iſtud? ſemper agnoſcor tuus,

Sem-

Semper recusor. Persa me coluit magus,
Et ante parvos jacuit infantis pedes,
Suoque Mithræ prætulit sidus meum.
At Abrahami gens ab æternis tibi
Seposita sæclis priscaque Isacidûm domus,
Excussit omnem mente degeneri Deum.
Hinc contumaces bella Pharisæi movent
Pietate fallax turba: at hinc in me trahit
Legum magistros dira pontificum cohors;
Illinc profani secta Sadoci minax
Regalis aulæ purpura invisum premit.
Fidei quid ultrà restat? ad nutus meos
Natura rerum cessit & fassa est Deum.
Undæ liquentis ebrios potus bibit
Galilæa pubes; depuli alienam famem;
Meam subegi: bisque vicenos dies
Jejunia nullis ora violavi cibis.
Inter secantes dexteras crevit Ceres:
Satiatus ingens populus, & toto tamen
Plus est relictum; flabra compressit notus,
Et æstuantis ira detumuit freti.
Durata siccos unda transmisit pedes.
Ferale morbi virus & membris grave
Arti negatum cedere humanæ malum
Vox medica vicit; longa caligo fugit,
Meaque cæcus dexteræ debet diem.
Auditur ille qui nec audivit priùs,
Silentiumque rumpit in laudes meas.
Quid illa sanctis semper adversa & Deo
Hostilis Erebi dira pallentis lues

Non

Non pulsa noſtris legibus mortalium
Habitata linquit pectora & vocem tremit?
Poſt opera tanta non ſatis Chriſto fuit
Prodeſſe vivis; victor ingenti manu
Fregi ſilentum regna, & infernum chaos.
Terris & aſtris & triumphato mari
Reſtabat orcus: per ſepulchrales ſpecus,
Per operta terris jura & umbrarum domos
Imperia miſi; funeris laceri calor
Animavit artus: mortis expulſum gelu,
Retroque in auras manibus patuit via.
Renatus ipſo vivit ex tumulo cinis,
Meumque munus ſpirat; at Mors arctiùs
Regnare juſſa, nec ſolens damnum pati,
Queritur retexi fata, nec cenſus ſui
Conſtare numerum; pro tot umbrarum grege
Egomet repoſcor victima horrendæ neci.
Ergone triſtis hora veniſti tamen,
Qua pereat orbis auctor & lethum premat
Vitæ datorem? ruit in exitium meum
Ferale tempus, quæque nunc umbrat polum
Nox, dum citatos agitat aſtrorum choros,
Breves fugacis invidet vitæ moras.
Quæcunque tandem vim parat capiti meo
Sors dura parcat trahere, ducentem ſequor.
Impenſa generi poſt tot humano mala,
Poſt frigus, æſtum, lachrymas, luctus, famem,
Accedat unum, moriar: alienæ reus
Culpæ peractus ſpiritum feſſum exuam,
Caſtuſque terras tingat ingratas cruor.

Jam

Jam venit ingens anima: jam mortem meam
Mercatur atrox infularum factio,
Sceleríque pretium dicit. Exacta est mei
Bona pars laboris: omne præsensi malum
Et quicquid atra nox tegit vidi tamen.
Mens ante corpus pendet; horresco nefas
Pressumque venis sanguinem exudat timor.
Quo priscus ille cordis absceſſit vigor
Diumque robur? feror in ærumnas, feror.
Heu morte dura durius mortis genus
Animique tristis languor, an totus perii,
An spes salutis restat? Atque utinam patrem
Liceat precari, Lachrymis certè meis
Nihil negare solitus aliquantam mali
Partem remittat; fas sed æternum Dei,
Et præstitutus ordo venturi vetat.
Tot antè sæclis fixa totque oraculis
Cantata vatum nescit in finem ruens
Flecti voluntas. Sed quid infernæ moror
Calcare echidnæ virus & torti vagum
Draconis agmen terere sublimi pede?
Primi parentis morte sanandum est scelus.
Morbum furentem sanguinis largus mei
Piabit imber. Gaudeat dira nece
Genus superstes: gaudeat mortalium
Quodcunque busto restat, & gentis piæ
Cineres sepulti; viximus vivemibus:
Moriamur in commune. Non possunt meæ
Perire clades; cuncta debemus mala
Promissa terris, vincula & flagra & crucem

Tri-

Titulumque ſacræ mortis & faſtidium
Gentis ſuperbæ. Turbine infeſto tonet
In me parentis ira dum parcat meis.
Ne pereat orbis pereo; terrarum omnium
Succedo pœnis. Quiſquis extremum colis
Utriuſque Phœbi littus, aut recta face
Æſtiva medius regna quæ torret dies,
Quique in remota noctis immenſæ plaga
Glaciale plauſtri ſidus Arctoï vides,
Favete ſacro; poſcor aris hoſtia,
Et majus agno Paſcha; noſtro ſanguini
Donabit iras cæde placandus pater.
Jam plena ſacrum Luna poſt verna citat
Æquata lucis ſpatia: plus aliquid die
Dies tamen videbit & perdet diem.
Excors Juda, tu licet valida manu
Venias Quiritum cinctus & noctis metu
Adverſus unum, non tuis capior dolis:
Prodis ſcientem: ſponte feſtino mori.
At vos magiſtro lecta ſocialis cohors
Adhuc fidelis turba, poſt feſtas dapes
Lymphaſque heriles, myſtico carmen ſono
Sacrate: dumque ad nota properamus loca,
Ubi multa tacitis leniter ſuſpiriis
Reſpondet arbor, quas ego ad ſedes vocer,
Quæ lex amoris, quam favens vobis Deus
Audite euntes; interim vigiles meam
Durate noctem, cedat ex oculis ſopor,
Cœlo ſupremas donec admoveo preces.

CHORUS JUDÆARUM MULIERUM.

JAm vehit præceps per aperta noctem
Mundus, & pronæ properant tenebræ
Aurea cœlo redhibere lucem.
Non tamen ductor celeris choreæ
Phosphorus clarum revocavit agmen,
Mane nec primi roseum rubentis
Buccinæ signum crepuere nostræ.
Nos apud magni penetrale templi
Noctis insomnes vigilamus horas,
Discat ut sanctis precibus piatum
Crastinam pectus celebrare Phœben,
Qua jubet fruges meminisse raptas
Memphidos regi metuendus exul.
Hoc sacrum totas viduabit urbes.
Quaque Jordanes toties novatos
Ambitu certat satiare cursus,
Quaque se ripis negat solutus
Stagna piscosæ sibi miscet undæ.
Ire miratur Solymam colonos
Dactylis fœtum nemus & fragrantis
Balsami ferrum fugiente vena,
Unde non longè lituis avorum
Sponte concussi cecidere muri,
Monsque nimbosum caput æquat astris
Conscius fato senis irreperti.

Perdidit

Perdidit cives priùs orbe merſo
Cepheos regnum, ſacra fabuloſæ
Dercetûs mutans meliore ritu.
Huc Palæſtinas properare gentes
Vidit Azotus geminæque Jamnes.
Non Idumæos Caparorſa clauſit,
Non ſuos Lyddæ tenuere muri,
Non decem princeps populis Damaſcus,
Non brevi nobis ſociata regno
Impii nuttix generis Sebaſte.
Venit & dictus populis dediſſe
Prima ſcriptorum monumenta Phœnix,
Quem Tyros regum pretioſa luxu
Edit in lucem genitrixque Sidon.
Venit & ſiquis Syrus inter amnes
Audet intactos violare piſces,
Nec vagæ numen metuit columbæ:
Belus & quorum vada concolori
Turbidus vitro lavat, & vetuſtis
Finium bellis dubitatus Arnon:
Et quibus limo vada ſulphurato
Peſtifer donat lacus; hic inertes
Spiritus nullos patiuntur undæ.
Non tulit pinnas pelago natantes,
Non tulit remos mare verberatum.
Odit hoc omnes animas profundum
Et vetat mergi, nec odore quicquam
Sævius vaſtum minitatur æquor.
Ille depaſtus ſegetem veneno
Præripit meſſes: abit in favillas

Omnis

Omnis autumnus: cinis hausit arva,
Nequa non olim meminisset ætas
Vindicem flammam, piceoque cœli
Imbre damnatas periisse gentes,
Cùm sale infælix mulier gelato
Sensit in saxum riguisse venas
Impiè charos miserata muros.
Misit æternam sine prole gentem
Littus Essenum, quibus una virtus
Fœta commendat viduum cubile.
Omnis in culpa Venus: omne lucrum
Æqua paupertas; nimis ô beatus,
Qui suum nunquam numeravit aurum
Publico tantum vigil Ille nostris
Major ærumnis vitiisque major
Lege communi socialis aulæ
Postulat partem famis & laborum.
Quot fugis sparsos in utrunque solem
Posteros sero patris Abrahami
Colliget vesper? tamen heu triumphi
More solennem feriemus agnum!
Ipsa libertas semel ut recessit,
Quam dies primus dedit Azymorum,
Non redit, quanquam jugulo petita.
Pars tenet Batti steriles arenas,
Corniger gentes ubi fallit Ammon:
Pars ubi Nili Macetes ad amnem
Victor auroræ stetit; an tacebo
Carcerem nostri generis vetustum
Coctili cinctam Babylona muro,

Cultu

Culta vel Tauri, dominumvé Tybrim?
Quiſquis extorris decora alta gentis
Neſcit oblitus, neque fæcla confert
Immenor, longo mala mollit uſu.
Juſtius ſortem queritur malignam,
Qui domi ſervit; miſeræ tenemus
Semper Ægyptum, patriamque nunquam.

ACTUS SECUNDUS.

PETRUS.

PET. Inimica noſtro Romuli pubes Deo.
Profaniorque turba ſacrifici gregis,
Quæque innocentes non refugiſti manus
In me venite vincula en ultrò reum
Vereque ſontem; quicquid eſt actum hactenus
Merui videndo: ſi quid eſt ultra mali
Merui timendo; me petenti non face
Vicenda nox eſt, non Latina unum in ſcelus
Miſcenda templi cum ſatellitio manus,
Non dux emendus, perfidoque amplexui
Ponenda merces: dabitur hoc gratis caput.
Huc huc adeſte: ſtabitis, nec turbine
Collapſa ſubito terga percutient ſolum.
Dabo retorta ſponte nodis brachia,
Et ipſe plagis vultus occurret ſuis.
Sævire jam vacabit, an ſolæ placent
Cum ſcelere pœnæ? ſegnis eſt veſter furor
Niſi in immerentes? ratio conſtat criminem

Utrinque: vobis facta quod fateor mea,
Mihi quod negavi. Judices sancti, quibus
Jurata testes venditant mendacia,
Audite facinus. Gente Galilæa satus
Terras reliqui mariaque ut Jesum sequar.
Proles Tonantis vera res mortalium
Hæres paterno missus imperio regit,
Adestque cœlo liberator patriæ
Captivus ille vester, & sceptri potens,
Quem judicastis; impium agnosco genus,
Ferosque mores stirpes & proavos truces.
Sic providæ quietis & fati reus
Benignioris impias patrum manus,
Et dira pavidus ora respexit puer,
Qui mox vocanti Nilon impositus solo
Utrisque sævam depulit terris famem.
Sic lapsa ab astris mella & æthereas dapes
Pertæsa fixis rupe Sinæa patrum
Seditio castris prætulit Mosi Pharum
Et servitutem; nemo vates entheo
Impune per vos corde concepit Deum:
Sed nemo inultus. Memphis, & rabies locis
Inclusa vastis, inque se armatæ tribus
Adeo exciderunt, mox peregrini jugi
Mutata toties jura, & Assyriæ domus,
Aquilæque Magni, rupta cum templi sacra,
Mediaque victor æde Romanus stetit?
Pejora restant; hæc ministerio manus
Utinam placeret; vertere infidas libet
Sedes, & omni sueta sceleri viscera

Eruere ferro. Teſtor infauſtum nemus,
Cui luctuoſas Chriſtus affudit preces,
Quæſiſſe cædem, mixtus ut veſtro Cedron
Iret cruore; tela compreſſit mea,
Cui tela tenui, verbaque exemplo juvant
Sanavit hoſtem: pavidus, ut partem ſui
Sine ſe jacentem ſenſit, huc vertit faces,
Viſaque Malchus aure vindicta minax,
Et ſæva quatiens vincula incurrit manum
Notam medelis: tactus aufugit cruor,
Rediitque trunco priſtinum capiti decus.
Nocuiſſe Chriſto profuit tantum. Sed ô
Scelerata turba, vulneranti parcitis,
Trahitis medentem! Tu quid omnes per reos
Te, Petre, differs? ſi magiſtrum vindicas,
A te inchoandum eſt. Ille tu ſemper ferox;
Cunctas laceſſens pectore invicto minax,
Primos ad ictus cumque fortuna fugis.
Rebellis & deſertor & fluxa fide
Quid non patraſti? Robori quiſquis ſuo
Spes credit altas, nec dolos animi timet
Fruſtra placentis, perfidis ſed viribus
Incumbit, huc reſpiciat, exemplum grave
Sortis caducæ, quamque ſint fragili loco
Humana: primos uſque ſed punit ſuus
Error ſuperbos. Quid meis reſtat malis?
Abominando ſcelere fædavi dapes
Potus & undas; hocne, quod tantum nefas
Jurare potuit, ore guſtavi impio
Veneranda menſæ ſacra? Proh pietas! & hos

Ergo fugaces Chriſte laviſti pedes?
Quis me nivoſis deſpuens Libani jugis
Gemino citatas capite Jordanes aquas
Satis piarit? Tune Callirhoes liquor,
An vos alumnum poſcitis patrii lacus?
Non ipſe Nereus, quem ſuper Nilus ruens
Cærulæa turbat ore ſepteno vada,
Non illud olim quod ſtetit proavis fretum
Rubente crimen abluat fluctu meum.
A me petendus imber. Heu ceſſant adhuc
Lamenta? lachrymis contumax vultus fluat.
Sic ſic eundum eſt; verbere illiſo ſonet
Crudele pectus; hi decent ictus manum.
Miſerande debes hæc tuis Cepha malis:
Quid das magiſtro? non ferunt luctum parem
Quæ facio quæque patior; ut totam occuper
Nox iſta vitam ſeque flendam per meos
Diſpenſet annos; ſpiritus medios tamen
Gemitus relinquet, nec ſatisfaciet malis
Interque luctus anima deficiet ſuos.
Jam ſtetis oculi? flere vos decuit modo,
Tunc cum precandi tempus: at vos languido
Captos veterno vetitus oppreſſit ſopor:
Certe, priuſquam ſtaret hoſtile ad forum,
Ac ter negantis ora reſpiceret reus,
Aleſque lucis crimina occineret mea.
Quæ me recondet regio? qua mœſtum diem
Fallam latebra? quæro nigrantem ſpecum,
Qua me ſepeliam vivus, ubi nullum videns,
Nulli videndus lachrymas foveam meas.

PONTIUS PILATUS.
CAIPHAS.

PON. Tarpeie ſuperûm rector, & magni pater
Mavors Quirini, quoſque nunc melius colit
Urbs domina rerum, gentis everſæ Phrygum
Priſci Penates, quando continget mihi
Veſtras ac aras trahere votivos greges,
Ubi tecta cœlo paria & auratas trabes
Gemmis rigentes, quæque plauſu perſonat
Populus ſubactis jura qui populis dedit
Theatra cernam, teque terrarum
Magnamine Cæſar, ſive præſentem colit
Tua Roma ſupplex, proque toto quem dedit
Te poſcit orbe, ſeu togatis cœtibus
Te molliora regna Teleboûm negant.
Ego nunc amicis heu procul! patria procul,
Honeſtus exul jubeor inviſam polo
Frænare gentem, quæ ſuperbo nomine
Pietatis odium moris humani tegit.
Sceleriſque mundum damnat, & falſo metu
Unius omnes pariter abjurat Deos
Lex una legem nolle: non patitur regi
Infenſus aliis error & diſcors ſibi,
Simul rebellis turba jactavit jugum
Tam ſuera vinci quam domari neſcia.
Non ſponte noſtra, teſtor & fas & fidem,
Toties per urbes fluxit Hebræas cruor:

Sed vim proterva gens & insociabilis
Ni patitur audet, regna tractantes manus
Sævire ratio sæpè & invitas docet.
Sed ibo visum quid sacerdotum velit
Sibi turba, quorum trepida relligio sacro
Instante nostris pollui tectis timet.
Quis ille, quem tot vincla totq; homines premunt
Ipso verendus ore nec sontem ferens?
Tu fare Solymi Caipha princeps chori:
Quæ nuntiatis scelera, quod fertis nefas?
CAI. Custos Latinæ pacis, à summo duce
Nobis secundum nomen, adduxit sacer
Reum senatus; scimus, haud nostrum putas
Objicere pœnis posse non meritum caput.
Sed hic magistra quos vetustas edidit
Ritus, retroque longe defendit dies,
Convellere ausus intulit mores novos:
Nec illud almæ sedis arcanum timens,
Templo ruinam cantat, & plenis Deo
Minatur adytis; septimæ lucis sacram
Turbat quietem, fasque de cælo datum,
Totumque Mosem legibus calcat suis.
Nec stetit in illis: sidera incessit furor
Summumque numen, plebe cum vili satus
Palam Tonantem vindicat patrem sibi,
Hæc sunt piari morte quæ vates jubet,
Qui jura tabuli scripsit in geminis decem.
PON. Postquam ira belli mater atque auri fames
Artes nocendi reperit, & placidos suo

Præ-

Præſtare poterat nulla ſecuros quies,
Infirma per ſe vita communi metu
In fœdus homines traxit, alternam docens
Opem paciſci: mœnia amplecti domos
Cæpere: majus inde præſidium bonis
Subiere leges: pœna reſpondet ſuæ
Æquata culpæ: redit ad auctorem malum:
Juſtitia ab ipſo crimine exemplum petit
Damno rapinas ulta, cædem ſanguine,
Ut facere metuat quiſque quod metuit pati.
Majora pœnis peccat humanis, Deum
Quisquis laceſſit: magnus hunc vindex manet
Quem lædit: ipſe fulminanti dextera
Tremendus orbi cur ſuas mortalibus
Mendaret iras? eſſe nec datur impio
Impune: vecors mentis attonitæ pavor
Exagitat illum: ſentit ipſum quod negat,
Et cogitur timere vim non creditam.
Non peragit unus tale ſupplicium dies.
In hoc jubetur vivere, ut nomem necis,
Necique ſiquid reſtat horreſcat diu;
Sin patria quiddam jura diverſum ſonant,
Commiſſa veſtræ vocis arbitrio luat.

CAI. Quamvis avorum placita quod nobis manent,
Donum fatemur eſſe Romanum, tamen,
Omnis redacta juris eſt noſtri necem
Citra poteſtas; tu, cui magnus ſuas
Tradit ſecures gentis Auſoniæ pater,
Jus imperî tuere. Quem trahimus reum.

Modò jam relicta ſede natalis ſoli,
Ubi ſervat unda Cæſaris nomen tui,
Hæc uſque ad urbis tecta populorum agmine
Stipatus ibat, vulgus in bellum ciens,
Nefaſque clamans liberam Latio premi
Gentem tributo; carminis magici nefas
Stygiumque fœdus aſtruit fraudi fidem.
Nihil quietum patitur: excantat rogos,
Et ipſa turbat buſta ferali ſacro:
Queis capta monſtris turba novitatum ſequax
Dominum ſalutat, illius laudes canit,
Præfertque eunti nobilem paluæ comam.
His ille ſtudiis fretus addicit ſibi
Poſſeſſa quondam ſceptra Davidis domo.
Motu ex rebelli, quid niſi cædes viros,
Flammæ penates, vaſtitas agros manet,
Cum juſtus in nos ſæviet Romæ dolor?
Unum perire ſatius, an populum putas?
Quin hic piamen omnium culpæ datus
Cruore gentis redimat exitium ſuo.

PON. Ambigua prudens cauſa conſilium expetit.

Intro eſt eundum. Vos foris, quando libet,
Reſtate, vinctum milites ſiſtent, ubi
Auditus à me jura pro factis ferat.

CHO-

CHORUS JUDÆARUM MULIERUM.

SOlymæ turres regnumque vetus,
Cui victa tulit terra tributum,
Quæ Niliaci finibus Isthmi
Procul Assyrium tendit ad amnem,
Cum procubuit tibi fuscus Arabs,
Mirata tuas cum venit opes
Decolor ustæ regina plagæ:
Tua certarunt fœdera magni
Ambire duces, Celsâ Canopi
Qui sceptra tenent, & Chaldæi
Late domini gentis Eoæ,
Virtusque mari Sarrana potens:
Nunc heu quali sub servitio
Nihil, externis nisi præda, jaces!
Uni tellus desponsa Deo
Quoties quoties mutavit heros,
Ex quo auspiciis non cœpta bonis
Nova creverunt mœnia templi,
Populusque inter vincula natus
Secum rediens sua fata tulit!
Scelus Antiochi patrumque nefas
Sedet in nostra cervice, sedet.
Ætas quid enim dira refugit,
Quæ cælestis potuit flammæ,
Prima silentes spectare focos,

Fusoque

Fusoque suum sanguine fecit
Sacra iratum meritura Deum?
Ergone Jonios scelerata hominum
Commenta Deos thuris acervo
Placans jacuit nostra inventus?
Fratrum post hæc tempora cædes
Toxica manibus mista maritis,
Matrumque dolos, & quæ nemo
Credere posset Judæa tulit.
Bis Romanis cessimus armis,
Bis victores nostros victor
Pertulit alter: dominis tantum
Fortuna levis, nos jam toties
Transit eosdem.
Deerat nostris hoc nempe malis
Juga cognatos diversa pati,
Dum pars Italas metuit virgas,
Partes alias regnat uterque
Fratrum proavis domita nostris
Ortus Idume.
Tu spes lapsis unica rebus,
Columen parriæ, genus Abrami,
Quem fatidico pius ore parens
Sperare suum jussit Judam,
Quem regis avi nablia cantant,
Vindex populi tibi sacrati,
Clausure tuos non frangenda
Pace triumphos, tunc cum leges
Feret unius Judæa tuas
Inter famulas libera gentes,

Quan-

Quando nobis, quando toties
Promiſſus ades?
Si nos vatum, quorum miſeris
Conſtat multa jam clade fides,
Nunquam in lætis carmina fallunt,
Non tu longe. Per te ſancti
Limina templi, per juratum
Patribus nomen, quod lingua loqui
Noſtra veretur, conſanguineos
Reſpice luctus, propera, propera
Sancte precamur, votiſque piis
Tandem præſens diſce vocari.

ACTUS TERTIUS.

JUDAS. CAIPHAS.

QUicunque puras ſcelere ſervatis manus
Me fugite longe, fugiat & qui non niſi
Credenda peccat. Iſte vultus polluet
Etiam nocentes. Vos quibus fas & nefas
Diſcreta, quos non tota migravit fides,
Quibus eſt amicus, filius, frater, piæ
Quos mentis ullo nomine affectus tenent,
Occludite aures; neſciat commercia
Tam dira mundus; ſolus hoc nôrit nefas
Qui vendidit, quique emit. Ubi nunc pontifex,
Ubi dicta ſacris turba, digni qui ſuis
Mactentur aris? Impium cerno gregem,
Quo pejus æther me videt dempto nihil.

Audite

Audite vocis præsules notæ sonos:
Gratis loquemur: sive testem quæritis,
Habete verum: sive sontem quæritis,
En confitentem; prodidi vobis ego
Animam immerentem, prodidi sanctum caput,
Plusquam magistri; scelere non possum manus,
Præda levabo: munus ad dominos redit:
Habete lucro perfidi pretium doli.

CAI. Meritone culpes temet ac peragas reum,
Te stabit intra cura; nec nos crimina
Aliena tangunt: nec tibi partas opes
Recipimus: à se nam cruentos respuit
Quæstus sacrato gaza Corbanæ sinu.

JUD. Hoc fas & æquum vestra si pietas docet,
Probare facinus, execrari præmium,
Ibo, ibo ad aras & nefando munere
Templum impiabo; nil ibi frustra Deum
Pro me precabor: vos sed ut culpa pares
Par pœna teneat; debita haud ultra moror
Supplicia: diræ mortis ad nigros specus
Dux ille vester præceo, vos æquum est sequi
Cœli imperator, si nec ignavus vides
Humana, nec te fulmine armatum truci
Frustra timemus, terra quid meruit tua,
Quod tale monstrum portat, aut Sol, quod videt?
Si vetera credi genera pœnarum jubes,
Accedat unum; littus eripiant mihi
Demissa cœlo maria, me fluctus premant,
Et fiat hominis pœna quæ mundi fuit
Liquefacta rædas astra sulphureas vomant,

Quan-

Quantumque cœlo eſt ignis, hoc una caput
Feriat ruina; quinque non tantum nefas
Fecere populi; pandat arcanos ſinus,
Et inferorum clauſtra magnum juſtius
Non ulta Moſem terra. Jam quicquid mali eſt
Tuus in minora ſcelera conſumpſit
In vindicando filio lentus pater,
Exitia machinare terrifica, horrida,
Nondum reperta. Facis? an hæc faciet manus
Quod tu recuſas? Dira cæligenûm exulum
Feralis acies nata punire impios
Et facere, quid me hoſtile circumſiſtitis,
Quid territatis? Jamne apud manes mea
Decreta pœna eſt? venio; quam partem ſui
Mihi ſævus aperit carcer? hanc, ubi ſontium
Pater ille, cujus non litanti dextera
Frater recentis quarta pars mundi jacet?
An illa poſcit regio, noſtrorum ducum
Ubi turba major, quos ſuper mole eminet
Socer infidelis, qui ſuo ferro incubans
Invidit hoſti regiæ cædis decus?
Placet ante cunctos ille, qui rapto patri
Solio ſuperbus, perdidit moriens humum,
Ultrice rutilas arbore implicitus comas.
En digna ſeſe monſtrat ad læthum via:
Sequor hunc: Jeſum præeo: ſupplicio pari
Anima anteverte ſceleris eventum tui.

PON-

PONTIUS PILATUS.

TURBA JUDÆORUM.

HOrreſco totus: nec quid aut ſileam aut loquar
Decernit animus: liberant leges reum;
Invidia damnat. Fateor, offenſam timens
Plebis patrumque crimen optavi datum,
Nullum repertum eſt; quicquid objecit ſua
Satis ipſa prodens odia conjuratio
Silentio revicit. En illa inclyta
Phariſæa pietas: quia ſub exeſi fame
Pallore vultus & ſupercilio gravi
Vano calentes ambitu ac cupidos opum
Animus retexit, fit nocens, ſpretor Dei,
Sacrilegus: hinc tot illa ſcelerum nomina
Regni quecrimen. Scilicet maris accolæ
Inops inerſque vulgus, & Galilaïdum
Grex fæminarum, ſpiritus facient duci
Tantos; ad iſtas Roma trepidabit manus.
At ipſe regem ſe negat terris datum,
Regem fatetur: unde non ullas ſibi
Pugnaſſe dextras cum lacertos ſtringeret
Popularis hoſtis: ſed feris mortalium
Odiis patentes traditas partes ſibi
Verum tuendi: ſtudia quos eadem juvant
Paucos magiſtræ vocis imperium ſequi.
Seu vera ſunt hæc, liceat impune eloqui,
Seu temere jactat falſa, quis mendacium

Capite

Capite expiavit? ſeu furit, pœna eſt furor.
Sed & ipſe quem nunc annui cultrix ſacrî
Structum parenti traxit ad templum dies,
Qui juncta fini regna Agenoreo tenet,
Famæ ſtupenda facta narrantis fidem
Fruſtsa requirens, imperî civem ſui
Habuit ſatis ſpreviſſe; nec ludibrium
Damnavit ultra: dictus Herodi æmulus
Fulgente ab ipſo cultus ornatu redît.
Sed innocentem bis repertum ſævior
Premit ira, metuens, credo, nequicquam ſcelus
Quærens in illo, ne ſuum amittat ſcelus.
Animo ſemel præcepta proh quantam movet
Vindicta rabiem! talis ereptam furit
Recipere prædam notus in ſilvis leo.
Pudet, at metus ſubegit æquum ut fraudibus
Vellem tueri, juſque furarer dolis:
Ceu contumacis impetum pelagi timens
Obliqua fluctus navis oppoſitos ſecat.
Mos eſt vetuſto, ſi qua Judæis fides,
Veniens ab ævo liberum quo turgidas
Æſtate ripas fugit Jacobi genus,
Quoties renato vere Titanis ſoror
Pleno refulſit orbe, populi gratiæ
Unum è nocenti plebe donari caput.
Ego jam ſoluta non merenti vincula
Spe deſtinabam: ſed meæ clementiæ
Eluſit artes vis ſacerdotum effera:
Quorum inctiatu turba latronis petit
Vitam Barabbe: prima miſcendo manus

Semper

Semper tumultu, sanguine humano calens,
Insontis odio factus insons, publicum
Meruit favorem. Nunc & ancipitem metu
Non vana charæ visa turbant conjugis,
Quam nocte tota tenuit irrequies sopor:
Meque illa jam per sacra, per superos rogat,
Ne jura violem, nilque peccantem hostium
Gratificer odiis. Ergone Hebræos patres,
Et studia temnam traditæ gentis mihi,
Et una vilis anima tot subito mea
Benefacta perdet? clausa nunc his mœnibus
Judæa tota est: advenas quos ultimo
Ab axe misit orbis haud capiunt domus.
Quid si arma vulgus sumit, & cæptas semel
Non ponit iras? scilicet judex pius
Magnum merebor pace turbata decus.
Meliusne morti dabitur? at culpa vacat.
Quin ista magna est culpa, quod fieri potest
Materia belli: ne periclo succubent
Imperia, sæpè valuit in crimen timor.
Spes una restat: terga jussis milites
Secuere flagris, si truci spectaculo
Se forte plebis satiet iratæ furor.
En qualis adstat! sanguine & vibicibus
Rubent lacerti: vulnere exhaustum latus:
Humeros cruentos concolor vestis tegit
Mendacis ostri: proque serto regio
Utrunque tempus asperæ sentes premunt,
Spectate miserum. TIBR. Tolle & hoc purga solum
Visu nefando: fige devotum cruci

PON.

PON. Veſtrumne regem? TUR. Nulla conſortem ſui
Patitur poteſtas; juris humani arbitrum,
Quem Roma monſtrat, colimus: unum Cæſarem
Dominum fatemur: Cæſari regnum eripit,
Regnare quiſquis ſperat: atque adeo tuas
Res intuere quam fidem præſtas hero
Si te timendum præſide exemplum incipit,
Impune magni læſa majeſtas ducis?
PON. Creſcit tumultus: ſæviunt procerum ſimul
Plebiſque voces: murmur incertum fremit,
Littorea qualis ſaxa ventorum fragor
Primus pererrat, cum procellas parturit
Cæli latentis ira, diffidit polo,
Totoque trepidus nauta decedit mari.
Notus mihi iſte ſtrepitus; hæc ſubitam mala
Poſcunt medelam. Vos piatrices aquas
Huc ferte famuli. Teſtor hos puros ego
Undæ liquores, & meas teſtor manus,
Quas ſordis expers imbre perfundit latex,
Nil ſponte facimus: quod carens culpa perit,
Mea culpa non eſt. Iſte vos teneat cruor.
TUR. Securus eſto; quicquid hujus pendere
Cædes meretur, ſentiat noſtrum caput,
Noſtrique generis ſera poſteritas luat.
PON. Ergo hic, ubi inter nobilis cruſtas ſoli
Surgit tribunal, juris auguſti locus,
Sedens profabor. Trahite damnatum cruci:
Servile rex Judæis exitium ferat.

CHORUS JUDÆARUM MULIERUM.

JESUS.

TE te miſerum plangimus omnes,
Tibi cum fletu lamenta damus:
Seu tu nigræ cura volucris
Raptus in altum flammante rota
Sentis dominos rurſus iniquos:
Seu captivæ quondam patriæ
Sero nimium credite vates
Lachrimas fatis reddis iiſdem:
Seu qui nuper, poſt Jordanis
Puro lotas flumine gentes,
Nihil inceſtos veritus regum
Culpare toros, morte luiſti
Saltatricis vota puellæ:
Seu priſcorum quicunque virûm
Idem atque alius redditus orbi
Merſo vitiis conſulis ævo,
Sanctus certe; tua quod virtus
Et facta probant; non tu poſthac
Denſo comitum ſtipante choro
Niveos mores & clara poli
Regna loqueris: non te aſpiciet
Cæcus ſibi vix credulus ipſi
Vultu ignotum cernente diem:
Non clementes fugiet tactus

Omnibus herbis invicta lues,
Non te vires præbente tuas
Auctu tacito totidem panes
Hominum totidem millia pascent.
Vera exacti regula moris,
Prope plus vita quam voce docens,
Modo sectatrix quem turba premens
Angusta nimis littora quæsta est,
Montesque sua plebe minores:
Modo cui vestes, cui vincentes
Pondera ramos substravit ovans
Festo cantu nostra juventus,
(Quid non possunt fortuna levis
Rerumque vices?) deserte tuis,
Prodite sævo duceris hosti,
Vindice nullo.
Non ita dudum spes afflictis,
Unaque cunctis medicina malis
Vinctæ loro cessere manus.
Per quem muti potuere loqui,
Nunc ecce taces. Repetit plagas
Aperitque novo verbere sulcos,
Nobisque suas venditat iras
Romana cohors; en membra fluunt:
Nulli proprius dolor est parti,
Sed confusos abit in rivos
Unum toto corpore vulnus.
Fatine etiam tute minister
Pœnæque tuæ portitor ibis?
Quis migrantes habitare domos

Consuetus Arabs, regnansve cava
Rupe tyrannus tam dira jubet?
Necet ô vtinam pressum ligni
Feralis onus, membra fatiscant,
Rumpatque labor tenui hærentem
Limite vitam! votum fuerat
Sic posse mori; quantis eheu
Servare malis! Fers ipse crucem
Quæ te quæ te miserande feret.
IES. Ne Judææ ne me ninium
Plangite matres, vestro generi,
Vobisque istas Solymæ lachrimas
Servate nurus, quibus exitium
Triste minatur funesta dies.
Venient annis tempora paucis,
Cum fœcundos vteri mulier
Questa tumores, dicet solas
Esse beatas, quas maternos
Nulla liquores pignora poscunt,
Cupiet tota eum rupe tegi
Misera & magnos sidere montes,
CH. Eheu dir æ victima morti
Non nos iterum visurus abis.
Non te lethi porta remit tet,
Qualis nuper tibi clamatus
Sensit sensus esse reversos,
Venasque tua voce solutas
Iterum ferme riguisse metu,
Simul oblitum venit in orbem
Nigro surgens Lazarus antro:

Cum

Cum Sadoci domus errores
Maleſana ſuos certo vidit
Teſte refelli.
Pauci raro munere cæli
Potuere aliis reddere vitam,
Se nemo ſibi.

ACTUS QUARTUS.

NUNTIUS PRIOR. CHORUS JUDÆARUM MULIERUM. NUNTIUS ALTER.

TAndem execranda, barbara, infanda, impia
Facinora fugi, nec ſatis fugi tamen:
Quodcunque vidi ſequitur, & totum ſcelus
Oculis oberrat. CH. Teſtis an certus venis
Supplicia vatis dira Galilæi ferens?
N. P. Si qua eſt ſub oras gens relegata ultimas,
Quæ cælum & aſtra mariſque & terras Dei
Ignara cernit, pellit ubi cædes famem,
Et menſa ſimiles ponit epulanti dapes,
Non iſta faceret. CH. neminem inſontis viri
Igitur miſertum eſt: nemo ad hæc gemuit mala?
N. P. Sane mi ſertum eſt: ſed magis fera non fuit
Sævitia quam dum parcit. Urgebat nimis
Exangue corpus pondere attritum ſuo

Infamis arbor, morſque jam ſteterat prope:
Sed lenis ille militum populus vetat
Miſerum perire; ſocius ærumnæ datur
Lybies creatus urbe Theræa Simon.
Non illum amata ruris anguſti quies
Defendit: urbis vitia fugientem premunt,
Urbis furores: tractus ergo non ſuo
Succedit oneri, nequis ambigeret trahi
Et immerentes. CH. Pande jam totam ſimul
Faciem malorum; fare quis pœnæ modus,
Quas vis dolorum rupit in voces; cupit
Animus quod horret ſcire, ne parce auribus.
Timor ipſe finxit quicquid audiri poteſt.
N. P. Quæ pars ab urbe frigidis Boreæ patet
Projecta ſlabris, cognitum bellis iter
Et certa ſemper clad bus noſtris via,
Hæc ipſa dirum Golgothæ tollit jugum.
Non flore collem pingit herbeſcens humus,
Non læta obumbrat arbor: albens oſſibus
Taboque ſordens ſquallet humano ſolum.
Jacent nocentum non ſepultæ corporum
Putres reliquiæ; quiſquis aut ferro impius
Jugulum parentis hauſit, aut matri ſuos
Fœtus regeſſit, quiſquis in fratris necem
Legit venena, quiſquis ignotum hoſpitem
In nemore ſolo pabulum poſuit feris,
Hanc morte ſedem meruit; agnoſcunt ſuos
Tot ſcelera manes. Hæc ubi infauſta in loca
Vir Nazarenus languidum erexit gradum,
Præbetur ægri pectoris ſolatium

Qui

Qui lachrimoſis editus myrrhæ comis
Latex amarus dulce condivit merum.
Aut vix Jeſus ore dignatus ſuo
Inane munus, reſpuit pœnæ moras,
Luctuque forti totus incumbit malis.
Jamque ecce ruptis pervios venis pedes
Ferrum premebat: brachia in partes duas
Diducta: gemino vulnere adſtrictæ manus.
Dum tanta patitur monſtra, dum tellus abit
Surgente trunco, deque ſublimi rubens
Deſtillat imber, nulla tormentis viri
Donata vox eſt, donec infixus ſolum
Stipes momordit. Tum, velut cœlo ſuo
Sic propior, ora pariter atque oculos levat,
Et poſitus inter tanta (quis credat?) mala
Miſeratur alios, & magis flendos putat
Quibus iſta licuit facere; proque ipſis timet,
Reuſque veros falſus abſolvit reos:
Ignoſce, clamans: magna delinquunt, pater,
Sed inſcientes. Militum interea ferox
Et ſueta prædæ turba, non viſu trucis
Pœnæ moveri: neſcius flecti rigor
Expulerat hominem; ſpolia nunc etiam petunt:
Nec opperiri fata morituri vacat:
Viventis & cernentis exuvias juvat
Secare: magna pars voluptatis feræ
Spectator ipſe eſt; ludit in parvo furor,
Virique cultus pauperes in quattuor
Quæ ſe tenebat dividi veſtis negans,
Adjudicanda ſorte, caſus arbitri

Munus pependit. Non minus pœnâ fuit
Et hoc, tueri compares pœnæ duos,
Quos sæpè sera nocte prædonum duces
Timuit viator devio abstrusos specu.
Hos inter ipse positus ambiguum facit,
Illisne major debeat populus necem,
An sibi salutem; signat illos cædium
Numerosus index; tale de medio nihil
Cum turba legeret, quærit & scire expetit,
Quod culpa nomen, pœna quem titulum ferat.
Stabat super pendentis obliquum caput
Triplices tabella vocis ostentans notas,
Inscripta quales charta quæ Solymos docet
Cæleste sacrum crescit in dextrum latus,
Quibusque sollers Græcia in famam suas
Dimisit artes, & quibus leges datas
Mundus Latinæ præda virtutis tremit.
His sensus idem: nomen & patriam ferunt,
Ipsumque regem gentis Hebrææ vocant.
Postquam dolentis ore se pavit diu,
Huc torsit oculos sæva gens antistitum,
Et reperit aliquid tanta patienti mala
Quod invideret; tollat adscriptum decus
Præses rogatur, ne vel ipsa vindicet
In morte regnum, seque privatum neget
Occidere verbo factus imperii potens.
At ille durus perstat, atque hominis modo
Donare vitam facilis hoc tandem negat.
CH. Dum misera longos vita cruciatus trahit
Quo populus adstat ore, quis circum sonus?

N. P.

N. P. Non una facies: diſſonæ voces ſtrepunt.
Pars mæſta vultu ac corde defixo ſtupet:
Pars morte lenta fruitur, & quantum poteſt
Extendit iras; motuum diſcordia
Alit ipſa motus: namque miranda vice
Triſtes acerbos lachrymæ riſus movent,
Riſuſque lachrymas. Fine Galilæo procul
Comites ſecutæ limen ad templi ſacrum,
Modò quas miniſtras vita, nunc teſtes habet
Mors ſæva amici, quo licet ſolo, fidem
Præſtant dolendo. Lacerat hæc veſtes ſinus,
At hæc capillos, alia nudis ubera
Plangit lacertis: illius longe cavis
Reſultat antris gemitus: hanc fletus rigant.
Stat ante cunctas moris exemplum pii
Pudica mater, lachrimas cujus tenet
Cernique prohibet dolor ineluctabilis.
Quo vertat oculos neſcit: an figat ſolo?
Qua miſera mente ſanguinem aſpiciat ſuum
Terra fluentem? levet in altum lumina?
Dira videbit peſte convelli ac trahi
Quos peperit artus; cernere alterutrum timens
Utrunque cernit, ſeque permittit malis.
Propius parabat ire & amplecti arborem,
Sed hæret ægrum corpus, & medios gradus
Pedes relinquunt. Ipſa vox fruſtra exitum
Quærit, poteſtque prope videri triſtior
Pendente nato; claudit huic ſanctum latus
Bis ſex ſodales inter adamatus pio
Juvenis magiſtro. Triſte ut aſpexit jugum,

Ani-

Animaſque dulces non minus vita ſibi
Dum vita manſit, ſentit ille aliam crucem,
Graviuſque torquet ille ſpectatus dolor.
Sed utroque tandem fortior longi moras
Rumpit ſilenti, Sume depoſitum meum
Uterque: natum mater hunc pro me tibi
Poſthac adopta: tuque Zebedæi puer,
Quæ fuit amici nunc tuam matrem puta.
Hæc fatus iterum flexit in pœnam caput.
At parte in alia verticem miles quatit,
Noſtræque gentis vulgus & gentis patres.
Tune ille, clamant, qui ſacram rueres manu,
Idemque terna luce relocares domum?
Oſtende vires. Ipſe ſi tanti facit,
Suamque ſobolem magnus agnoſcit pater,
Nunc opifer adſit, ſpeſque confirmet tuas.
Per te data aliis ecquid auctorem ſuum
Salus refûgit? rumpe ferrum & vincula,
Deſcende trunco: petitur hæc regni fides:
Jam te ſequemur. Nec ſatis ſcindi probris
Aſtante turba fuerat. Eſt qui ſtipite
Suſpenſus, animum nunc quoque homicidam pro-
Nec fieri in ipſa deſinit pœna nocens, bat,
Ac ſic profatur: Ille ſi credi cupis,
Quem Deus Hebrææ gentis elegit ducem,
Nos teque ſerva. Non tulit vocem impiam
Culpæ neciſque ſocius, & tandem ferum
Ponens latronem: nondum, ait, diſces Deum
Et fas vereri, juſta quem legis ſacræ
Vindicta deprehendit? Et peccas adhuc

Iterum

Iterum luenda? Noſtra debent crimina
Quodcunque patimur. Iſte quid fecit mali?
Verſuſque ad ipſum: parce, te, miſero, precor.
Mihi rex mihique dominus, & lætum tua
Cum te tenebit aula, ſis noſtri memor.
Ille annuit benignus, eque ipſa cruce
Largitur aſtra: Mecum, ait, mecum ſacros
Tenebis hortos, veris æterni loca,
Beatus hoſpes, antequam lucis parens
Aurora referat craſtinum terris jubar.
CH. Quid hoc? repente ſubſilit motu ſolum,
Et ſtare tellus neſcit; auratos tegens
Sol ipſe vultus limite ignoto fugit,
Et ſæculorum lege contempta diem
Abrumpit æther, noxque luci debitas
Invadit horas. Dira quas portant minas
Prodigia? quanto eſt omnibus majus malum,
Quod nec ſui meminiſſe naturam ſinit?
Sed ferit aures curſus haud longe pedum.
Tu quiſquis ille es, quem ſatis noſci vetat
Caligo mundi, tam graves imple metus,
Aut ſolve. N. A. Periit, habuit eventum furor
Damnatus aſtris, quemque, ſi poſſit, velit
Et terra fugere. CH. Nil queror. Lucem tibi
Cœlum remitto. Tu tamen, quando loqui
Nobis relictum eſt, mortis effare ordinem.
N. A. Ut creſcere umbras juſſit, & medio ætheris
Curſu peracto longius Titan ſuos
Reſpexit ortus, igneæ ſenſim comæ
Periere: nulla nube præductum caput

In

In ſe receſſit; quarta reſtabat polo
Jam pars diei, ſi tamen fuit hoc dies,
Audita vox pendentis, haud qualem halitus
Inter necem vitamque deprenſus daret,
Sed fortis & ſonora: Quid Deus ô tuum
Me derelinquis? turba crudeli joco
Hoc ultimum fruitura, Thesbitæ peti
Auxilia vatis ore mentitur fero,
Jamq; adfuturum quantus aut ignem aut aquas
Cælo popoſcit. Ille ſed contra nihil:
Tantum cruore exhauſtus & fractus malis
Sitim fatetur. Vaſe defuſus latex
Amarus avidos ſpongiæ laxat ſinus:
Premit fluentem purus hyſſopi viror,
Quem levat in altum dextera adſtantis viri
Protenta arundo. Tincta ferali mero
Ille ora rurſus aperit & clarum intonat:
Habuere finem cuncta: nunc animam hanc tibi,
Tibi hanc ego animam magne commendo pater.
Hæc dum profatur, ſpiritus verbis comes
Prorumpit una, nilque ſenſuros cruci
Artus relinquit. Ille jam liber tenet
Quamcunque ſedem fortiter miſeris Deus
Adſcripſit; at nos perdito orbis ſidere
Infamia agitant monſtra: nos peragunt reos
Superi inferique; namque & umbrarum vaga
Curſat per urbem turba, quam ſedis ſuæ
Incerta tellus intimo ejecit ſinu:
Laxata hiatu ſaxa deformi patent,
Latumque functis fecit ad vivos iter

Com-

Compage rupta tumulus: unum manibus
Cælum ſepulchrum eſt; rediit antiquum chaos:
Non legis æquæ gnara, non patiens vicis,
Sed qualis ante conditam lucem fuit,
Nox atra populos intulit terris ſuos
CH. Sed inter hæc portenta quæ circum crucem
Mens plebis? Ecquis vultus aſtantum fuit?
N. A. Lamenta fletu mixta fæmineo ſonant.
Tum ſiquis ipſi notus & vitæ comes
In morte adhæſit, ingemit tenebris diu,
Piaſque cælo tendit erepto manus,
Queriturque, tantum facere dum licuit nefas,
Manſiſſe ſolem; magna nec vitæ ſatis
Sibi certa turba eſt: parſque ſe, pars mortuum,
Pars luget orbem; cecidit Auſoniæ furor
Sævus catervæ: pacis ignaræ manus
Torpent, & arma gelidus excuſſit pavor.
Dux ipſe centum ſolitus imperio viros
Frænare, iniqua jurat extinctum nece
Heroa, cujus ipſa ſe tellus neget
Perferre pœnas horrido motu gemens,
Quem luce caſſum lucis æternæ fuga
Cælumque mœrens aſſerant cœli genus.
CH. Quis iſte turbæ curſus ad limen ſacrum?
Nam cauſa in illis quælibet credi poteſt,
Niſi ſola pietas; hiſne tam impuris Deo
Litare ſperant manibus? N. A. Horrendum, nova
Prodigia & iſtuc vulgus attonitum trahunt.
Namque ille pendens trabibus auratis tapes
Multiplicis oſtri, ſciſſus in partes duas

Totus

Totus receſſit: prodita eſt ſacri fides,
Vacuumque Hebrææ gentis arcanum patet.
Fatalis illa gentium quondam tremor
Sacrata Moſi ciſta, cui denas datum
Servare leges, gemina quam volitans ſuper
Umbrabat ales, quemque fœcundo cibum
In caſtra rore fudit exemplo novo
Docens quietem ſeptimâ nubes die,
Et virga cujus flore compreſſo ambitu
Sibi victor Aron cidaris aſſeruit decus,
Templi illa veteris decora quæ fuerant prius,
Periere dudum: magno in adyto cernitur
Nil præter adytum: quicquid ignotum magis
Timuere ſæcla, panditur: flammis micans
Facibuſque templum parte ſepoſita ſui
Admiſit oculos, ſive relligio feros
Pertæſa mores fugit & cerni dedit
Penetrale nudum, ſive contempto loci
Horrore ſola mente vult numen coli.
CH. Poſitone pœnis fine quem mors attulit
Natura tandem valuit, & tellus parens
Exanima placido corpora expectat ſinu?
An nuda pendent membra & aſpectu impio
Sacræ profanant veſperam noctis ducem?
N. A. Animos feroces ſera relligio ſubit,
Ne non paratos prævia inſignis ſacri
Deprendat hora; Pontium accedunt ducem:
Laceros cruentis deripi crucibus rogant
Artus, priuſquam victima Ægypti memor
Feſtæque puras poſcerent epulæ manus.

Reis

Reis duobus, media queis vitæ ac necis
Hærebat anima, crura sævis ictibus
Illisa, dirus ossium mugit fragor,
Simulque tenues spiritus rumpit vias.
Nec magis Jesu fata jam functo sua
Cohors pepercit Latia, sed vita vacans
Tremente miles lancea incursat latus.
Patuere ferro viscera & apertis aquas
Venis micantes mixtus effudit cruor.
Sublata postquam corpora & vacuæ cruces
Stetere, vultu turba non uno fugit,
Pars mœsta, pars attonita; quo ruitis viri?
Mactandum ad agnum? vilis hæc nimium hostia
est:
Mactastis hominem. CH. Fallit ambiguus dies,
An triste vulgus tueor, & muliebribus
Laniata palmis pectora & flentes genas?
At inde tardo miles Ausonius gradu
Trepidans ad altos præsidis tendit lares.

CHORUS ROMANORUM MILITUM.

O Qui perpetua vectus in orbita
Curru flammifero tempora dividis,
Ad cujus radios noctivagus chorus
Vultu diffugiunt sidera pallido,
Qua nunc parte poli luminis arbiter
Interceptus abes? quæ tenebris via?

Quis

Quis ſurgit medio veſper ab æthere?
Nondum te Tyriis navita Gadibus
Stridentem Heſperiis fluctibus audiit:
Non cælo rutilas ſurripuit comas
Nubes imbriferis fæta madoribus:
Non interpoſitis Luna jugalibus
Fraternis hodie viſibus obſtitit,
Quæ furtiva procul lumina colligens
Pleno circuiit cornua circulo.
An captum magico carmine Theſſalæ
Te vinxere nurus? quis Phaëton novus
Ignaris manibus fræna regens equos
Egit ſignifero tramite devios?
Quod factum ſcelus eſt? quo meruit diem
Nondum nocte data perdere ſæculum?
Ut cum viſceribus viſcera condidit,
Implevitque ſuis pignoribus patrem
Jejuni ſoboles effera Tantali:
Aut cum ſacrificæ filius Iliæ
Terrarum domini conditor imperî
Cum vita pariter funera perdidit
Diviſus lacero corpore centies.
An præſcripta polo tempora finiit
Natalis ſuperûm qui fuerat dies,
Et quo ſtare prius deſierant loco,
Hinc nunc aſtra negant currere longius?
Quæ natura tui pœna placet tibi?
Quo moles rapitur tanta? quis exitus?
Seu terras iterum fluctibus obruis,
Seu flammis dabitur vaſta licentia,

Ibit

Ibit quo pelagus quod ferat omnia?
Supremos cineres quis cinis hauriet?
Quodcunque est solitum quod novat ordinem
Non est hoc hominis, non populi malum:
Aut mundus patitur triste periculum,
Aut mundi dominus. Rursus an impia
Titanum rabies fulmina provocat?
An Pythone malum sævius extitit,
Lernæaque draco peste feracior
Cœlo vipereas opposuit minas?
Ecquid nunc patrio flectur in æthere
Pressus morte Deus progenies Dei,
Donatore meri largior Evio,
Prosternente feras fortior Hercule,
Intonso medicus major Apolline?
Nobis præcipue nox gravis incubat.
Gratus quippe Deo sanguis & innocens
His fluxisse locis creditur; hoc fuit
Quod tellus tremuit, quod puduit diem.
At tu summe parens ætheris artifex,
Iratus vitiis, nec rigidus tamen
Confessos venia pellere supplices,
Humani generis crimine perditum
Mundo redde diem. Par semel omnibus
Unum flagitiis quære piaculum,
Quod non Threicia relligio Sami,
Intellecta feris non cecinit lyra,
Non glebæ soboles fatidicus puer
Tyrrhenos monuit doctor aruspices.
Idem nostra cruor crimina diluat,

Quem nullo meritum crimine fudimus.
Hoc placatus ades sanguine mitior,
Et pro tot populis sontibus unicum
Insons fume caput; non potuit dari
Aris ulla tuis dignior hostia.

ACTUS QUINTUS.

JOSEPHUS ARIMATHENSIS. NICODEMUS.

SPectate cives: Pontii munus fero:
Ut condat hominem terra & humanæ manus,
Prece obtinendum est; nescit Ausonia indoles
Vel sponte recte facere vel gratis male.
Omne est in usu facinus: his mortem imputant,
Illis sepulchrum. NIC. Parce vanis vocibus
Josephe, vel, si justa tam dulce est queri,
Dimitte Romam, quære propiores reos.
Quem plangis, hunc non Romuli occidit genus,
Sed Abrahami. Vera quis sensa explicet
Oraculorum & legis è cœlo datæ,
Quem mente tota major inspiret Deus,
Quis dux perennes certior monstret domos,
Pilatus ista curat? an Latio innocens
Sub teste cecidit? criminis falsi artifex
Italûm senatus, an sacerdotum fuit?
Judicio in isto Cæsarine an Cariphæ
Obtemperatum est? transferas culpam licet,

Judæa

Judæa certe corda & ora, oculi quoque
Homicidium fecere: quod ſupereſt nefas,
Hoc eſt Quiritum. Quam bene Hebræis Deus
Manibus pepercit! hoc quoque Italo militi
Invidit aliquis & ſcelus mallet ſuum.
Servire adhuc nos querimur? en cædem impiam
Impune licuit facere; quid facere, inquio?
Licuit jubere. JOS. Nicodeme unis ego
Devoveo diris Iliæ & Saræ genus.
Pereant utrique. Tam diu quid fulmina
Ceſſant & imber piceus & mare peſtilens?
Quid Sodoma tantum meruit? Haud ultra tui
Me patria miſeret. Sævior Babylonio
Victore victor veniat & caſtris premat
Urbem cruentam; bella ſi non ſunt ſatis,
Fæcunda morbos ſeminet morbis lues,
Interque damna creſcat; accedat fames;
Nullos recuſet impotens rabies cibos:
Cunis in ipſis vagiens ferrum tremat
Infans paternum: redeat in matrem puer.
Dum verberantur mœnia incuſſu gravi.
Quæratur hoſtis intus, & diſcors ſibi
In ſe arma vertat populus, in templum faces:
Cognata dirimat agmina obſeſſor ferus,
Flammiſque & enſe Solyma vaſtet mœnia,
Trahatque domina compede Iſacias nurus:
Nec vincla ſolvant ſepties anni decem:
Populos per omnes miſer & immiſerabilis
Captivus erret populus: hunc juris ſui
Nulla ora, reducem nulla conſpiciat dies.

Hæc firma maneant vota; nil moror hoc ſolum,
Quod ne premam ultra nulla tam gravis eſt fuga
Quam non capeſſam: vel ſi Hyperboreo procul
Subjecta plauſtro littora extorrem vocent,
Qua refuga fluctu Tethys ambiguo ferit.
Erit ille patria qui patet vero locus.
NIC. Hinc inter alios fœdus humanum genus
Inſedit error; facta quis culpat ſua?
Aliena quis non? magna pars non crimina
Damnat, ſed homines, diſpari ſententia,
Aliis ſeveri judices, faciles ſibi.
Nos, quia profana voce nos addiximus
Morti immerentem, jura nec contra & fidem
Scripſit cruentum noſtra decretum manus,
Nobis placemus, magna ceu virtus foret
Non eſſe magni conſcium ſceleris ſibi.
At ſi fatemur vera, quis forti virum
Defendit ore, quiſve corrupta arguit
Livore ſævo judicum ſuffragia?
Quis commodavit legibus vocem ſuam?
Sic victa pietas faſque, dum ſanctum caput
Illi loquendo, nos tacendo prodimus.
Cum nil timentes fœminæ illius palam
In nomen irent, nos magiſtrum agnoſcere
Segnes pavori noctis umbram obtendimus.
Joſephe, tandem noſtra ſeſe aperit fides,
Sed in peremptum. JOS. Vera tu, fateor, mones.
Sed ille rapiens redditum veſper diem
Cura peragere juſta nos vigili jubet.
Non longe ab ipſo Golgothæ infamis jugo

Subter

Subter virentes arborum tegitur comas
Purum recenſque rupis exciſæ cavum,
Nondum occupata manibus ſacris domus.
Tumulum ſenectæ nuper electum meæ
Nunc melior hoſpes habitet; inſignis viri
Notet ſepulchrum magnus hiſcenti lapis
Oppoſitus antro. Quis ſcit an mox ſanctior
Adveniat ætas, turba cum hanc ſedem frequens
Et flexa regum capita pro templo colant,
Dignamque credant & mari & ferro peti?
NIC. Aqua pura fontis, voſq; odoriferâ è plaga
Chari liquores, ſæva quos tumuli fugit
Tabes edacis, tingite hos vultus pios,
Intrate penitus ora. Non Deus hoc ſinat,
Non fata, morti liceat ut quicquam amplius
Iſtos in artus. Siqua relligio inferis,
Non fœda tabes oſſibus nudis fluet,
Nec corpus illud ulla diſſolvet dies.

JOHANNES. MARIA MATER JESU.

VEneranda virgo, certa progenies ducis
Sub jura cujus ivit, Euphratis vadum,
Quicquid, rubentes inter & fluctus jacet,
Utcunque caſus aſperi mentem premunt,
Evince luctus, ſume avitos ſpiritus
Regum ille ſanguis. Fata te in tuto locant.
Fortuna vires ipſa conſumpſit ſuas

Toties nocendo. Post patrum raptas opes,
Translataq; olim sceptra in externas manus,
Quod te vetaret esse securam fuit
Res una, natus ille te absolvit metu:
Timere jam nil orba paupertas potest.
MAR.. Lugere vobis forte Johannes novum est:
Ego nata in hoc sum: ter decem annis amplius
Non aliud egi, nulla me species mali
Fefellit: ex quo casta cælesti satu
Detumuit aluus, dira mihi dira omnia
Cecinere vates: vidit hæc Simeon senex,
Imaq; in anima vulnus aspexit meum.
Cum lacinatos inter infantum greges
Peteretur unus regio ferro puer,
Nondum ille tantis fecerat miraculis
Sese invidendum, perfidos nondum dolos,
Et ficta quicquid turba Pharisæi tegunt,
Ipse arguendo traxerat caput in suum:
Spretor sacrorum, civica armorum tuba
Nondum audiebat: una adhuc erat illius
Culpa, esse natum, non tamen me terruit
Ferus ille dominus & suis etiam nocens:
Non similis hæres, cujus instruxit dapes
Cervix recisa vatis, & amori impio
Donatus oculos pavit incestos cruor:
Non plebs recusans liberas voces pati
Et mille manibus saxa jaculatus furor.
Instare nullum credidi nobis malum,
Quo majus esse poterat, exemplo carens,
Quod nulla genitrix timuit, hoc solum fuit

Ego

Ego quod timerem. Miſera, num voces meo
Quæram dolori, potius an luctus premam?
O magne (namq; hoc credo nunc etiam) Deus,
Cur ad minora regna venienti mea
Tibi placuit alvus? cur ego ad pœnam tibi
Electa mater? nulla certè fœmina
Quæ peperit hominem, quæ virum fecit patrem
Tam ſæva paſſa eſt: nulla progeniem parens
Melius adepta eſt, nulla pejus perdidit.
JOH. Quis major aures planctus aſſuetas ferit?
Quod corpus iſtud Tyria quod velo tegit
Candente findon? ille quis venas ſenex
Adhuc fluentes imbre odorato rigat?
Quis adſtet alter? impetu quanto ruit
Muliebre vulgus? Fallor & mœſtos genis
Subitò micantes lachrimæ vultus gravant.
An vera video? Mater, illi artus tui,
Tuus ille ſanguis, i, rape extrema oſcula:
Imple parentem: filii hoc reſtat tibi.
MAR. Anima heu longis defeſſa malis
In majores ſuffice luctus,
Dum crudeles apud exequias
Suprema dolor munera ſolvit.
Liceat niveum tollere peplum,
Charoſq; ſemel cernere vultus.
Tunc ille miſer? talemne tuus
Mihi te populus nate remittit?
Talem Solyme ſpectare jubet,
Solyme cordi dilecta tuo?
Video foſſum mucrone latus,

Et trajectas vulnere palmas,
Et qui ferro patuere pedes.
Melius melius Phœbe latebas:
Quid ad hæc nobis monstranda redis?
Gens ætherei conscia motus,
Vosque imprimis quorum pietas
Partus olim venerata meos,
Cæli inversas cernite leges:
Illum mecum lugete magi,
Quem signavit nova lux genitum,
Tenebræ occisum docuere novæ.
Spes afflictæ sola parentis,
Quo non piguit vivere vivo,
Nobis rediit modò rapta dies,
Te demersum nox alta premit.
Utinam planctus, utinam notas
Matris lachrimas, nate videres.
Ego sum thalamis intacta parens,
Quæ te verbo fœcunda tuli,
Onnis ignotum cum virginei
Stupuere sinus, mirique novem
Crevere tuo pondere menses.
Ego sum cujus jam maturo
Ventre labores lare sub tenui
Regis proavi patria vidit,
Hoc tibi fluxit de fonte liquor.
Hoc sedisti sarcina collo
Pelusiacis advena regnis,
Pharos exiliis cùm fida tuis
Veteris culpæ probra redemit.

Judæ

Judæ soboles Memphide pejor,
Si jam finem cepit rabies
Et te nostri miserere potest,
Longas mortis mihi deme moras:
Aut si natus nondum satis est,
Adjice matrem.
O nate nate, quicquid hic oculi vident,
Hoc quod pependit, quod mori potuit meum est,
Meumque totum: nullus in partem venit
Genitor, nec alter vendicat quicquam tui.
Ergo omnis uni pectori incumbit dolor,
Quod te aluit & te gessit. Ingratus bona
Nescivit orbis, damna nec sentit sua.
Inops & indefensus objisti necem,
Et nunc jaces inultus; ex illis quoque
Te dante gressus qui receperunt suos
Nemo accurrit: ipsa nec turba aureæ
Ignara lucis ante contactus tuos
Ad te videndum venit: atque aliquis cui
Per te redivit vita te patitur mori.
JOH. Vera ista quereris, vera; nos toto cohors
Electa mundo filii comites tui
En unde, quo decidimus? in nobis scelus
Omne est repertum noster est qui vendidit,
Et qui, ejeravit: nec notâ quisquam vacat:
Fugere cuncti. Doctor ô veri unice,
Amore nobis frater, imperio parens,
Ignosce lapsis: ille ego ante alios tuus,
Ego quem sacrato nox recumbentem sinu
Hesterna vidit, si quid affectus habes

Vete-

Veteris per illum, domine, te affectum rogo:
Perque hanc parentem, cujus in curam tibi
Ego dictus hæres; hanc ego ex æquo miser
Solandus ipse solor ut possum tamen.
Jam parce mater luctibus justis quidem,
Sed temperandis, & tuis fulci bonis
Animum labantem. Laudibus crevit tuis
Antiqua vatum charta: te charam Deo
Terras per omnes nulla non ætas canet.
Senioris ævi decora, quàm longe tibi
Cessere matres? nulla sic genuit parens,
Et nulla tantum. Fœta in ætate ultima,
Quæ temere risi sensit oracli fidem,
Et illa genitrix, cujus in Pharia puer
Projectus alga vincere undarum minas
Jam didicit infans, prole non certant tibi.
Exigua loquimur. Ipse te observat polus:
Festæ tenebras noctis irradians face
Cœlestes aulæ turma parenti adstitit,
Cunasque adorans igneus superûm chorus
Genitale cecinit carmen, & nixus sacros
Imitatus æther astra parturiit nova.
MAR. Fugiunt dolores; lætior præcordia
Subit ille motus, quem pudico pectore
Puella sensi, cum mihi interpres Dei
Spopondit uterum, fataque extimuit diu
Tam magna matrem gerere vix docilis pudor.
Majora jam prospicio, & ante oculos meos
Omne est futurum. Nate tu vadis pias
Nunc inter animas major: assurgit tibi

San-

Sanctus parentum populus & cœlum ſuo
Debet nepoti. Jam tuos mors pallida
Sequitur triumphos, dum remolito novus
Exis ſepulchro; non diu terris tamen
Spectandus, en mox totus ad patrem redis.
Inde ex ſuperna ſede pacatis bonus
Das jura populis: mille te linguæ colunt:
Nec meta regno: trans & Oceanum tonat
Phæbumque nomen: ferrum & hoſtiles nihil
Nocent furores: vincis, ac magni duces
Auguſta pedibus ſceptra ſubjiciunt tuis.
Quin tempus illud meta ſæclorum prope eſt,
Cum nube in alta tot ſedibus gentium
Quæſitor, orbe cum reformato manet
Nox una fontes, una purgatos dies.

FINIS.

JOSE-

FINIS.

JOSE-

JOSEPHI SCALIGERI IN MARTIANUM CAPELLAM.

A B HUGONE GROTIO CASTIGATUM.

HUgo ſoboles Grotius optimi parentis,
Qui limina nondum tetigit puberis ævi,
Sed mente ſenili teneros prævenit annos,
Magnum meditans auſpiciis noluit illis
Præludere, quæ veſticipum poſtulat ætas,
Sed maluit à grandibus inchoare cæptis.
Nam qui penus eſt, omnis & arca diſciplinæ,
Sed quem horridulum injuria ſqualloré vetuſtas
Omni ſtudiorum nitido abdicarat uſu,
Illius abincude profectus, atque amæno
Splendore micans, purpurea veſte decorus,
Cultuſque novo punice Martianus exit.
Cerniſne, ut ovantem lepido flore juventæ,
Commendet eum gratia luminis recentis?
Quam ſive habuit, reſtituit Grotius illi:
Seu non habuit, contulit hanc Grotius illi.

EJUS-

EJUSDEM
AD
HUGONEM GROTIUM.

QUos gravida ingeniis ætas tulit ista poëtas,
Paucis nativo contigit ore loqui,
Larga quibus passim torrentia divite venâ
Carmina non tacitæ grandinis instar eunt:
Sed veteris Genii frigent defecta calore,
Aut referunt ævi semina prava sui.
At quicunque tuos, Groti divine, libellos
Sola moraturos lumina docta leget,
Versiculos illos vel sæcula prisca tulisse,
Sæcula vel rursus prisca rediisse putet.

JANI DOUZÆ
carmen in
HUGONEM GROTIUM.

MAgne puer, Magni dignissima cura parentis:
Nomine sis dubito major, an ingenio.
Grande quidem, sed enim debes majoribus illud:
Major at ingenio laurea parta tibi.
Omina principiis certe tam grandibus insunt.
Fallor? an & talis noster Erasmus erat, (nil:
Credo equidem: neque me fallunt præsagia, nam
Vel puerile satis corde vel ore sonas.

Quod

Quodque aliis ætas per tædia mille laborum,
Hoc natura ultro gratificata tibi est,
Undecimæ vix dum egresso confinia brumæ:
Una in te leges ausa migrare suas.
Quid dignum tanta precer indole? perge juventæ
Exemplo & genii luce præire tui.
Et Lugdunensi jam nunc assuesce theatro,
Et patriæ in laudes crescere perge tuæ.
Tempus erit, quum te mox mirabuntur adultum
Certare antiquis, exuperare novos.

EJUSDEM IN HUGONIS GROTII ADAMUM EXULEM, Tragœdiam.

QUi Sophoclem, Senecamque legis; quid præter Homeri
Somnia, res fictas, & mera monstra legis?
Quam satius tragicis digna argumenta Camœnis
Volvere de sacris hausta voluminibus;
Artificesque novo suras vincire cothurno?
Eveniat nobis hic aliquando furor.
Qualem de tenero meditatus Grotius ungue,
Æthereo plenum numine syrma trahit.
Hic Sphynx nulla tibi, nulla hic miracula Scyllæ
Occurrent: hominem Grotia Musa sonat.
Mortiferum hic vetitâ decerptum ex arbore pomũ,
Adami

Adami lapsus, exiliumque leges
Nunc primum en Latio donati atque urbe Quiritum:
Debita quæ civi gloria sola meo:
Qui Phœbo Delphisque suis; nec consule tantum
Patre, sed & Magni nomine dignus ovat.
Macte, inquis: Quid? si ordo tibi, si spiritus ac vis,
Si vocum ac rerum pondera nota forent?
Quæ simul ac nôris, peream, nisi mirabundus
Mox clames; fatus Scotia pone tuos.
Ardua res Jephten scenæ ostentasse Latinæ.
(Plus matri nunquam debuit illa suæ)
Majus opus, primos paradiso edûxe parentes
Hei mihi, quam dispar huic status ille fuit?

APOLLONII SCOTII

Senatoris de filiolo

HUGONIS GROTII,

paucis diebus postquam natus esset, vita functo.

QUem frons ipsa bono prognatum patre ferebat,
Esset vita, minus non fore patre bonum:
Occupat infantem mors invida, nec finit illum
Vel circum cunas ludere posse suas.
Hoc rata; meta Pater si quà patet ulla sciendi
Venit, adhuc nulla veste notante genas,

Hu

Hunc tandem ante etiam venturum tempora fandi,
Et nondum puerum jam fore forte ſenem.
At ſibi mortales data ſic eludere jura,
Queis juſtum ante obitum vita perennis erit.

I. GROTII
Patris
HUGONI GROTIO
filio, &
MARIÆ REIGERSBERGIÆ
Epithalamium.

PRima patri Soboles, primum genetricis ab alvo
Cui prodire dedit mundi ſator atq; hominum rex,
Hugo, ſacrate deo fili; mea maxima cura
Quæ fuit à teneris ſupremo ut fine beatas
Cælicolum ſedes, & regna paterna reviſas,
Huc animi vires mecum intendiſſe fereris.
Namque monendo pater, parendo filius, ambo
Fecimus officium pariter: nunquam tamen ejus
Clarius exemplum enituit, quam munere nuper
Quando novo Batavi cura eſt tibi credita fiſci.
Tunc haud immerito ſociam tibi quærere ſuaſi
Participem curæ, quæ ſcilicet arbitra rerum
Quas domus exigeret, patriæ tu totius eſſes.
Quin & Grotiadas patruumq; patremq; juvandos
Prole nova, cujus ſemper dulcedinis expers
Ille, ſed hic fato Franciſci triſtior orbus.

Unica namque ſoror cum ſit tibi, frater & unus,
Hanc aliena ſacra excipient, nomenque referre,
Si quando eveniat, ſeries nequit ulla nepotum.
Parte alia videas Guilielmulus intervallo
Quam longo diſtet: quamvis veſtigia fratris
Sponte premat jam nunc laudum & virtutis amator.
Nam puer undenos natus non amplius annos
Spem longam jubet eſſe: mihi pars quantula vitæ
Reſtat, ut illius thalamos, tædaſque jugales
Opperiar? queis tu monitis, matriſque rogatu
Numinis æterni legem, ſacroſque hymenæos
Concepiſti animo, membris & mente jugandus
Dilectæ meritò Mariæ, cui dicere dudum,
Tu mihi ſola places, poteras; jamque illa viciſſim,
Tot juvenes inter mihi non dilectior alter.
Atque utinam vivat nunc Reygersbergius, olim
Non Verios tantum, ſed publica commoda ſemper
Juratus curare, neget quid lætius unquam,
Aut magis eveniſſe ſibi gratum omine fauſto.
Quin & gratetur patriæ, miſtoſque Zelandis
Rectores Batavos firmiſſima vincula laudet.
Fælices animæ, fili, & lectiſſima conjunx,
Vivite concordes, & Avi, date, voce ſaluter.

EJUS-

EJUSDEM JANI GROTII

carmen in natalem

HUGONIS GROTII,

filii ſui primogeniti

ANNICIↃ. CXV.

QUando oblita mihi nunc carmina, vox quoque vatem
Deficit ipſa, patri novus eſt ſucceſſor habendus,
Natalem celebrare tuum qui poſſit, & una,
Hugo Groti, meritas Chriſto perſolvere grates.
Namque hodie meminiſſe juvat redivivus ab orco
Ut rediens omnes lætâ nos ſede bearit.
Ergo parens ſummus natum genuiſſe profeſſus
Conſtituit regem populis: regat ille meoſque,
Atque tuos, hora fili qui natus eadem es.
Quæ nunc proſequerer, niſi jam cantare pararem
Funeris ipſe mei leſſum. Pia gaudia luctu
Haud temerâre meum eſt: affectans triſtia lætos
Concedam, Gulielme, tibi conſcribere verſus.
Incipe nate, premenſque tui veſtigia fratris
Hoc quoq; digna cane: at cum reſpondentia Chriſti
Haud unquam poſſis meritis, nec quicquid ubiq; eſt
Gentis Chriſtiadum magnum quæ ſparſa per orbē,
Aude aliquo prodire tenus, ſi non datur ultra.

Tuque

Tuque prior fratrem, natorum maxime, noli
Temnere, more patris si quid sermone pedestri
Germanus quandoque dabit, sic omnia votis
Respondere tuis videas, sic parvulus infans,
Sic Corneliadûm par longos vivat in annos,
Sic nati natorum & qui nascentur ab illis.

JOHANNIS PISCATORIS Theologi carmen AD HUGONEM GROTIUM, cùm Martianum Capellam ederet.

MAgnus es ingenio, doctrinâ magnus es idem,
Nominis & magni magna cupido tibi est.
Non temere ergo tibi, sed cum ratione locuta
Cognomen Grotî Belgica lingua dedit.

AD EUNDEM BONAVENTURÆ VULCANI.

SEu canis heroas, seu Mauritiana trophæa,
Sive aliud docto carmine condis opus;

Abdita

Abdita ſeu veterum ſcriptorum ſenſa recludis,
Græcia quos orbi protulit, aut Latium:
Omnia nec ſextam egreſſus trieterida, præſtas
Dîa Camœnarum quæ probet ipſe pater.
Nil mirum. Delphis etenim nutritus in ipſis
Plenum Phœbæo numine pectus habes.
Tota patet cortina tibi, & ſacraria Phœbi.
Perge ita, Groti; ipſus ſic mihi Phœbus eris.

EIDEM

ET

DANIELI HEINSIO,

incomparabili juvenum pari,

DOMINICUS BAUDIUS.

O Par gemellum amoris antiqua fide,
Morumque nexu, heroïciſque laudibus,
Quas æſtimare non valet proles virûm,
Qui nunc fruuntur lucis almo munere,
Præter duoſve treſve ſelectos duces
Antiſtiteſq; litterariæ rei:
Quos inter & nos forte nomen haud malum
Feremus olim, ſi bonos ad exitus
Exorſa mentis ducet efficax labos.

Damnandus atro crimine ingrati forem,
Si noſter hic libellus exiret foras
Non conſpicandus luce veſtri nominis:
Amore quorum pectus incendor magis,
Quàm vel decorus ille Cliniæ puer,
Vel Phædrus uſſit igne honeſto Socratem.
Juvenis beati, queis paciſci nil queo
Majus, nec ipſi ſæculo exoptatius,
Quam fauſtitatem ritè nôrit ut ſuam,
Deique dona pendat æquo examine
Tales quod omni laude conſpectos ferat,
Votis abunde ſufficit meis honos
Quod veſtro amore dignor, ô ſoles duo
Volventis ævi; forſan inde Baudio
Ventura quondam gens favebit, quod viris
Aſſiduus uſque cultor hæſit inclytis.
Ut hedera niſi ſurgere impotens ſuo
Stantes columnas ſtringit amplexu tenax,
Sed indecora fronde veſtit, hac ope
Tollit ſe ad duras, atque fert cœlo comam.
Sic imbecillæ conſcius ſortis mihi,
Quos æmulando æquare ſumnates viros
Non eſt, honore amplector integer probro
Livoris atri, qualibus monſtris ſcatet
Hoc triſte ſeclum, & ferreum ferro magis.

EJUS-

EJUSDEM IN EUNDEM GROTIUM ET HEINSIUM CARMEN, AD DANIELEM HEINSIUM.

DIvine vates, ipſe cui dotes ſuas
Apollo Phœbus contulit pleno ſinu,
Dextraque nil parcente, ſi noſtri memor
Gens poſterorum vivet, haud ulla magis
Virtute gloriaque cenſeri volo,
Quam te quod atque Grotium, ſæcli duo
Soles, amore proſecutus ſum meo:
Amore ſancto nulla quem ſequens dies
Expunget ævo, dum decus ſuum piis
Conſtabit, atque litteris honos erit.
Flos ô juventæ, parque cui nullum parem
Produxit ætas ulla virtutum ferax.
Ut vos libens amplector! aureæ ſuper
Propago gentis, orta cœlo pectora!
Non hæc enim miracla mortalis labos
Proferre poſſit; patria eſt vobis polus,
Parens Apollo; non marina me Tethis
In lucis oras patre Peleo tulit:
Vocem tamen profabor haud obnoxius,
Quam fatus olim eſt ille Nerei nepos:
Deteſtor Orco pejus atque abominor,

Qui ſeptuoſo cordis occultat ſinu
Diverſa ab iſtis ore quæ promit ſuo.
Nil gratiæ do, nil ad ambitum loquor.
O dulce mentis contubernium meæ,
Non eſtis ambo fluxa quos tuentibus
Figura monſtrat, quoſque contrectat manus.
Terreſtre corpus terra vindicat ſibi,
Sed totus orbis non capit germen poli.
Vos eſtis ille mentis igneus vigor,
Ille animus ingens hoſpes anguſti laris,
Qui mortis è contagione nil trahit,
Nil & caducis imputat parentibus.
Vobis Dei favore nomen obtigit
Livore majus & ſenecta temporum,
Exorſque lethi. Parca nullum jus habet
In ſæcla vatum, quos Perennitas ſacrat.
Cœleſtis aura morte deleri nequit,
Nec interire ſanguis heroûm poteſt.
Nihil precari majus aut vobis licet,
Aut ſæculo, quam poſſit ut diu frui
Tanto Deorum munere; ô cultum mihi
Par, & colendum ſemper antiqua fide;
Sublime cœlo lætus efferam caput,
Votoque nulla ſumma defiet meis,
Si me benignus eruditorum chorus,
Conſentienſque poſtumæ gentis favor
Tali jugo accenſere tertium velit.

Danielis Heinsii
Ad
Hugonem Grotium
carmen, cum ei Silium ſuum offerret.

Nominis & patriæ ſublimis gloria terræ,
Cui nil Batavi cærulus regni pater,
Qua validis circum Cybelen complectitur ulnis,
Pontique lambit æſtuantis oſtia,
Cattigeniſque ſuis domitum defendit Iberum;
Æquale quicquam, par nihil quicquam videt:
Accipe præclaro victurum ſanguine Paulum,
Totaſque Cannas morte penſantem ſua
Annibalis fugientem animam, Fabiumque morantem,
Tarpeiumque pœnè concuſſum Jovem,
Et formidantes ſummiſſis collibus Alpes:
Ultorque Eliſæ quicquid effudit Lybis
In dominum terræ ingentem, quaſſumque Quiritem,
Et jam labantis alta Romæ mœnia.
Ecce, meus præco Lybies, Pœnique furoris
Ad te ſuperbam conſul affectat viam.
Ille orbis Latialis apex, gentiſque togatæ,
Groti beatos juſſus affectat lares.
Hactenus invictas potuit geſtare ſecures:
Nunc haſce ſoli ſponte ſummittit tibi.

EJUS

EJUSDEM ad EUNDEM cùm ab eo Adamo exule tragœdia donatus esset.

TAndem renatæ maximè orchestræ pater,
Ingens cothurni splendor & scenæ decus,
Qui syrma voce regia sacrum trahis;
Ignosce fasso: cogitur retro tuus
Pedem referre cultor, & suavibus
Sacri prioris exulare lusibus:
Exulque quamdiu exulem spectat tuum
Magnæ videtur urbis & Quiritum.
At tu profane fæcis antiquæ parens
Imbellis Evan, matre prognatus adeo,
Unquamne leges Bacche transilui tuas
Momumve læsi? dum tuli præsens opem,
Phebeiamque vulneri admovi manum?
Baccharis Heinsi: Bacchus haud usquam tuus
Sublime thyrso parcius pectus ferit.
At illa rerum magna culpanda est tibi
Natura nutrix, obstetrixque quæ prius
Noverca cunctis Grotio mater fuit.
Senex ephebus ille, quem Batavia
Miratur omnis, optat Hetruscus sibi
Omnisque Gallus, ille dum puer fuit
Vir esse cæpit: namque relliqui, viri
Tandem fuere: Grotius vir natus est.

EJUS-

EJUSDEM EPITHALAMIUM in nuptias HUGONIS GROTII, ET MARIÆ REIGERSBERGIÆ.

VIderat armorum vacuas incedere gentes,
Et Batavas ceſſare manus, complexaque Martem
Cypris, & æternos aſpirans vultibus ignes,
Hactenus his, inquit, ſatis eſt confidere telis;
Quod ſupereſt concede meis; gens omnis Amorum
Riſit, & auratas manibus ſtrinxere ſagittas.
Cætera geſtat humus: medio Cytherea reſedit
Gramine; formoſus ſocios Hymenæus Amores
Claudit, & extinctos paulatim ſuſcitat ignes,
Auſpicium ſolemne ſui. Nemus arbore multa
Surgit, & Haganam gremio complectitur urbem.
Illic ſollicitos deponit Curia vultus,
Et triſtis lachrimas, & noxia verba reorum
Abripit, & lenes Zephyrus diffundit in auras.
Venerat huc blandis Mariæ complexibus hærens
Innocuus Vates illam trans æquora ponti
Nereïdumque domos, patriæque è littore terræ
Vexerat, aſpirans faciles Cythereïe ventos,
In Batavos: huc fata vocant, huc vellera ducunt
Quæ triplices nevere manus; aſpexit euntem

Pul-

Pulcher, & è Divûm numero præſtantior omni,
Nec vulgo metuendus Amor; biſque omnia tela
Bis pharetræ concuſſit onus, bis ſingula luſtrat,
Et patrias percurrit opes. Pars ferrea tota eſt,
Et non diſſimilem ferro promittit amorem.
Hinc gemitus triſtiſque dolor, lachrimæq; ſequuntur
Semper, & ad ſurdos dominæ convicia poſtes.
Sunt & odoratis Libani quæ cædere ſylvis
Feſtinus conſuevit Amor; par ultima tantum
Cuſpide munitur: ſed quæ, ſi dicere verum eſt
Vatibus, & quicquam pudor eſt neſcire Deorum,
Crinali non major acu, tamen oſſibus ipſis
Hæret, & attonitam percurrit vulnere mentem.
Præterit has omnes, nec enim tum cura, ſagittas,
Aut opus eſſe videt; geminaſque educit ab alto
Humentes vatum lachrimis. Has Thracius Orpheus
Senſerat, incumbens deſerto languidus Hæmo,
Et non oblitos fato tranſmiſit amores.
Senſerat has caſto juvenis quem perculit igne
Aſteris: & ſi quem tædis fælicibus uſſit,
Aut famæ donavit Amor; pars humida multo eſt
Ambroſiæ ſucco, ſemperque virentibus herbis,
Quas Cyrrhæ producit apex pars triſte venenum
Et non innocui prætendit ſpicula ferri.
Arripit ex templo quæ viſa eſt pulchrior harum,
Eque oculis acres accendit mollibus ignes
Ridentis Mariæ: volucremque hoc igne ſagittam
Imbuit, & totos juveni demittit in artus.
Pertentatque animæ latebras. Ille inſcius ora,

Et

Et risus faciles nec duram in virgine formam
Diligit incipiens, & adhuc securus amorum;
Nollet abesse tamen. Batavis discedere certa est
Finibus, & rursus patrias defertur in oras.
Aspicit absentem, totusque in imagine formæ
Vertitur, & ventos animo metitur & undas.
Paulatim gemitus, paulatim vota sequuntur,
Et quicquid plebs læsa solet, mox carmina manant,
Et doctæ lachrimæ: lachrimæ de vulnere manant,
Victuruſque dolor. Sic quondam Coüs & Umber,
Et si quem Veneri læsum dilexit Apollo,
Flevit, & has seros lachrimas dimisit in annos.
Ergo omnes Mariæ complentur nomine ceræ,
Fælicem tabulæ Mariam chartæque loquuntur.
Cæperat infælix majores vulnere curas,
Et Tragicos tentare modos: ter pulpita Cypris
Tregit, & audaces fluxerunt crinibus hydri,
Dilapsisque hederis frontem justissima myrtus
Circuit, & Paphiæ velarunt tempora vittæ.
Ah quoties mœstos ad læta negotia vultus
Transtulit, & cæcos cælando prodidit ignes,
Ardoresque suos, turbataque civibus ora,
Et gestus quos suasit Amor! jam displicet illi,
Si quæ visa fuit reliquis præstantior olim;
Et formæ subeunt fastidia; vota relinquunt
Finitimas urbes, patriæque excedit imago
Sensibus attonitis; pelago mens errat, & undæ
Fluctibus abripitur, proprioque in pectore versat.
Quid faciat? duris cessantem curia nodis
Alligat, & vinclis mentem gravioribus urget;

Plus

Plus dominæ promittit humus. Sic Seſtus Abydum
Traxit, & una duos facies conjunxit amantes,
Quos crudelis humus, quos ſævum diſcidit æquor.
Littora quæ triſtes domini denunciet æſtus
Mittitur, & docto pinguntur carmine curæ,
Spemq; fovet juvenis; nondum tamen omnibus illâ
Flectitur obſequiis, & adhuc ſine conjuge noctes,
Et matris præfertur amor; quid dura negare,
Aut differre potes quantum tibi contigit uni?
Illius attonitæ ſperant oſcula matres
Virginibus ceſſura ſuis; quos ſola recuſas,
Qualibet amplexus emiſſent dote puellæ.
Stet licet hæc virtus, Boreas ubi frigore duro
Sævit, & humanæ nequeunt miteſcere mentes;
Accurrent ſoceri: ſoli tibi fata dederunt,
Quicquid ſæva negant. Utinam ſi dura fuiſti,
Nec formoſa fores: poteras contempta videri,
Quæ dilecta noces. Seu te laus æmula tangit
Vatibus antiquis, ſeu non delebile fato
Et cum Phœbæo diffuſum lumine nomen:
Conſule quos ortu populos, quos lumine ſero
Spectat pulchra dies: ſin te facundia major
Et plauſu populi creſcentis copia linguæ:
Cedentem toties divinis vocibus Hagam
Aſpice, cum juſtis cauſarum fortis in armis
Staret, & adverſas premeret ſub judice partes.
Acceſſit ſublimis honos majorque videri
Purpura. Quanquam ô ſi teneris ſuccumbere poſſes
Vatibus, & noſtras nimium non ſpernere Muſas.
Poſt rabidas tigres, poſt triſtia corda leonum,

His

His pudor eſt non poſſe capi? quis cedere nollet
Laudibus, & famam venturi admittere ſæcli?
Interea triſtes augeri pectore curæ,
Nec ſe flamma capit: ſubit ire & quærere ponto
Eximios vultus: tantum prætextus eundi
Quæritur, ut ſalva ſtet majeſtate Cupido.
Hunc quoque pulchra Venus placido concedit a-
Ergo iter inſiſtet, finiſque Valachria voti, (manti.
Et tellus petitur Neptunia: ſolus eunti
Jungitur & vatis ſequitur veſtigia vates.
Sic quondam dubius fraternis ignibus autor
Aſtitit Amphion: ſic vidit lumina Phœbes,
Et fratri exhibuit geminam Leucippida Pollux.
Ipſa manu fauſtam genitrix nÆeïa puppim
Appulit, & læti ſenſerunt omnia nautæ.
Totaqne tum primum terris prælata Batavis
Riſit, & excelſas erexit Veria turres.
At vero ut vidit ſperatæ lumina Divæ,
Speratos orbes oculorum & virginis ora,
Hæſit, & infælix incerto palluit æſtu:
Hæc illi vox prima fuit: genituſque ſubinde
Ad partes venere ſuas: hæc ſemper amanti
Sufficit, & primas peragit facundia cauſas.
Dum ſenſim dubiæ ſederunt pectoris undæ,
Tempeſtaſque animi cæcuſque evanuit horror.
Tum pariter vires mens ingenioſa Venuſque
Commiſcere ſuas: tum qualis ubique videri,
Quantaque conſuevit facundæ gloria linguæ,
Adfuit, & partes ſeſe diffudit in omnes.
Non tot ſollicitum diverſos Protea vultus

Aſſum-

Assumpsisse ferunt, cum tristibus undique vinclis
Cingeret Atrides, arctoque includeret orbe.
Nec toties alios admittunt alba colores
Vellera, cum nondum Tyrium duxere venenum.
Paulatim dat victa manum, metuitque videri
Ferrea, nec veterum patitur meminisse laborum.
Quis tanto Batavas damnavit judice formas?
Cur vilis tibi terra tua est? cur postera discet
Exemplo peccare tuo, quæretque juventus
Fluctibus & sævis aliquid debere procellis,
Nec tuto flagrare domi? saltem addite, Divi,
Annorum seriem, causasque involvite nocte:
Aut si nulla latent discrimina, me quoque fata
Adjungant comitem: ne sim sapientior ullo,
Quem Valachris blando Nympha inflammavit amore,
Et noctu faciles solatur pectoris æstus.
Fælices animæ, vobis nunc Hesperus Oetam
Deserit, & fausta promittunt sidera noctem.
Fælices animæ, toti jam destinat orbi
Grotiadem Natura suum; stat præscia rerum,
Et teneras expassa manus, quæ tollat alumnum
Obvia Calliope; quicquid ridebitur illi,
Et primum male facundo tentabitur ore,
Carmen erit: donec patrias assurgat in artes,
Et justa Batavum moderetur voce Senatum.

Ἐις γάμον τȣ̃

ΥΓΩ̃ΝΟΣ ΓΡΩΤΊΟΥ

Ἐλλογιμοτάτȣ νέȣ καὶ

ΜΑΡῚΑΣ ΡἙΙΓΕΣΒΕΡΓΊΗΣ

Προφερεςάτης παρθένȣ ἐπιθαλάμιον ἔπος.

Τί πρῶτον περὶ σευ, τί ἔπειτα, τί ὕςατον ἄσω,
Ἀγχινόων μεγάλη Γρώτιε δόξα βροτῶν;
Τί μνησῆς περὶ σεῖο, μετ᾽ ἐκπρεπέεσσι κόρῃσιν
Οὔ τευ δευομένης ȣ᾽ δέμας ȣ᾽δὲ φυὴν;
Αἰνέσεως ἀπέχεσθαι ὅλης πολὺ λώιον ὄιω,
Ἢ ἐ κατὰ χρέος ȣ᾽ τόσσον ἀνύσαι ἔπος.
Μειότερόν γε φέρειν ἐγκώμιον ἀνδρὶ φερίςῳ,
Οὐ διὰ σφόδρα φέρειν τȣ̃ ψεγέμεν δοκέει.
Ἔμπ᾽ ἐρέω τά με θυμὸς ἐνι ςήθεσσι κελεύει,

Παῦρα δ', ὅπως μείον μείονος αἴνου ἔχω,
Εἰδήσει νοος ὧδε σέθεν, νυὸς εἰδεῖ λάμπει,
Ὥς σεμετ' ἀνδρεσσιν, τὴν δὲ κόρῃσι πρέπειν.
Ἡ μὲν ἰδεῖν μεγάλη, τύνη μέγας ἄμμιν ἀκούεις
Ὡς φρενὸς εὐφυίῃ, ὣς καὶ ἐπωνυμίῃ.
Αὐτὰρ ἀεὶ μεγάλω θείη θεός ὔμμε πέλεσθαι
Ἑλπωρῇ φρενὸς ἐν κῆρος ἀκηρασίῃ.
Ἀμφοτέροιν πραπίδεσσεν ἐνὶ κλυτὸν οἶκον ἐχοίτην
Εὐσεβίης τε γέρας, καὶ ἀγέραστος ἔρος
Τρίς μακάρω φιλοτητος ὅσω ἐν ἀπήμονθεσμῷ
Δεσμὸς ὁ διχθάδεος σύζυγε δῆσε δύω
Τοῖς μὲν ὑπωράφιον σφείων δόμον οὔτι ταράξει.
Καὶ γὰρ ὁ ἱερὸς ἔρος τῶν ἀπελάσσει ἔριν.

Τὴν

Τὴν κραδίην δὲ θεοῦ ξάθεον δόμον οὔτι πα-
λάξει.
Ἔστι θεοῖο δέος τῆς κακότητος ἄκος.
Υ̓́μμι δὲ κεῖνος ἀεὶ δοίη τάδε δοιὰ φυλάσσειν
Καὶ ἔργῳ, καὶ ἔπει, καὶ μελέτησι νόου.
Εἰ δέκε τοῖσι πιθέσθαι ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς
ἀνώγει,
Ὦ μέγα συζυγίης θαῦμα μακαιροτά-
της.
Ἐν τῇ δὲ προσιδεῖν δηρὸν φάος ἠελίοιο
Υ̓́μμε θεόσγε θέλοι, καὶ μιν ὄπισθεν ἀεί.
Εὐχόμενος τάδ' ἄεισα, καὶ εὔχομαι αὖθις
ἀείδων
Οὐ φθόνον ἢε πόνον μᾶλλον ἀλευάμενος.

GERSON BUCERUS,
Pastor Ecclesiæ Verianæ in Valachris.

Gerardi Joh. Vossii
Ad
Hugonem Grotium.

O Quàm te memorem, optimi parentis
Proles maxima, ter-beate Groti.
Tu Pharsalica bella detonantem
Vitæ restituis; tuum est quod æger
Fælix nomine Marcianus ille
Jam fælix iterum vigere cœpit:
Vivunt per te Avienus atque Aratus
Et Germanicus. Alter Æsculapi,
Das vitam & simul accipis pereuntem.
Sed ne summa tuæ sit ista laudis,
En silvas similes Papinianis,
En pares elegos Tibullianis;
Non cedunt Senecæ tui cothurni,
Nec cedunt epigrammatum libelli
Musæ Bilbilicæ aut Catullianæ.
Ludunt singula singuli poëtæ.
Hæc tu cuncta potes, poëta noster.
Quis hoc non stupeat, Batava Siren?
Nondum diximus. Explicas futuris
Bella Belgica seculis suavi
Ex virtutibus utriusque cinno,
Contendens Tacitoque Livioque.
Gratior Themidi nec est sacerdos,
Et sollertior expedire cæca

Legum

Legum ænigmata. Charta teſtis illa,
Quâ præſtas mare liberum Batavis,
Et quæ poſt aliæ ſequuntur illum
Teſtis innumera illa, cui fuiſti
Salus perfugiumque turba. Teſtis
Cata Hollandia, quæ ſui patronum
Fiſci legerat. Ipſa Diva teſtis
Quindeno ſibi te ſacrans ab anno.
Adhæc plurima præſtites ſacrorum
Ipſos ſacra doces. Negare livor
Hoc unquam velit? obſtruet ſed ora
Virtus, & triplici triplex ſuperſtes
Mundo pagina: quâ pios tueris
Primores patriæ: atque quâ ſacrorum
Iſdem poſt dominum deumq; noſtrum
Jus ſummum imperiumque vindicaſti:
Et qua Chriſtiadûm docens ſalutem
Diſpellis nebulas Socinianas.
Hæc mirabitur, hæc ſtupebit orbis:
Imprimis quibus ingenî ignea illa
Vis neſcitur, & ut ſacros libellos,
Et Patrum monumenta dia verſes,
Inde à tempore, quo ſagacis, annos
Ante veſticipes, ab ore Junî,
Divini hoſpitio fruens magiſtri,
Nectar eloquii ſacri bibiſti.
Nec annis gravis otioque abundans
Facis talia; publicis ſed uſque
Diſtri ctiſſime: rebus antè fiſci:
At nunc meſſibus haud quater novenis

Viſus,

Visis, cor oculusque civitatis,
Natali celebris quæ Erasmiano est:
Et magnatibus, imperî Batavi
Inclinata super quibus recumbit
Nec Alcidæ humeris ferenda moles,
Curarum socius comesque fidus.
Fælici omine dicte Magne, quid te
Sol majus videt? O decus tuorum,
Delfî gloria patrii, Batavûm
Splendor inclyte, Belgices ocelle,
Orbis delicium, Deique amores.

GUILIELMI GROTII
EPIGRAMMA
in poëmata fratris à se edita

SI quis forte roget, quantum mihi debeat hospes
Cum præfixa libro nomina nostra leget,
Expediam paucis: fratris sunt carmina, noster
Est labor, hunc omni vendico jure mihi.
Collegi sparsum quod erat, justumque volumen
Esse dedi: dici laus ea nostra potest.
Ac velut is curvo vertit qui vomere glebas,
Quique jacit frugum semina, quique metit,
Frustra est, ac avido non affert certa colono
Commoda, ni fruges horrea tuta tegant:
Carmina sic uno pariter comprensa libello
Quod legis, hoc nostris muneris hospes habes.
Non seges ipsa mea est, nec fas id dicere: tantum
Debetur messis pars aliquanta mihi.

EJUS

EJUSDEM
in Silvarum libros tres.

HÆc tibi ſilva ferax dat primo ſacra libello,
Ne benè quis ſcribi carmine ſacra neget.
Res patriæ triſtéſque ſimul lætæque ſequuntur,
Et ſacra victoris ſtemmata Mauritii,
Albanique ducis decimæ, & crudelia juſſa,
Leidaque preſſa armis, ſeditione, fame,
Et reſperſa fero Maurorum ſanguine Calpe,
Et quæ cum Batavo fœdera fecit Iber.
Tertius at feſto celebrans connubia verſu
Hymen clamat, Hymen, ô Hymenæe, liber.
Si quodcunque petis tibi nos damus, ipſe viciſſim
Quod petimus præſta, quod dedimuſque lege.

EJUSDEM
pro libro Elegiarum fratris.

EN Elegos paucos numero damus: ut tuus eſtmos,
Hoc etiam credo Mome notare voles.
Exiguus ſed ſi liber hic tibi Mome videtur,
Eſto: majores adſpicis ante libros.
Omnia qui carpis non hic tamen omnia carpes.
Longa ſatis dedimus, jam breviora damus.
Carmina ſi bona ſunt, quid ni ſint optima longa?
Si mala, in exiguis ſcis minus eſſe mali.
Ergo proba longos (quid tum ſi diſplicet unus
Hic brevis?) aut libros carpere parce breves.

EJUS-

EJUSDEM
in Farraginum libros tres.

UT variis oculos inſtructi floribus horti
Delectant, nobis nec roſa ſola placet,
Narciſſuſve unus, ſed plures veris honores,
Queis dives terram pingere Flora ſolet:
Sic nec ſola capit majeſtas carminis omnes:
Quod varium eſt melius corda juvare ſolet.
Hinc farrago datur; varia hæc complectitur in ſe,
Gaudia, mœſtitiam, ſeria miſta jocis.
Sunt ſilvis glandes, Cereri Cerealia dona.
Egredimur ſilvas, & tibi farra damus.

EJUSDEM IN
Epigrammatum librum primum.

NOn hic nequitias habes ſalaces,
Scurrileſque jocos, calumniaſve,
Quæ bonos pariter maloſque rodant:
Non hic turpia dicta, quæ pudicos
Mores dedeceant videbis uſquam,
Sed verſus gravibus viris dicatos.
Argutos equidem leges lepores,
Sed hos innocuos, ſimulque caſtos:
Nam quæ vel rigidi legant Catones
Batavus canit auribus Batavis.

EJUS-

EJUSDEM
IN
LIBRI EPIGRAMMATUM

ſecundi partem priorem, quæ currus velivolos & victorias Pr. Mauritii continet.

HIc tu Mauritii (quod obſtupeſcas)
Cernis veliferos volare currus:
Hic inſignia Principis trophæa
Cantantur tibi verſibus quaternis,
Ergo cum celeres vides quadrigas,
Et lauri vice quas damus Camenæ
Exornant hedera virente frontem:
Cum tot caſtra tibi poëta pingit,
Tot capta oppida, maximaſque claſſes,
Pugnataſque acies, duceſque victos,
Totum Mauritii vides triumphum.

EJUSDEM IN
SECUNDI EPIGRAMMATUM

libri partem poſteriorem, quæ INSTRUMENTUM DOMESTICUM inſcribitur.

NOn erit hæc, hoſpes, nimium pretioſa ſupellex,
Non gemmas, non hic aurea vaſa leges.

Obvi

Obvia namque volunt Batavi, parvoque paranda
Inſtrumenta ſuæ, ſed tamen apta, domus.
Non pretium pretium facit his, ſed commodus u-
Quem ſi non habeas, proſit habere nihil. (ſus;

EJUSDEM
in tragœdiam
CHRISTUM PATIENTEM.

VOs ô Chriſticolæ patientem cernite Chriſtum:
Scribitur hæc veſtro pagina ſancta gregi.
Graia ſuperſtitio falſorum facta Deorum
Fortia, & heroüm gaudia vana canat:
Affingatque Jovi quæ lex humana coërcet,
Germanæ thalamos, exiliumque patris:
Furtaque Mercurii referat, Martemque cruentum,
Et ſcenas ſuperûm fædet adulteriis:
Nos fatum inſontis canimus miſerabile: nobis
Una ſalus Chriſto cum patiente pati.

EPIGRAMMA PROXIMUM,
quod incuriâ omiſſum, reponendum primo Epigrammatum libro,
pag. 353.

IN MORTEM ANGELI MERULÆ.

STaret ad arſuros quum jam pater Angelus ignes,

Damna-

Damnarat cujus ſæcula voce Deus,
Squallentem ſenio, ſquallentem carcere vultum
Suſtulit, immenſis fortior ipſe malis.
Cœperat ad tantum facinus palleſcere quiſquis
Fecerat: unus habet judicis ora reus.
Non, ait, hoc lethum, non, hanc, Pater optime, flammam
Deprecor; auſpiciis vicimus iſta tuis.
Ducere jam poſſum pœnas, & vivere centum
Mortibus, & cineres nempe videre meos,
Pro me, Sancte, nihil: maneant, quæ diximus, oro:
Sit tamen ô quondam tutius iſta loqui!
Hæc ubi conniſus, quantum vix poſſet ab annis,
Protulerat, ſequitur ſpiritus ecce preces:
Vitaque cum dictis pariter ſuper aſtra recepta eſt:
Labitur ante ſuos corpus inane rogos.
Eripuit ſceleri mortem Deus: impia turba
Sævitiæ queritur nil licuiſſe ſuæ.
Quod ſupereſt, gelidos flammas immittit in artus;
Et pœnam cupiens poſcere, Juſta facit.

UNIV. LIB. CAMB.

FINIS.

IMPRIMATUR.

Octob. 26. 1638.

GUIL. BRAY.

UNIV. LIB. CAMB.